

9

1

2

3

4


5

6

7

8

A  
7-365



Philadelphia Post Office  
30  
Box A  
1815  
231

25. 6. 12.

14. 2. 11

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL  
GRANADA  
Sala: A  
Est. n.º: 7  
Numero: 365

BRITISH MUSEUM  
GEORGE  
NO. 10  
MUSEUM

B

R. P. F. GABRIELIS  
A SANCTO VINCENTIO

Carmelitæ Discalceati. R-5952

TRACTATUS  
DE SACRAMENTIS

Iuxta Angelicam Diui Thomæ Aquinatis  
doctrinam.

*Eidemque Angelico Magistro dicati.*

PARS QVARTA.

*De Sacramento Ordinis, & Matrimonij.*

*Bibliothecæ Collegij Granatensis Societatis Jesu.*



ROMAE, Typis HH. Francisci Felicis Mancini.

*Superiorum permisso.*



i 1570774x

THE ...

... ..

...

DE ...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...



D. T H O M Æ  
A Q V I N A T I

Diuinæ mentis interpreti eximio, Ecclesiæ si-  
deri fulgentissimo, S. Theologiæ lumina-  
ri primario, veritatis verè magistro,

*Doctissimo, celsissimo, absolutissimo,*

Scientiarum, necnon virtutum simulacro,

Thesauro, abyssu, protypo, synedro, vexilli-  
fero, coryphæo.

FR. GABRIEL A SANCTO VINCENTIO  
*Carmelita Excalceatus. D. C. D.*



N tandem Angelice euolat sponte  
sua in tuæ sinū benignitatis quarta  
meorum operum pars de sacra-  
mentis, in sempiternum, reueren-  
tiæ, deuotionis, ac gratitudinis pignus. Tibi de-  
bebatur, cuius doctrinam cælesti quadam dis-  
positione vniuersali contemplamur applausu;  
ob quam maximè inter tuam illustrissimam,  
meamque Religionem, sacri hymenæi celebrā-  
tur faustissimè. Cuius inquam doctrinam ne-



dum qui primi fuere intuiti, verum etiam, qui quot annis, singulis mensibus, diebus, horisque singulis contemplando rimantur, & speculantur, numquam saturi effecti, occultæ quid diuinitatis, cœlestisque dulcedinis in illa sentientes, ac degustantes, venustate, profunditate, ac maiestate refertam, vt illam exquirant agminatim semper contententes, in singulis, priuatisque loquutionibus, & publicis disceptationibus, functionibusque vniuersis per fora, per scholas, per gymnasia, per academias glomerati non desinunt intueri, ac admirari. Tibi debebatur, quia sæpe fui admonitus Artaxerxis Persarum Regis sententiæ, non minoris magnificentiæ esse parua munera accipere, quam magna elargiri. Tibi inquam debebatur à quo heroum memoriæ conchyliantur vniuersæ; in quo vno antumi, posthumique Theologi antiquantur, & conticiscunt; in quo vno conspiciunt omnes quicquid virtutum, quicquid scientiarum humanum genus vniuersum possidet, quem diuinæ prouidentiae dono mirabili indulgentissima natura, quam gratia, suis quibuscunque peculiaribus dotibus exornarunt, vt quas possent in te virtutes locarent, locatas experirentur, exper-

tas ceteris immittandas proponerent, vt tanquã  
sol summopere irradians admirandus vniuerso  
terrarũ orbi elucesceres. Vnum cogor, ò Ange-  
lice, affirmare, (quã omnia insignia tua recen-  
sere vel impossibile, vel difficillimum est) quod  
si omnes mei artus in linguas verterentur di-  
fertissimas, totusque ego lingua efficerer, adhuc  
tui, altissimæque doctrinæ tuæ, quæ diuinis re-  
pleta thesauris, omnibus apertum effecta est re-  
fugium, consilij studium, virtutis tutela, sapien-  
tiæ aditus, opus mirabile, virtutum omnium  
viva imago, fidei, ac probitatis simulacrum;  
scientiarum omnium theatrum, litterarum, nec  
non litteratorum præsidium, propugnaculum,  
decus, ornamentum, satis non valerem expri-  
mere gratitatem. Quare sicut à suis collibus  
septena arce sublimis Roma, ciuitas solis, celsior  
gaudio, ac maiorum suorum Cæsarum trium-  
phis ferebatur antiquitus, quia multis aucta vi-  
ctorijs, quia ius imperij sui terra, marique pro-  
tulerat; sic non minori gaudio mea gaudet  
Religio, tuo Angelico subiecta magisterio; quia  
à solis ortu, vsque ad occasum, tuo corruscante  
doctrinæ lumine, illustrior, clariorque efficietur,  
quã Roma suis refulserit clarificata triumphis.

Merito

Merito igitur tibi præceptor Angelicæ minima  
hæc meæ deuotionis, & gratitudinis argumenta  
reuerenter, deuotè, humillimè que dico, offero;  
& exhibeo; deprecorque vt tuam augustissi-  
mam, meamque Religionem omnium mor-  
taliu[m] oculis mirabundam efficias, fospites, ad-  
augeas, fœcundes, felicités; quatenus cœlesti-  
bus terrestria, & terrestribus cœlestia, vadequa-  
que respondeant ad animi vota. Vale:

FACULTAS R. A. P. N.  
FR. IOACHIMI  
A IESV MARIA

*Præpositi Generalis Carmelitarum discal-  
ceatorum,*

**T**ENORE præsentium facultatem impertimur R. P. F. Ga-  
brieli à Sancto Vincentio Lombardo in Seminario Sã-  
ctæ Mariæ de Victoria Romæ Sacræ Theologiæ, & controuer-  
siarum Lectori eiusdem nostræ Congregationis Sacerdoti  
professo Typis mandandi opus quod inscribitur (tractatus de  
Sacramētis iuxta Angelicam D. Thomæ Aquinatis doctrinã)  
dummodo prius duo nostræ Congregationis Theologi reco-  
gnouerint, & in lucem edi posse probauerint. In quorum fi-  
dem præsentibus dedimus sigillo nostro munitas, ac propria  
manu subscriptas. Romæ in Conuentu nostro Sanctæ Mariæ  
de Scala die 28. Septembris 1655.

*Fr. Ioachimus à Iesu Maria Præpos. Gen*

Fr. Faustus à S. Basilio  
Secretarius.

**O**pus cui titulus est *Tractatus de Sacramentis à P. Gabriele à S. Vincentio*, compositum ex commissione Reuerendi Adm. P. N. Ioachim à Iesu Maria Congregationis nostræ Præpositi Generalis diligenter perlegimus, & nihil incidit contrarium, aut fidei, aut bonis moribus, sed plenum solida D. Thomæ doctrina, ac plura in eo reperimus, quæ plurimum prodesse poterunt doctis ad maiorē profectum. & indoctis ad eorum pacem conscientiarum, & ideo dignum illud iudicamus, quod ad communem utilitatem, publicam lucem videat. Romæ in nostro Conuentu Sanctæ Mariæ de Victoria die 16. Mai 1657.

*Fr. Seraphinus à Conceptione*  
*S. Theologiæ Lector.*

*Fr. Io: Franciscus à S. Bernardino*  
*S. Theologiæ Lector.*

*Imprimatur.*

Si videbitur Reuerendis. P. Mag. Sacri Palatij Apostolici.

*M. A. Oddus Vicefg.*



*Imprimatur.*

Fr. Vincentius Maria Guinifus Mag. & Soc. Reuerend. P. M.  
Sacri Palatij Apostolici Ordinis Prædicatorum,

# DISPUTATIONVM

E T

## QVÆSTIONVM

### I N D E X.

#### TRACTATVS VIII.

De Sacramento Ordinis.

nu. I.

#### DISPUTATIO PRIMA.

- D**E Ordinis existentia, & essentia. num. 3  
Quæst. I. Vtrum in Ecclesia Ordo esse debeat. 4  
Q. II. Quid sit Ordo, & an sit Sacramentum. 6  
Q. III. Quotuplex sit Ordo. II  
Q. IV. An omnes septem Ordines enumerati sint Sacramenta. Vbi aliqua curiosa habentur. 17  
Q. V. Quænâ sit singulorû ord. materia, quæq; forma. 29  
Q. VI. An sit de necessitate Sacramenti, quod ordinandus tangat physicè suæ ordinationis materiâ. 38  
Q. VII. An vnus ordo sit alio superior, digniorque. 45

#### DISPUTATIO SECVNDA.

- D**E effectibus ordinis, de ordinum officijs, deq; Ordinandorum requisitis. De ministro, & de quibus prohibitum est Ordines suscipere. 49  
Q. I. An gratia, & character sint Ordinis effectus. 50  
Q. II. De singulorum Ordinum officijs. 55  
Q. III. De ordinandorum requisitis. 59  
Q. IV. De requisitis ad Subdiaconatus ordinem recipiendum, & post illius receptionem. 64  
Q. V. De ordinum temporibus. 77  
Q. IV. De ministro Sacramenti ordinis, 90  
Q. VII. Quinam ordinari prohibeantur. 95

TRACTATUS IX.

Q.VIII. De Sacramento Matrimonij. 98

DISPUTATIO III.

**D**E matrimonio vt est ciuilis contractus, in natura officium institutus. 99

Q.I. Quid sit matrimonium; vt contractus quidam ciuilis est, seu in quo eius essentia consistat. 101

Q.II. An matrimonium sit honestum, & licitum. 109

Q.III. Quo tempore fuerit matrimonium institutum, & quænam fuerint causæ talis institutionis. 116

Q.IV. An matrimonium sit sub præcepto, & quo fine contrahendum sit, vt licitè contrahatur. 125

Q.V. An matrimonium sit indissolubile. 129

Q.VI. An polygamia naturæ iure repugnet matrimonio, vt est contractus ciuilis. 135

DISPUTATIO IV.

**D**E matrimonio vt est Sacramentum, & de ijs, quæ ad illius pertinent essentiam. 144

Q.I. An matrimonium sit legis nouæ sacramentum, vbi alia curiosa breui methodo explicantur. 145

Q.II. Quænam sit materia, & forma Sacramenti matrimonij. 150

Q.III. An matrimonij Sacramentum inter absentes possit celebrari. 156

Q.IV. Vnde matrim. Sacram. indissolubilitas oriatur. 161

Q.V. An matrimoniū ratū per religionis professionē dissoluatur; vbi alia scitu digna resoluuntur. 169

Q.VI. An copula intra bimestre vi extorta taliter matrimonium consumet, vt neutri sponso liceat sine alterius consensu ad religionem transire. 179

DISPUTATIO V.

**D**E intentione, seu consensu ad matrimoniū requisito, deq; huius sacramenti ministro. 186

Q.I. An intentio seu internus consensus sit causa efficiens

- ciens matrimonij . Et utrum si acillo possit ma-  
 trimonium consistere . 187
- Q.II. An matrimonium fieri debeat per consensum ver-  
 bis expressum . Vbi alia curiosa resoluantur . 193
- Q.III. Quodnam esse debeat consensus obiectum . 199
- Q.IV. An matrimonialis consensus debeat esse manife-  
 stus , Vbi de proclamationibus , & benedictio-  
 nibus agitur . 202
- Q.V. An Pater possit cogere filium , vt consensum præ-  
 beat in matrimonium : vbi alia curiosa . 209
- Q.VI. An Pater possit filium exheredare , vel quia noluit  
 præbere consensum , vt duceret illam , quam ve-  
 lebat , vel quia eo invito matrimonij fecit . 214
- Q.VII. An consensus clandestinus iure Ecclesiastico sit ir-  
 ritus . Vbi alia traduntur ad hanc materiam in-  
 telligendam necessaria . 220
- Q.VIII. Resoluantur aliquæ difficultates de assistentia Pa-  
 rochi , & testium , vt validus ponatur matrimo-  
 nis consensus . 230
- Q.IX. An consensus matrimonialis ex metu , vel coactio-  
 ne factus , sit validus . 241
- Q.X. An consensus conditionatus sufficiat ad matrimo-  
 nium ponendum . 252
- Q.XI. Quomodo prohibetur consensus , seu matrimonij  
 nullitas , & mors prioris coniugis , vt possit in al-  
 teram , nouus poni consensus . 265
- Q.XII. Quis sit matrimonij minister , 268

DISPUTATIO VI.

**D**E spōsalibus quoad eorum naturam , & obli-  
 gationem . 272

- Q.I. Quid sint sponsalia , & quomodo distinguantur pro-  
 missio , propositum , & donatio , &c . 273
- Q.II. An quis ad sponsalia obligari possit , per promil-  
 sionem purè internam . 280



- Q.III. Quanam externa promissio ad matrimonium requiratur. 284
- Q.IV. An sponsalia inter absentes fieri possint. 292
- Q.V. Quanam deliberatio requiratur, vt sponsalia valida efficiantur. 297
- Q.VI. An promissio ficto posita animo, ad valorem sufficiat sponsalium. 308
- Q.VII. Qui sint habiles ad sponsalia contrahenda. 314
- Q.VIII. Per quæ verba sponsalia contrahantur. 321
- Q.IX. Quando sponsus teneatur sponsalia adimplere, quando facta fuere nullo præfixo termino; vbi an pœna resilienti imponi possit. 328
- Q.X. An sponsalibus pœna improprie dicta apponi possit? 337
- Q.XI. An in sponsalium contractu liceat arrhas apponere; vbi alia difficultates enodantur. 347
- Q.XII. An sponsalium contractui, liceat conditiones annectere. 358

D I S P U T A T I O V.

- D**E sponsalibus quoad eorum dissolutionem. 362
- Q.I. An sponsalia per religionis ingressum dissoluantur. 363
- Q.II. Vtrum sponsalia dissoluantur per votum simplex castitatis subsequens, per sacri ordinis susceptionem, & per matrimonium cum alia postea factum, & per sponsalia alia. 371
- Q.III. An sponsalia impuberum dissoluantur per alterius dissensum pubertatem adepti, & an mutuo contrahentium consensu dirimi possint inter impubes. 377
- Q.IV. An sponsalia dissoluantur elapso tempore præfixo; & per alterius sponsi absentiam: vel etiam ob alterius fornicationem. 383

Assigna-

- Q.V. Assignatur aliæ causæ ob quas licitum est sponsalia  
resoluere. 390
- Q.VI. Resoluuntur aliquæ difficultates ad coronidè præ-  
sentis disputationis de sponsalibus pertinen-  
tes. 395
- Q.VII. Quomodo impedimentum probetur, vt sponsalia  
dissoluantur, & matrimonium impediatur. 405
- DISPUTATIO VI.
- Q.I. **D**E impedimentis matrimonij. 411  
An summus Pontifex possit statuere impedi-  
menta dirimentia. 412
- Q.II. An Princeps sæcularis possit impedimenta dirimen-  
tia statuere. 418
- Q.III. Quot peccata committat qui cum impedimento  
dirimente contrahit, vbi aliæ difficultates expli-  
cantur. 422
- Q.IV. Quando error personæ, matrimonium dirimat, vbi  
de errore qualitatis eiusdem personæ. 433
- Q.V. De conditione seruili, seu de impedimento condi-  
tionis seruitutis. 442
- Q.VI. De tertio matrimonij impedimento, quod est so-  
lemne votum, vbi num. 69. nostra vindicatur  
religio, & num. 80. duo pulcherrima dubia in-  
ueniuntur. 449
- Q.VII. De quarto matrimonij impedimento, quod est co-  
gnatio. 473
- Q.VIII. De quinto matrimonij impedimento, quod est cri-  
men. 483
- Q.IX. De sexto matrimonij impedimento, quod est cul-  
tus disparitas. 487
- Q.X. De septimo matrimonij impedimento, quod est  
vis, & metus. 492
- Q.XI. De octauo matrimonij impedimento quod est  
Ordo. 492

- Q. XII. De nono matrimonij impedimento, quod est liga-  
men. 504
- Q. XIII. De decimo matrimonij impedimento, quod est  
honestas. 508
- Q. XIV. De vndecimo matrimonij impedimento, quod est  
affinitas. 512
- Q. XV. De duodecimo matrimonij impedimento, quod est  
impotentia. 519
- Q. XVI. De alijs duobus matrimonij impedimentis, Raptu,  
& clandestinatè. 535
- Q. XVII. De impedimentis impediendis tantum matrimo-  
nium, non dirimentibus. 538

DISPUTATIO VII.

- D**E vsu matrimonij. 540
- An coniuges teneantur sibi debitum red-  
dere. 541
- Q. I. An quoties coniux peccat petendo debitum, alter  
peccet reddendo. 550
- Q. II. Ex quibus circumstantijs vsus matrimonij possit vi-  
tiari. 555
- Q. III. An matrimonij vsus reddatur illicitus ratione mo-  
di, sicut, &c. Vbi alia necessariò videnda pro  
praxi. 562
- Q. IV. Quale peccatum sit in coniugatis conceptionem  
impedire, vel abortum procurare, vbi plura cu-  
riosa. 571
- Q. V. Proponuntur, & explicantur aliquæ difficultates,  
circa debiti petitionem, & redditionem ratione  
damni, quod proli sequi potest. 578
- Q. IV. An matrimonij vsus illicitus esse possit ratione du-  
bietatis matrimonij, 585
- Q. VII. An cognatio spiritualis matrimonio superueniens,  
eius vsum impediatur. 589

An

Q. VIII. An affinitas matrimonio superueniens, eius vsum impediatur, vbi alia notatu digna resoluuntur. 592

Q. IX. An votum castitatis emissum ante matrimonium contractum, vel post contractum, sed ante illius consumationem, vsum impediatur matrimonij, vbi alia. 601

Q. X. An quid teneantur coniuges, qui post matrimonium consummatum vouent castitatem. 607

Q. XI. Quam obligationem habeant coniuges, qui vouerunt religionem ingredi, sacros suscipere Ordines, & matrimonium non inire, vbi alia curiosa. 615

Q. XII. An vota à coniugibus facta, ab iisdem valeant irritari. 620

*delectio* Q. XIII. Quenam coniugibus liceant, & non liceat. 629  
*timorosa*

#### DISPUTATIO VIII.

DE Diuortio. 641

Q. I. An diuortium licitum sit ratione adulterij. 642

Q. I. Quid requiratur vt fiat mutua inter coniuges compensatio, ne vnus ab alio dimittatur, vbi de adulterij poenis, & compensatione. 647

Q. II. An diuortium fieri valeat ob alterius adulterium spirituale, & ob quas alias causas, vbi alia habentur curiosa. 660

#### DISPUTATIO IX.

DE matrimonialibus dispensationibus. 666

Q. I. An potestas dispensandi, & dispensatio ipsa late sint interpretanda. 667

Q. I. An ille qui potest cum alijs in lege dispensare, possit id ipsum facere cum se ipso. 679

Q. II. An dispensatio iustam causam requirat. 687

Q. III. An possit Pontifex in matrimonij impedimentis dispensare, vbi alia resoluuntur difficultates. 694

An

- Q.V. An Episcopus dispensare possit in matrimonij impedimentis dirimentibus, & maximè quando impedimentum est dubium. 698
- Q.VI. Quid possit facere Episcopus circa impedimenta impedientia, vbi aliæ difficultates explanantur. 702
- Q.VII. Quid possint facere regulares circa dispensationem impedimentorum tum dirimentium, tum non dirimentium. 707
- Q.VIII. Quænam sint causæ ob quas dispensari possunt matrimonij impedimenta tum dirimentia, tum impedientia, vbi alia pulchra. 712
- Q.IX. Quibus ex capitibus dispensatio vitietur; ita vt nulla sit. 722

L A V S D E O.

TRA-



TRACTATUS  
OCTAVVS  
DE  
SACRAMENTO  
ORDINIS.  
PROOEMIUM.



ECCLÉSIA Dei distinctis ornata est gradibus, vt ex diuersis membris, sacri corporis integritas subsistat: hæc fuit diuinæ prouisio dispensationis, vt gradus ordinesq: diuersi in Ecclesia constituerentur, vt dū reuerentiam minores, potioribus exhibent, & potiores

minoribus dilectionem impendunt vna concordia fiat ex diuersitate contextio, vt sic foelicus singulorum geratur administratio officiorum; nec enim pulchra Ecclesiæ harmonia, alia poterat ratione subsistere, nisi magnus differentia ordo seruaretur. Hūc Ecclesiæ ordinem, nō Angelus, non Archangelus, nō alia quæuis creata potestas fecit, sed Deus ipse disposuit. Ipse,

A

ipse

ipse namque mortalibus hominibus, illis nimirum, non omnibus, qui vocati sunt tamquam Aaron, etiam num in carne mortali manentibus, spirituales concredidit parturiginis: his namque Baptismatis partus commissus est: his noua Pœnitentiæ natiuitas, est demandata: per istos, ipsum Christum induimus:

per istos, vna cum Dei filio sepelimur, & beatæ illius carnis membra efficiamur. Verè Ecclesia vt castrorum acies est ordinata, dum varijs hominum gradibus est distincta. De ijs ergo gradibus vnum Ecclesiasticum componentibus ordinem, præsens iste tractatus erit. Sit ergo.



3

# DISPV TATIO P R I M A D E O R D I N I S E X I S T I A, E T E S S E N T I A.

**E**xplicatis sacramen-  
tis, quæ primò, &  
per se ad bonum  
cuiusque priuati ordinantur;  
restat, vt ea explicemus, quæ  
ex eorum institutione com-  
mune bonum respiciunt, &  
sunt Sacramentum Ordinis,  
& Matrimonij; & licet secun-  
dum naturæ ordinem prius  
de hoc, quam de illo esset  
agendum, cum id quod ani-  
male est, sit prius eo, quo est  
spiritalis; tamen dignitatis,  
non animalitatis ordinem at-  
tendentes, prius de illo, quã  
de isto disputaturi sumus. Pro  
quo nota, Ordinem in com-  
muni definiri ab Augustino  
19 de Ciuit. cap. 13. quod sit:  
*parium, dispariumque rerum,*

*sua cuique tribuens dispositio,*  
& cum *sapientis sit*, vt dicit  
Philos. 1. metaphil. *ordinare;*  
Deus qui infinita sapiëntia est,  
omnia ordinatè disposuit: &  
vt relinquamus ea, quæ ad in-  
tra sunt, vbi, vt fides docet,  
inter diuinas personas est ori-  
ginis ordo, in ijs, quæ ad ex-  
tra producta sunt, optima lu-  
cet ordinis pulchritudo, per  
superna namque gubernat  
infima, regit, disponit, admi-  
nistrat. In cœlo sunt Angelo-  
rum Ordines, vt per superio-  
res, inferiores illuminentur,  
& in terra, suus ordo reperit-  
tur, quia vt dicit Phi. 1. me-  
teor. *omnis inferior virtus à*  
*caelestibus latioribus,* siue mo-  
tibus, *gubernatur.* Sed de

A 2      Ordi-





Ordine naturali non est hic ordine in cōmuni, sed de Or-  
nobis disputandum, nec de dine Ecclesiastico, de quo est.

## Q V A E S T I O I.

*Vtrum in Ecclesia Ordo esse debeat.*

**H**unc titulum ponit D. Thom. ar. 1. q. 33. supplem. ubi de Ordine agere incipit; & respondet affirmatiuè, cuius optimam assignat rationem, cum enim ordo sit optima rerum pulchritudo, noluit Deus, quod suæ deesset Ecclesiæ; vnde posuit, *Ordinem in ea, ut quidam alij sacramenta dixerit, suo modo Deo in hoc assimilati: quasi Deo cooperantes, sicut & in corpore naturali, quaedam membra alij insuunt.* Sed vt Anglicam habeas doctrinam, aduerte, quod triplex assignari potest Ecclesiasticus Ordo, vel Ecclesiasticus ordo triplicis generis esse potest. Primū genus illud est, quod quemlibet amplectitur statum, vel conditionem personarū, quæ speciali quodam titulo Ecclesiasticis se obligarunt officij, præscindendo ab hoc,

quod habeant, vel non habeant spiritualement iurisdictionem, vel potestatem conficiendi sacramenta, quo modo variae Religiosorum, & Monialium congregationes, Ordines dicuntur; hæ namque congregationes specialē habent viuendi modum quo in Dei Ecclesia, Deo ipso deseruiunt, siue sint Sacerdotes, siue laici, quo etiam modo Diaconissæ in primitiua Ecclesia ordinem cōstituebant, nec prius eligebantur, quam sexaginta essent annorum, vt D. Paulus determinauit 1. ad Tim. 5. quatenus ait: *vidua eligatur non minus sexaginta annorum.* Secundum Ecclesiastici ordinis genus, ex illis coalescit personis, quæ aliqua gaudent iurisdictione, non tamen potestate ex vi sui officij conficiendi, ministrandique sacramenta, vt Decanatus,

Archi-

Archidiaconatus, Abbatia, Prioratus, Archiepiscopatus, & Patriarchatus, quoad id quod addunt supra Episcopatum.

3 Tertiū Ecclesiastici Ordinis genus, est illud, quod complectitur illas personas, quæ potestatem habent, vel conficiendi Eucharistiam, & Missæ sacrificium celebrandi, vel ad hoc ex vi sui officij deputantur, vt speciali modo deseruiant. Hæc est propria Ecclesiastici ordinis Hierarchia, hic est proprius Ecclesiæ ordo, & per antonomasiam talis, & huius ordinis collatio, seu collatio potestatis inferuendi per ordinem ad Eucharistiam, vel ponendi, & consecrandi eandem Eucharistiam, ordinatio dicitur, & de hac præses potissimè procedit difficultas; an nimirum in Ecclesia sit potestas conferendi hunc Ordinem, per quem homines aliqui ad Eucharistiam conficiendam deputentur, & ad sacrificandum ordinentur, & alij per ordinem ad idem ministerium consecrentur, ac subiade, an in Ecclesia sit ordo, relictis varijs

hæreticorum erroribus, de quibus postea aliquid dicitur.

Veritas Catholica sequenti explicatur conclusione. *In Ecclesia est potestas conferendi ordinem, ac subinde in ea est graduum ordinatio, secundum quam, alij sunt superiores, in ordine ad res diuinas ministrandas inferiores alij. Hæc conclusio est de fide, definita in Trid. sess 23. can. 6. vbi dicitur. Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam diuina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & ministris; anathema sit.*

4 Probatur primò ex illo Apostoli Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, &c.* vbi præcipua Ecclesiasticæ hierarchiæ munia, & officia, sub vno Christi capite in cælis, & eius Vicario in terris, enunciat. Et 1. Cor. 12. dicit: *diuisiones vero gratiarum sunt, idem autem spiritus, &c.* Idem docent sancti Patres, præsertim D. Dionysius, qui integrum composuit librum de Ecclesiastica Hierarchia. Vnde patet reiciendum esse Lutherum, qui in libro de abroganda Missa

Missa priuata, Ecclesiasticam negat hierarchiam, & B. irridet Dionysium, qui talem cōposuit librum.

Probatur secundò, quia in quacunque republica datur potestas instituēdi officia, & dignitates, ac subinde ministrorum, & officialiū ordines,

in ordine ad proportionata reipublicæ munia; ergo id ipsum Christianæ reipublicæ non est denegandum, alioqui Ecclesia non esset spiritualis, & perfectissima respublica, sed Babilonica quædam cōfusio.

## Q V A E S T I O II.

*Quid sit Ordo, & an sit Sacramentum.*

5 **V**ariæ afferuntur Ordinis definitiones: Ordo, seu ordinatio ab aliquibus sic definitur, quod sit: *ceremonia quedam, qua alicui, peculiari traditur potestas, aliquo modo destinata, ad venerabilis Eucharistia mysterium ritè peragendum* Alij cum Soto sic ordinem, seu ordinationem definiunt: *est sacramentum quo spiritualis potestas significatur, & traditur in ordine ad sacrosanctū Corpus Christi consecrandum.* Alij cū nostro Vualdensi de sacra. to. 2. c. 116. sic definiunt: *est sacramenta administratiū habitudo legitima, cuique ratione*

*sui ministerij conueniens.* Tandem D. Thomas post Vgonē de s. v. & Magistrum sententiarum, sic sacram definit ordinationem: *est signaculum quoddam Ecclesie, quo spiritualis potestas traditur ordinato.* Hanc definitionem optimè explicat D. Thom. art. 2. q. 34. supplem. quod nimirum *Ly signaculum* stet pro genere, cum enim Ordo sit sacramentum, & hoc sit signum sensibile, etiam Ordo sensibile signum erit: vnde *Ly signaculum, seu signum*, nō est genus proximum sacramenti Ordinis, hoc enim est ipsum sacramentum, sed est genus remotum;

motum; non est autem nouum in scholis, quod res aliquando per genus remotum definiantur. *Ly per quod spiritualis potestas ordinato traditur*, stat loco differentiarum, hæc autem potestas in ipso consistit caractere.

6 Hæc definitio, vt vides, materialis est: nam signum, & character sunt partes, hoc sacramentum componentes. N Vualdensis definitio, est per formam, sed remotam; habitudo namque, seu relatio partium ordinarum, est ordinis cuiuscunque, & in sua lata acceptione accepti, forma; non enim ordo sunt partes ordinatæ, sed habitudo illarum. Soti definitio est materialis, & per genus proximum. Aliorum definitio, per genus remotum est: nam sacramentum immediatè se habet ad ordinem, ceremonia, remotè. D. Thomæ, & Magistri definitio retinenda est, cū communiter ab omnibus retineatur. Si tamè aliquis breuiorem vellet ordinis, seu ordinationis definitionem, hæc esse poterit *Ordo, seu sacra ordinatio, est sacramentum pote-*

*statis. Sacramentum est genus proximum, in quo Ordo cum alijs conuenit sacramentis; Potestatis loco ponitur differentiarum, quia per hanc ab omnibus alijs differt sacramentis, cum enim Ly Potestatis ponatur absolutè, de potestate per excellentiam, & antonomasiam tali, est intelligenda, patet autem, quod potestas per excellentiam talis, est potestas per ordinem ad Venerabile Altaris sacramentum. Ponitur Ly Potestatis in obliquo, vt detur intelligi, quod propria huius sacramenti differentia, non est ipsa potestas, seu character, sed est specialis huius sacramenti gratia, seu habitudo specialis huius sacramenti, ad gratiam specialem sibi respondentem; tamen & quia nomen nõ habemus ad talem habitudinẽ, seu differentiam explicandã, & quia huius sacramenti gratia medio caractere causatur, qui est ipsa spiritualis potestas in ordine ad corpus Christi verum, ideo potestatem ipsam in obliquo posuimus. Pro quo nota, quod sicut in alijs sacramentis, est sacra-*

sacramentum tantum, res sacramenti tantum, & res & sacramentum simul, ita & in hoc sacramento hæc tria distingui debent: sacramentum tantum, quod significat, & nõ significatur, est signum sensibile, quod materia, forma, & propria constat significatione, quod explicatum manebit explicando singulorum ordinum materiam, & formã, quod infra præstabitur. Res tantum sacramenti, quæ significatur, & non significat, est specialis huius sacramenti gratia. Sacramentum autem & res simul, quod nimirum significatur, & significat, est character; hic namque significatur per sacramentum, nã illud signum exterius, nimirum illa formę prolatio, & illa materiæ traditio, characterem, seu cuiusque Ordinis potestatem significat; deinde character iste, gratiam, ad rectè talem exercendam potestatem significat, quæ omnia constât ex alibi dictis. Et hæc de primo.

7 Quoad secundum, an Ordo sit sacramentum: est prima hæreticorum nostri tē-

poris sententia, negatiua. Pro quo nota, quod Ordo tertij generis supra explicati, dupliciter accipitur, primò vt significat ipsarum personarum ordinarum statum, ratione cuius, alij, alijs præficiuntur in ordine ad Venerabile Eucharistiæ sacramentum conficiendum, & secundum hanc acceptionem, certum est, ordinem non esse sacramentum, sed esse ipsarum personarum consecratarum seriẽ, & dispositionem. Secundò accipitur ordo tertij generis, non pro ipsis personis, sed pro actione, ritu, seu ceremonia, qua personæ ille consecrantur, & ad talia ministeria deputantur: cum enim omnia sacramenta, Eucharistia excepta, in fieri consistant, non in ipsis personis ordinatis, hoc sacramentum consistere potest, sed in illarum ordinatione; & sic præsens difficultas procedit de illa sensibili ceremonia, seu actione, quam ordinationem vocamus, qua Episcopus ordinos consecrat, & ad dicta ministeria deputat, an sit verè, & propriè sacramentum, de qua vt dixi  
prima

prima hæreticorum sententia, est negatiua, ita Lutherus de captiuit. Babil. cap. de Ordine. Kemnitiuſ ad cap. 2. & can. 3. 4. & 5. ſeſſ. 24. Concilij Tridē-  
tini. Calvinus lib. 4. ſuarum institutionum cap. 14. & alij.

8 Veritas catholica ſequē-  
ti explicatur conſuſione. *Sa-  
cra ordinatio, eſt verū, & pro-  
prium ſacramentum à Chriſto  
Domino inſtitutum.* Hæc con-  
cluſio definita primum fuit in  
antiquiſſimis Cōcilijſ, vt Cal-  
cedonenſi can. 2. vbi damnā-  
tur illi, qui pro ordinatione  
pecunias accipiunt. In Braca-  
renſi can. 3. Clariuſ in Florē-  
tino in decreto Eugenij, &  
clariffimè in Tridentino ſeſſ.  
23. can. 3. vbi dicitur: *Si quis  
dixerit, ordinem, ſiue ſacram-  
ordinationem non eſſe verè, &  
proprie Sacramentum à Chri-  
ſto Domino inſtitutum, &c.  
anathema ſit.* & can. ſequenti  
probat in eo conferri Spiritū  
ſanctum. Idem docuerunt ſā-  
cti Patres, qui à Nugno, &  
alijs hic citantur.

9 Probatuſ primò ratio-  
ne, qua vtitur D. Thomas art.  
3. q. 34. Ordinatō eſt quædā  
conſecratio, ſeu ſanctificatio

humini exhibitā; cum aliquo  
ſigno viſibili; ergo eſt verum,  
& proprium ſacramentum.  
Antecedens patet ex ipſa ce-  
remonia, & ritu, quo homines  
ab Epifcopo inſtantur; con-  
ſequentia oſtenditur; nam ſa-  
cramentum eſt rei ſacræ ſignū,  
ſeu eſt ſignum gratiæ ſanctifi-  
cantis: atqui conſecratio ho-  
mini ſigno ſenſibili exhibitā,  
eſt rei ſacræ ſignum, nempe  
gratiæ conſecrantis, & ſancti-  
ficantis; ergo.

Probatuſ ſecundò, quia de  
ratione ſacramenti eſt, quod  
ſit ſignum ſenſibile gratiæ col-  
latiuum; ſed ordinatio eſt hu-  
iuſmodi; ergo. Maior patet ex  
dictis de ſacramentis in genere,  
diſput. 1. q. 1. & ſequentibus.  
Minor oſtenditur. Nam ma-  
nuum impoſitio, v. g. in Sacer-  
dotio, cum formæ prolatione,  
*accipe poteſtatem*, eſt ſignum  
ſenſibile, vt patet, & gratiam  
ſignificat, quod oſtenditur, nā  
eo ipſo quod datur in hoc ſa-  
cramento, per tale ſenſibile  
ſignum, poteſtas, debet etiam  
dari gratia ad talem poteſta-  
tem exercendam; cum enim  
*Dei perfectæ ſint opera*, Deu-  
teronom. 32. eo ipſo quod po-

testatem confert, vel dignitatem, vel officium, debet gratiam conferre ad illud exercendum, alioquin cius perfecta non essent opera, sed Deus in hoc sacramento, medio eius ministro, spiritualement confert potestatem in ordine ad corpus Christi verum, ergo etiã dare debet gratiam ad illam exercendam. Soluuntur duo potissima hæreticorum argumenta.

10 Primum argumentum est, quia in nullo sacrae Scripturae loco habetur, Ordinem esse sacramentum; ergo vt sacramentum poni non debet. Antecedens patet, quia in nullo scripturae loco Ordinis materia, & forma præscribitur; Consequentia tenet, quia nouum poni non debet sacramentum, sine euidenti Scripturae testimonio? Respondetur quod etiamsi hoc Sacramentum ex nullo scripturae loco haberetur, adhuc sacramentum esset, vt diximus de Extrema vnctione, quod enim aliquid sit sacramentum, ex diuina non habet scriptura, sed ex Dei institutione. Vnde etiamsi in scriptura nec

materia, nec forma Baptismi haberetur, nec Eucharistia, non propterea non essent sacramenta. Deinde dico, falsũ esse, hoc sacramentum ex diuina non haberi scriptura, nã id clarè colligitur ex illo Apostoli 1. ad Tim 4. *noli negligere gratiam, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyteri.* & 2. ad Tim. 1. *admoneo te, vt suscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum:* in quibus locis de sacra, loquitur Apostolus, ordinatione, vt docet ibi sancti Patres, Chrysost. Thodoretus, Theophylactus, Oecumenius, & alij.

11 Secundum argumentum. Quoniam Summus Pontifex, ex multorum Canonistarum sententia, potest his solum verbis ordinem conferre, *esto Sacerdos, esto Diaconus, vel sis Sacerdos, sis Diaconus, &c.* ergo sacerdotium, Diaconatus &c. non sunt sacramenta. Consequentia tenet, nam si ordo esset sacramentum, & sic sacerdotium, Diaconatus, &c. deberet fieri per debitam materiae, & for-

mæ

ma applicationem; atqui in illo ordinandi modo talis nõ adest applicatio; ergo.

Respondetur canonistarum sensum esse, quod si forma, quam Christus Dominus ab Ecclesia determinandam reliquit, non fuisset determinata, potuisset Pontifex hanc determinare *esto Sacerdos, vel sis Sacerdos, &c.* vt enim de *Sacramētis in genere* diximus, Christus Dominus non determinauit sacramentorum omnium formas in specie, sed solum in genere, in quantum quod voluit, quod illa forma

uteretur ordinator, & illa materia, quæ possint potestatem ordinando dandam, significare; atqui per illa verba, & per manuum impositionem, potestas Sacerdoti data sufficienter significata fuisset, vt ex se liquet; vnde Innocentius IV. c. *Presbyter* de sacrament. non iter. quem ex Francisco de Lugo refert Diana de potestate Pontificis resol. 42. ita loquitur. *Vnde credimus, quod nisi essent forma potestatis inuenta, sufficeret Ordinatori dicere, sis Sacerdos, vel alia æquipollentia verba.*

## Q V A E S T I O III.

### *Quotuplex sit Ordo.*

12 **I**N hac quæstione non solum est nobis disputandum cum hæreticis, verum etiam cum Catholicis. Hæretici namque licet velint ordinem non esse sacramentum, volunt tamen ordinem esse in Ecclesia, secundum quod ordo dicit graduum subordinationem, & quod hic ordo sit triplex, Episcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus.

Catholici vero aliqui licet septem communiter recensitos admittant ordines, addunt tamen alios; nempe primam Tonsuram, ita aliqui canonistæ: Episcopatum, & etiã Psalmistatum, siue Cantoratum, alij.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Ordines sunt tantummodo septem, scilicet Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, Acolytus,*



*Lectoratus, Exorcistatus, & Ostiariatus.* Hæc conclusio, quoad id quod dicit esse septem enumeratos, est de fide; quoad id vero, quod dicit esse tantum septem enumeratos non est talis.

Prima pars probatur, quod nimirum ordines sint septem enumerati, quia ita habetur in Concilio Romano sub Sæcto Syluestro cap. 7. in Carthag. iv. cap. 2. in Florentino in Eugenij decreto, & tandè in Tridentino sess. 23. cap. 2. & can. 2. Deinde probatur ratione, quia tot sunt ordines, quot sunt ministrorum series ad Eucharistiam ordinatæ; atqui hæc sunt septem enumeratæ; ergo. Maior patet, nam ordinum numerus, ex diuerso ministrorū ordine ad Eucharistiam, sumitur; vt ex ordinis definitione liquet. Minor ostenditur, nam *Presbyteratus* ad Eucharistiam ordinatur, vt minister conficiens illam constituatur, ob idque quando Presbyter ordinatur sibi calix cum pane, & vino porrigitur. *Diaconatus* ad Eucharistiã ordinatur, quia per hunc ordinem minister depu-

tatur, qui Sacerdoti in ipso ministerij sacramento coope-  
retur. *Subdiaconatus* ad Eucharistiam ordinatur, quatenus per ipsum minister consecratur, qui materiam præparet consecrandam, vel vasa in quibus materia consecranda est, Diacono porrigat. *Acolytus* ad Eucharistiam ordinatur, quia ministrum constituit, qui sacramenti materiam præsentet. *Lectoratus, Exorcistatus, & Ostiariatus,* etiam ad Eucharistiam ordinantur, in quantum tamen ad suscipiètes illam, diriguntur: pro quo nota ex D. Dionysio quem refert, & sequitur Diuus Thomas q. 37. art. 2. quod ministerium ordinatum ad recipiètiũ præparationem, non potest esse, nisi super immundos, qui namque mundi sunt, ad sacramenta recipièda idonei sunt.

13 Triplex autem est immundorum genus, quidam enim sunt omnino infideles, & isti à visione diuinorum, & à fidelium cætu arcèdi sunt, & hoc ad *Ostiariatus* spectat officium. Alij sunt quidem immundj, quia licet crede-

credere velint, nondum tamē instructi sunt, & sunt catechumeni; & ad horum instructionem ordo ordinatur *Lectoris*. Alij immundi sunt, non quia credere nolint, nec quia instructi non sint, quia fideles sunt, sed quia à malo arripiuntur spiritu, & ad hos mundādos *Exorcistarum* ordinatur officium. Aliqui apud Diuū Thomam loco citato sequēti probant congruentia, vt ordinum numerus desumat secundum quandam assimilationem ad Hierarchiam cœlestem in qua ordines distinguuntur, secundum purgationem, illuminationem, & perfectionem; *Officiarius* purgat, bonos separando à malis, & hoc corporaliter; idem præstat *Acolytus* interior, dū per lumen quod portat, interiores censetur expellere tenebre. *Exorcista* utroque modo, quia dæmonem utroque modo vexantem expellit. *Lectores* illuminationem faciunt per doctrinam propheticam: per Apostolicam *Subdiaconi*, propterea in missa, Apostolorum legunt epistolas. Per Euangelium *Diaconi*, ob idque

Euangelium cātant in Missa. At perfectio, quæ per communionem habetur, per *Sacerdotem* fit, cum ipsius muneris sit Eucharistiam conficere, alijsque præbere. Sed de hoc septenario sacramēti Ordinis numero, patebit agēdo de singulis; & sic patet sufficiens primæ partis conclusionis probatio.

14 Quod autem sint tantum ordines septem, & non plures, probatur; nam si aliqui adderētur maximè *Psalmistatus*, seu *Cantoratus*, *Prima Tonsura*, & *Episcopatus*, Atqui isti, vel non sunt ordines, vel nouū non constituunt ordinem; ergo. Minor patet, nam si loquamur de *Psalmistatu*, ordo esse nequit, cū non sit per ordinē ad Eucharistiam, sed potius est officij ordini annexum: tum quia cantare ad totum pertinet Chorum. Vnde si aliquando ordo vocatur, accipitur ordo in larga acceptione, propterea in cap. *illud*, vbi ordines recensentur *Psalmistatus* non enumeratur: nec in Tridentino c. 2. sess. 23. Similiter si loquamur de *prima Tonsura*, ordo

ordo non est, sed dispositio ad ordines, vt exorcismi respectu Baptismi, sponsalia respectu matrimonij, &c. sic *prima Tonsura* est veluti potentia quædam passiuæ, nō physica, alioqui characterē imprimeret, sed moralis, qua homo fit Clericus, & in Domini sortē vocatur, & fit de foro Ecclesiæ, & hoc non ad tempus, sed pro semper, ita quod non debeat pluries hæc dispositio recipi, cum sit moralis quedam, sed perpetua deputatio ad Ecclesiæ ordines recipiendos. Et hoc probari potest; Primò, quia *prima Tonsura*, materia non cōstat, & forma, prout constare debet omne id quod sacramentum est: illa namque verba, quæ ab Episcopo dicuntur dum homo tonsuratur, *Dominus pars hereditatis meæ*, non sunt substantialia, sed ceremonialia, vnde etiam sine illis, quis clericus effici potest, per solam translationem moralem ab statu laicali, ad statum clericalem. Secundò, quia in *prima Tonsura* spiritualis non traditur potestas ordinato, sed solum quædam moralis

deputatio, cum non tradatur materia in cuius traditione talis potestas significetur. Tertio quia Tridētinum cap. illo 2. vbi ceteros enumerat ordines, nullam de *prima tonsura* facit mentionem, imò illam distinguit ab ordinibus tum maioribus, tum minoribus vt videre est sess. illa 23. cap. 4. 5. 6. 12. & 13. de reformatione. Vnde licet cap. *cum contingat*, de ætate, & qualitate perficiendorum, Ordo vocetur, intelligi debet de ordine in lata acceptione; similiter Sixtus V. cum in suo Motu proprio anno 1588. cōtra malè promotos, vocat *primam Tonsuram* characterem clericalem, nil aliud dicere voluit, nisi quod sit, quædam passiuæ deputatio ad ordines vel ad ordinem clericalem.

15 Sed quæres primò, quos effectus pariat *prima tonsura*? Respondetur quod duos, nempe priuilegium fori, & canonis, de quibus in tract. de Censuris.

16 Quæres secundò, an solum sit dispositio ad ordines? Respondetur esse dispositionem non solum ad ordines,

nes, verum etiam ad officia, & beneficia: diuersimode tamen, nam ad ordines est dispositio decentiæ, non necessitatis; vnde non solum ordinum collatio, sine prima Tonsura valida est, cum solum sit Ecclesiæ præceptum, de ea, ante ordinum receptionem, præmittenda, sed taliter valida est, vt non sit necesse illam recipere; cum enim prima Tonsura ex vna parte non sit dispositio ad ordines necessaria, sed solum decentiæ; & ex alia parte Ecclesiæ præceptum sit solum de illa præmittenda, si non præmittatur, peccatur, sed necesse non est illam post receptos ordines recipere, cum de hoc nulla detur necessitas, nullum præceptum, & sufficienter per ordines ipsos, homo in Dei sortem vocetur. Ad beneficia vero est dispositio simpliciter necessaria, adeo vt collatio facta non tonsurato (nisi aliquem haberet ordinem) ipso iure sit nulla cap. 2. de instit. cap. ex litteris, de transact. & cap. cum eo de rescrip. Idem dicendum est de iurisdictione; vnde Vicarius v. g.

Episcopi nondum tonsuratus, nulla gaudet iurisdictione.

17 Tandem si de Episcopatu loquamur videbimus non esse sacramentum à sacerdotio distinctum, vt communis docet opinio, sed est quædam sacerdotalis characteris extensio ad alios actus, ad eum modum quo character, quem recipit Sacerdos in sua ordinatione, quando recipit potestatem in corpus Domini verum per traditionem calicis cum vino, & hostia, extenditur per manuum impositionem ad potestatem in corpus Domini mysterium, nec in hac secunda ordinatione nouum recipit Sacerdos characterem, sed nouum modum extensionis eiusdem. Sed vt rem hanc plenius intelligas, elegantem nota doctrinam Angelici Magistri in 4. dist. 24. q. 2. ar. 2. quæstion. 2. quod ordinationis nomen dupliciter accipitur, primò proprie vt sacramentum ordinis est, & spirituales confert potestatem per ordinem ad Eucharistiæ Sacramentum. Secundò prout est nomen officij, dignitatis, & gradus. Episcop-

scopatus ergo ordo est in hoc secundo sensu, non in primo; & hoc modo intelligi debent Concilia, & Patres, quando Episcopatum, ordinem vocant. Nec deest efficacissima ratio pro hac communi opinione firmanda; nam ordines omnes ad Eucharistiam ordinantur; atqui Episcopatus, ut talis ad illam non ordinatur; ergo Episcopatus ut talis, non est proprius ordo. Minor patet, nam Episcopus ad Eucharistiam non ordinatur ut minister, quia eius dignitas, omni ministerio ad Eucharistiam ordinato, est altior; neque ut conficiens illam, quia hac ratione non ordinatur ut Episcopus, sed ut Sacerdos, & per ordinem ad Eucharistiam conficiendam, Episcopus sacerdotem non superat, ergo. Adde quod Episcopatus novum non imprimat characterem, cuius ratio à posteriori esse potest, quia si quis in Episcopum consecraretur, characterem non habito sacerdotali verus non esset Episcopus. Deinde Papa potest suspendere Episcopum, quoad ea, quæ Episcopi sunt, ut do-

cet Ricardus dist. 25. ar. 2. q. 2. si autem in Episcopatu character imprimeretur suspendi non posset, cum sit indelebilis, unde Sacerdos saltem quoad validè suspendi non potest, quin validè semper consecret. Episcopatus ergo non est propriè ordo, sed solù latè, quatenus est quoddam officium respectu quarundam sacrarum actionum ordinis hierarchici, & secundum hanc rationem est supra Sacerdotem.

18 Sed dices, si ordines essent illi septem enumerati deberent aliquo modo ex sacra deduci scriptura; atqui non deducuntur; ergo. Nullibi namque legitur, ubi Christus Dominus Diaconi, Subdiaconi, Acolyti &c. Munia fuerit exercitus? Respondetur quod cum Christus Dominus Apostolos in cœna per potestatem ordinaverit excellentiæ, non tribuit illis sacerdotium, Diaconatum, & alios ordines inferiores per traditionem materiæ, & prolationem formæ, sed sine illis; nihilominus eosdem docuit Apostolos, quoniam modo ordines

dines cōferre deberent; bene verum est, quod omnium ordinum officia in diuersis scripturæ locis adumbrata fuerunt. *Sacerdotis*, quando in vltima cœna Eucharistiæ obtulit sacrificium. *Diaconi*, quando in eadem vltima cœna eandem distribuit Eucharistiam, & postea concionem habuit: hæc enim duo munia ad Diaconum spectant; vnde in primitiua Ecclesia Diaconus sanguinem distribuebat. *Subdiaconi*, quando preparās

se ad celebrationem præcinxit se linteo, & misit aquam in peluim, quia Subdiaconi officia sunt, aquam præparare, & corporalia lauare. *Acolyti*, quando dixit; *Ego sum lux mundi*, quia ad Acolytos spectat cereos deferre accensos. *Exorcista*, quando demonia eiciebat. *Lectoris*, quando in templo Isaïæ legit prophetiam. Luc. 4. *Offitij*, quando ementes, & vendentes de templo eiecit.

## Q V A E S T I O I V :

*An omnes septem Ordines enumerati sint Sacramenta. Vbi aliqua curiosa habentur.*

19 **D**ico primò : *Ordo Presbyteratus est sacramentum*; Hæc conclusio est de fide, vt colligitur ex Florentino Concilio, & Tridentino, locis supra citatis. Probatum ratione, quia hic ordo est signum rei sacræ; ergo est sacramentum. Consequentia tenet, quia est à definitione ad definitū. Ante-

cedens constat ex materia, & forma, qua administratur. Sed quæret hic aliquis, an *Presbyteratus* sit sacramentū ordinis, secundum vtranque consecrationem, & potestatem, an vero solum secundum primam? Pro quo nota, Sacerdotem in sua ordinatione recipere potestatem in corpus Domini verum, quando tan-

git calicem cum vino, & pane, & profertur forma, qua Sacerdos consecratur. Et recipit potestatem in corpus Domini mysticum, cum sibi confertur potestas absoluen- di à peccatis. Aliqui ergo volunt esse duo sacramenta, & duo Ordines, quod probât, quia distinctis fuerunt institu- ta temporibus; nam prima potestas in cœna Apostolis data est: secunda post resur- rectionem, quando Christus dixit: *accipite potestatem, quo- rum remiseritis peccata remit- tuntur eis, &c.* Nihilominus verius dicendum est, esse vni- cum sacramentum, vnumque ordinem, nec nouum imprimi characterem in secundæ po- testatis receptione, sed pri- mum extendi per additionē noui modi extensionis, in cuius potestatis receptione, & modi productione, noua pro- ducitur gratia, ad nouum il- lud munus necessaria.

20 Sed contra hanc veri- tatē argumentantur hæretici. Primò quia si hic ordo sacra- mētū esset, debuisset à Chri- sto aliquando institui; atqui institutum non fuit; ergo. Mi-

norem probant; quia si hoc sacramentum aliquando à Christo institutum fuisset, ma- ximè in cœna cum dixit: *hoc facite in meam commemora- tionem*, atqui tunc institutum non fuit; ergo. Hanc secundā minorem probant, quia Di- uis Paulus verè fuit Sacer- dos, & tamen cœnæ non in- terfuit, nec ab aliquo homine ordinatus fuit; ergo Sacer- dotium non est ex Christi in- stitute, sed est hominum adinuentum, &c. Antecedens patet, quia nullibi Pauli con- secratio reperitur? Respon- detur quod licet non ita ex- pressè legatur vbi, & quan- do ordinatus fuerit Aposto- lus Sacerdos, & Episcopus, verè tamē fuit ordinatus, vel à Christo Domino per pote- statem excellentiæ, quando ipsum vocauit sicuti per ean- dem excellentiæ potestatem, ordinauit Episcopum, Apo- stolum Thomam absentem, quando alios Apostolos præ- sentes ordinauit. Vel (quod mihi verius videtur) Aposto- lus ordinatus fuit Presbyter, & Episcopus simul cum Bar- naba. Act. 13. quando dicitur:

tunc

tunc ieiunantes, & orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos. Ita Chrysoſt. ho. 27. in Acta, & S. Leo epist. 81. ad Dioscorum.

21 Secundò arguunt, quia si Sacerdos haberet potestatem consecrandi Christi Domini corpus, & sanguinem, ac subinde Sacerdotium esset sacramentū, sequeretur, quod Sacerdos esset dignior, excellentiorque Christo; hoc est absurdum; ergo: sequela probatur, quia sacrificans excellentior est re sacrificata, & victima oblata. Imò Sacerdos adeo esset maior Christo, vt de eo dici posset, quod Christū sub sua haberet potestate, vt non solum possit eum dentibus terere, verum etiam pedibus (si vellet) conculcare. Confirmatur totum hoc ex illo Apostoli, quod, *minor à maiori benedicatur, & sic, cum Christus in sacrificio à Sacerdote benedicatur, cū toties super oblata crucis signū impendat, sequitur, quod Christus Dominus minor, inferiorque sit Sacerdote.*

Respondetur falsum esse, quod in omni sacrificio res

oblata inferior sit offerente; hoc verum erat in lege veteri, quando animalia sacrificabantur, non modo, quando Christus Dominus per Sacerdotis manus sacrificatur; sic enim ipse instituit, sic voluit, & sit in æternum benedictus. Nec est inconueniens, quod Christus Dominus prout est in hoc sacramento sit aliquo modo sub Sacerdotis potestate, & possit ab eo etiam conculcari, vt faciunt hæretici, sed in illorum damnationem. Nec verum est, quod Christus Dominus à Sacerdote benedicatur; nam vt benè aduertit Missale, ante consecrationem dicitur Sacerdos benedicens, post consecrationem verò, signans oblata: & si diceretur benedicere, intelligi deberet, non de Christo, sed de speciebus illis; ille namque species dicerentur benedici, non Christus.

22 Dico secundò. *Diaconatus est verum sacramentum, & subdiaconatus similiter.* Hęc conclusio post Tridentinum est omnino certa, propterea excusandus est Durandus in 4. dist. 24. q. 2. & Caietanus



to. i. opus. tract. i. i. qui id de Diacono, & Subdiacono negarunt, & Magister distinctione eadē, & Gratianus in suo decreto distinct. 21. qui id de Subdiaconatu similiter negarunt. Probatur primò sacrosancti Tridentini testimonio can. 6. vbi dicitur: *Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam, diuina ordinatione institutam, qua constat ex Episcopis, Presbyteris, & ministris, ana hema sit.* Vbi per ministros ad minus Diaconus, & Subdiaconus intelligi debent: idem habet c. 2. & ferè per totam illam sessionem.

Probatut secundò, quia in Diaconi ordinatione omnia adsunt, quæ ad constituendū sacramentum requiruntur, nempe materia, & forma, quæ signum sensibile sunt gratiæ, quæ datur, vt patet per illa verba: *Accipite Spiritum sanctum, &c.* Idem argumentum fieri potest de Subdiaconi ordinatione, ibi namque materia, & forma gratiæ significativa dantur, vt sequenti quaestione dicetur.

23 Sed obijcies primò,

quia si isti duo ordines essent sacramenta, deberet in illis conferri potestas per quam absolutè, & simpliciter propria munia exequerentur; sed ad hoc non sunt necessarij; ergo. Minor probatur, quia istorum ordinum munia etiã à laicis saltem validè præstari possunt; ergo? Respondetur negando maiorem, sufficit enim quod sint necessarij ad hoc vt illa munia ex officio exequantur; licet ergo laici possint Diaconi, & Subdiaconi officia peragere non tamè ex officio, seu vt ministri ad id consecrati, stabiliter, & per characterem, seu per potestatem perpetuam, &c.

24 Obijcies secundò, quia Subdiaconi ordinatione ab initio nascentis Ecclesiæ sacra habita non fuit, ergo non est sacramentum. Antecedens constat ex cap. *Nullus* dist. 60. & ex cap. *A multis*, de ætate, & qualitate ordinandorum. Respondetur Subdiaconi ordinationem sacram non fuisse habitam, non quia sacramentum non esset, & non haberetur vt tale, sed quia tunc temporis annexam non habebat

bebat castitatis seruandæ obligationem, quam modo habet, vt infra dicitur.

25 Obijcies tertio, quia ad hoc vt aliquid sit sacramentum debet potestatem conferre ad aliquod munus exercendum iure diuino; atqui horum ordinum munia iuris diuini non sunt, sed humani, sed Ecclesiae; ab Ecclesia namq; est institutio cantandi Euangelium, & epistolam &c. Respondetur quod Christus Dominus quando hæc duo sacramenta instituit, eorum officia in specie non determinauit, sed in genere tantum, quatenus Apostolos docuit, quod ad hæc sacramenta talè adhiberent materiam, & formam in illorum ordinatione, per quæ horum ordinum essentia sufficienter exprimeretur, & talem munium facerét designationem per quam horum ordinum natura dignosceretur.

26 Sed quæres, quo tempore hi duo ordines fuerint à Christo instituti? Respondetur quod in vltima cœna, per potestatem excellentiæ; simul enim dum consecrauit Apo-

stolos in sacerdotes, illos etiã in diaconos, & subdiaconos consecrauit, ita quod prius natura fuerint cõsecrati subdiaconi, deinde Diaconi, postea Sacerdotes.

27 Dico tertio, *quatuor minores ordines sunt verè, & propriè sacramenta.* Hæc conclusio est contra aliquos modernos, sequuti Vasquez disput. 237.c.2. qui putant quatuor minores esse solum officia per Ecclesiam instituta, characterem non imprimentia, per illa tamen homines moraliter perpetuò ad propria munia deputari; nec iterari posse, vt de prima Tonfura à nobis supra dictum fuit. Est tamen nostra conclusio communis, illam sequuntur Thomistæ post D. Thomam in 4. dist. 24. q. 2. ar. 1. quæst. 3. Bonau. art. 1. q. 1. Ricard. art. 3. quæst. 3. & alij scholastici, & Theologi communiter. Patet hæc conclusio ex Eugenij decreto, dum postquam definiuit ordinem esse sacramentum, & illius materiam esse id, per cuius traditionem ordo confertur, & postquam Presbyterati, Diaconati, & Subdiaconati

conati materiam assignavit, subdit: *Et similiter de alijs per rerum ad sua ministeria pertinentium assignationem*. Patet etiam hæc conclusio ex Tridétino sess. 23 cap. 2. ubi postquam dixit ordinem esse sacramentum, illud diuidit, in septem ordines enumeratos: videatur idem Conciliū c. 3. & can. 3. Nec valet dicere cū Vasquez Concilium noluisse hanc scholasticam dirimere controuersiam, sed solummodo quod negabant hæretici definire. Nam contra est, quia cum hæretici negarent omnes ordines esse sacramenta, & Concilium definiat, quod hæretici negabant, sequitur quod Concilij mens fuerit definire omnes ordines sacramenta esse; quod autem hæretici ordines præsertim minores negent esse sacramenta, patet, quia cum sacramenti rationem denegent maioribus, à fortiori denegāt minoribus. Videatur Calvinus lib. 4. *suarum institutionū* cap. 19. §. 22. ubi omnem ordinem negat esse sacramentum. Lutherus *de capt. Babilonica* cap. de ordine. Kemni-

tius *in examine* ad c. 2. Tridétini. Petrus Martyr. *in locis commu.* 3. clas. c. 8. num. 13. Spalatensis lib. 2. de Repub. Ecclesiast. c. 4. à num. 1. vsque ad 45. & alij. Ratio patet ex dictis, nam in horum ordinū collatione signum interuenit sensibile, nempe materia, & forma, quæ gratiam ordinato collatam significant. Igitur quatuor ordines minores sūnt verè, & propriè sacramenta characterem imprimētia, à Christo Domino in vltima cœna per potestatem excellentiæ Apostolis collata, & instituta, & adumbrata in locis q. præcedenti relatis.

28 Sed contra omnia dicta in hac quæstione, est primum argumētum, Quoniam si omnes ordines essēt sacramenta, sequeretur, quod sacramenta Ecclesiæ essent plusquam septem; hoc est cōtra Florentini, & Tridentini definitiones, & contra fidelium sensum, admittētium septem dumtaxat sacramenta; ergo. Maior ostenditur, nam si semel ordines sunt sacramenta, cum propriam habeant materiam, & formam, erunt ta-

lia completè, ex pluribus autem entibus in actu, seu completis, non potest fieri vnum per se, quis enim dicet quod sacerdotium, si semel est sacramentum non sit tale completè; idem dic de Diaconatu, & alijs; ac proinde, si ordines omnes sunt sacramenta integra, & completa, absolute, & simpliciter erunt plura sacramenta. Respondent aliqui omnes ordines esse sacramenta integrè, & completè, non tamen facere vnum sacramentum omnino per accidens, licet sint plura entia in actu; quia cum omnia ad vnum finem ordinentur, licet aliqua mediatè, alia immediatè, constituunt vnum sacramentum vnitatis ordinis, quæ ordinis vnitatis non est omnino per accidens, sed aliquo modo per se, cum vnitatis ordinis sit vera vnitatis, & per se, licet in ultimo perfectitatis, & vnitatis gradu. Sed contra hanc solutionem insurgit Nugnus q. 37. art. 2. quia Concilium 12, & Patres volunt sacramenta esse solum absolute, & simpliciter septem, si autem ordines plura essent sacramen-

ta completè, & vnum solum ordine, essent absolute plura quam septem; ergo. Quæ namque sunt vnum ordine, sunt plura simpliciter; & secundum quid vnum.

Respondetur ergo cum eodem Nugno, quod ordines sunt plura sacramenta completa materialiter, non formaliter; si namque vnusquisque ordo accipiatur prout dicit propriam formam, & materiam, quæ propriam gratiam causant, plura sacramenta completa sunt; si verò accipiatur per ordinem ad finem, quem inspicit, nempe per ordinem ad Eucharistiam, sunt plura entia partialia, pluraque partialia sacramenta, vnum integritatis, & complementis; ad eum modum quo consecratio panis, & vini secundum se, plura sacramenta sunt, & completa, in ordine tamen ad vnam conuiuij rationem, quæ inspicunt, vnum faciunt sacramentum; ad eum etiam modum quo præcedenti tractatu vnitatem explicuimus sacramenti Extremæ vnitatis.

29 Secundum argumentum:

tum: Vbi sunt plures characteres specie distincti, debent etiam esse plura sacramenta specie distincta, sed si ordines omnes essent sacramenta, darentur plures characteres specie distincti; ergo etiam plura sacramenta specie distincta. Maior patet, nam causa, per effectus, distinguntur; effectus autem huius sacramenti proximus, est character, ac proinde vbi erunt plures specie characteres, plures causa, seu plura sacramenta dari debent. Minor probatur, nam non videtur possibile, quod character, qui imprimitur hoc anno, sit ille idem numero, qui imprimetur anno sequenti; ex alia parte non potest esse alius, solo distinctus numero, cum plura accidentia solo distincta numero, in eodem subiecto simul esse nequeat. Nec valet dicere quod characteres sint plures specie materiali, non formali, eo quod unitatem habeant ordinis, & finis; nam contra est, quia videtur impossibile, quod inter ea, quae distinctissimis, ac distantissimis recipi possunt temporibus, ordinis unitas repe-

riatur; quæ namque unitas ordinis reperiri potest inter ordinem, qui suscipitur hodie, & alium, qui post sexaginta annos recipi ab eodem potest?

30 Respondetur datam sustinendo solutionem, dummodo ad sensum explicandum intelligatur. Ad probationem dico, quod cum ordo in characteribus & ordinibus sit essentialis, & intrinsecus, parum refert, quod vnus recipiatur statim post alium, vel post longissimum tempus, cum semper ordinatam, ad inuicem seruent ad Eucharistiam, habitudinem. Dixi dummodo illa solutio ad sensum explicandum intelligatur, quia non puto characteres multiplicari materialiter, seu entitatiue, sed modaliter dumtaxat, & sic res hoc modo se habet; per primum ordinem producitur entitas characteris, & primus modus extensionis, qui est spiritalis potestas, ad munia illius ordinis exercenda, per secundum ordinem non amplius producitur entitas characteris, cum iam producta reperiat, sed producitur secundus

cundus modus extensionis, & sic deinceps vsque ad vltimum, qui modi extensionis specie materiali ad inuicem distinguuntur, non formali, cū ratione ordinis ad Eucharistiam, sint vnum formaliter, & constituant vnum adequatum, & completum characterem, vt de sacramento ipso dicebatur in præcedentis argumenti solutione.

31 Sed quæres primò, qualis sit hæc diuisio, vniuocane, an analogae? Respondetur esse vniuocam, & generis in species, quilibet nãque ordo est verum sacramentum, licet sit sua diuersitas, nã vnum est alio perfectius, quãto magis ad sacramentum Eucharistiæ ordinatur. Alij dicunt esse diuisionem totius in suas partes, cum ordo vt sic, sit quoddam totum, & in suas partes diuidi dicatur, dū in alios ordines diuiditur, sed in idem reddit, vt considerãti patebit. D. Thomas art. 1. q. 37. ad 2. dicit ordinis diuisionem non esse totius integralis in suas partes, neque totius vniuersalis in suas, sed esse totius potentialis in suas

partes, cuius talis est natura, quod totum diuisum, secundum suam rationem completam, est in vno diuidente, in alijs vero, est solum secundū aliquam ipsius participationem, vnde hic tota sacramenti plenitudo in solo sacerdotio reperietur, in alijs vero ordinibus solum erit quædam sacramenti participatio. Hæc D. Thomæ doctrina, vt bene aduertit Nugnus, non procedit de ordine secundum sua essentialia, sed quoad rationem accidentalis perfectionis, secundum quam, ordinis diuisio, est totius potentialis; alioqui alij ordines infra sacerdotium, non essent vera sacramenta, sed solum aliquã sacramenti rationem participarent. Vel certè dicere possumus, quod dum D. Thomas dicit, ordinis diuisionem esse totius potentialis, loquatur de ordine in ratione sacri, quæ primò, & per se in sacerdotio reperitur, in alijs vero secundum participationē, sacerdotij; prout namque magis, vel minus ad sacerdotiū accedunt, magis, vel minus sacri dicuntur.

D

Quæ-

32 Quæres secundò, quomodo quattuor ordines minores dicantur non sacri, & primi tres sacri, cum tamen omnes sacramenta sint, & subindi omnes sacri? Respondetur quod omnes ordines secundum aliquam rationem sunt sacri, & non omnes sunt tales, secundum aliam rationem. Pro quo aduerte, quod tripliciter ordo dici potest sacer; primò ratione continentia; cum enim omnis ordo sit sacramentum, & hoc gratiam contineat (omnia namque sacramenta sunt gratia; causatiua) sequitur, quod omnis ordo secundum hanc rationem sacer sit, cum gratia sacratissima sit. Secundò ratione suæ essentia; qua sacramentum est, quod res sacra est. Tertiò ratione materia; circa quam versatur, & sic solum tres primi sacri sunt, quia versantur circa rem sacram, vel consecratam, nam sacerdos, actum habet circa corpus, & sanguinem Domini, ipsum consecrando. Diaconus, habet actum circa sanguinem, ipsum dispensando, & subdiaconus habet actum præparandi va-

sa sacra, ob id, istis continentia indicitur, vt sancti, & mundi sint, qui sancta tractant; ob eandem etiam rationem hi tres ordines sacri, Matrimonium impediunt contrahendum, & dirimunt contractum. Non sic minores, nec enim illis continentia indicitur, nec impediunt matrimonium, nec dirimunt. Videantur Canonistæ cap. *cleros*, cap. *perlectis*, & cap. *à multis*, de *ætat. & qualit. perfic.*

33 Quæres tertio, an ordo aliam habeat diuisionem? Respondetur duplicem aliam habere, prima est in maiores, & minores, de qua iam patet ex modo dictis. Alia est, qua diuiditur ordo, in ordines Hierarchicos, & non Hierarchicos. Hierarchici sunt Episcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus: nõ quod Episcopatus sit diuersum sacramentum à Presbyteratu, vt supra vidimus, sed quia alium constituit ordinem in ratione potestatis, secundum quam, est altior sacerdotio. Actiones hierarchicæ sunt purgare, illuminare, & perficere, quæ rectè Episcopo, Sacerdote, & Diacono

eono cōueniunt. Purgat Episcopus, quatenus peccata remittit; illuminat quatenus Euangelium prædicat; & perficit, quatenus ordines confert. Sacerdos purgat, & illuminat quatenus poenitentē absoluit, & instruit, & Euangelium prædicat: non tamen perficit, quia ordines non confert. Diaconus tantum illuminat, quatenus Euangelium prædicat: & sic ex illis tribus actionibus talis fit distributio, quod Episcopo omnes tres conueniant, Sacerdoti duæ, & Diacono vna; propterea Hierarchici Ordines vocantur; quatuor vero alij non Hierarchici sunt, quia nullam ex præfatis Hierarchicis actionibus eliciunt.

34 Sed dices, in ordine Hierarchico debere etiã poni Archiepiscopatū, seu Metropolitanatū, Patriarchatum, & Pontificatum, cum omnes isti gradus Ecclesiasticam cōponant Hierarchiam; ergo Malè ponuntur solum Episcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus. Antecedens ostenditur. Nam in Ecclesiastica Hierarchia certum est

Archiepiscopum esse supra Episcopum, nã Archiepiscopus dicitur quasi summus Episcoporum, & primas; quia debet præsidere Metropolitanis, & præfici; imò ceteris præsidet Episcopis, licet solū determinatis præficiatur. Patriarcha præponitur Episcopis, & Archiepiscopis, dicitur namq; Patriarcha quasi Episcoporum Princeps, & est post Pontificē auctoritate primus. Cardinales omnibus dictis præstant Dicuntur Cardinales quia sedi deseruiūt Apostolicæ, quæ est axis, & cardo aliarum Ecclesiarum cap. *sanctæ* 22. dist. Dicuntur pars corporis Papæ cap. *quisquis* 6. quæst. 1. quia sunt de senatu Pontificis; sicut senatores dicuntur pars corporis Principis L. *quisquis* ff ad leg. Iul. Dicuntur filij primi gradus, vt dicit Imola in c. *sacris* de poen. in 6. Tur. Crem. lib. 1. de sum. eccl. c. 80. dicit Cardinalium ordinem esse iure ceteris sublimiorem, eo quod Cardin successerint in consiliarios Papæ, Apostolorum loco. Alij tamen volunt tempore Siluestri incepisse, alij




parum ante, videatur c. *praesul* 2 q 5. & cap. à *Subdiacono* 93. dist. vnde dicunt vsque ad tēpora Clem. V. & Io. XXII. fuisse Episcopis inferiores, & quod post Episcopos subscribebant, & vsque ad Bonifacij tempora, Episcopi dum Cardinales fiebant deprimi videbantur, ita Ioan. And. in cap. *cum aliquibus*, de rescriptis in 6. Sed quidquid sit de Cardinalium origine, & antiquitate, modo certum est, nō alium cognoscere superiorē, nisi Papam, ac proinde ad dictam Hierarchiā debent pertinere.

35 Quod Pōtifex debeat ad Ecclesię Hierarchiam pertinere, non tamquam membrum, sed tanquam caput illius, patet, quia ordo importat praelationem, & subiectionē, in praelatione autem, sicut & in subiectione, non est dare processum in infinitum; ergo debet deueniri ad vnum, qui

sit omnium primus, iste est Pontifex summus; ergo.

Respondetur nos non assignasse ordinem Hierarchicū in sua vniuersalitate secundū quod dicit iurisdictionis potestatem, vel dignitatem, ad quā certum est omnes recensitos suo ordine pertinere, sed solum assignauimus ordinem Hierarchicum, secundum rationem sacramenti, & secundum potestatem ordinis, in quibus omnes dicti gradus cōueniunt; nam Papa quoad potestatem ordinis, & sacramenti, simplicem non excedit Episcopum, nec Sacerdotem, quoad potestatem iurisdictionis & dignitatē superat omnes; vnde sicut in Episcopatu, distinctus à sacerdotio nō imprimitur character, sed illius fit extensio, ita in Papatu non imprimitur character distinctus ab Episcopali, sed perfectissima fit illius extensio, &c.



## Q V A E S T I O V.

*Quanam sit singulorum ordinum materia,  
quaque forma.*

36 **H**æc quæstio ab ali-  
quibus cito expe-  
ditur dicendo, materiam re-  
motam singulorum ordinum  
illam esse, quæ ab Episcopo  
traditur, proximam esse ipsius  
materiæ remotæ traditionem;  
formam vero, esse verba illa,  
quæ ab Episcopo proferun-  
tur, dum materiæ facit tradi-  
tionem Nihilominus quia de  
hac re, non contemnendæ sūt  
difficultates, aliquantulum  
immorabitur, & incipiendo  
à materia, & forma *sacerdotij*,  
variæ sunt sententiæ.

Prima sententia est D Bo-  
nau. dist. 24. 2. p. art. 1. quæst. 4.  
vbi docet materiam proximam  
*sacerdotij* esse manuum im-  
positionem, & formam, illa  
verba, *Accipe Spiritum sanctum,*  
*quorum remiseras peccata, &c.*  
cuius fundamentum est, quia  
in Concilio Carthagin. IV. &  
apud antiquos Patres de hac  
sola manuum impositione fit

mentio, dum de Sacerdotis  
ordinatione loquuntur, tum  
quia manus sunt organum  
organorum, & instrumentum  
instrumentorum, ac proinde  
harum solum impositio, suffi-  
ciens erit, ad Sacerdotis po-  
testatem denotandam.

Secunda sententia est Du-  
randi quæst. 3. art. 2. Tapperij  
art. 17. Valentij disput. 9. q. 1.  
puncto 5. & aliorum dicentium  
totam materiam Sacerdotij  
esse traditionem calicis cum  
vino, & patenæ cum pane, &  
formam esse illa verba, *Acci-  
pe potestatem offerendi sacrifi-  
cium pro viuis, & defunctis.*

37 Tertia sententia est  
Bellarm. cap. 9. Vasquez di-  
sput. 139. Henriquez lib. 10.  
c. 6. Coninchi dub. 7. & alio-  
rum qui dicunt & calicis por-  
rectionem cum vino, &c. &  
manuum impositionem esse  
sacerdotij materiam.

Nostra sententia sequenti  
expli-

explicatur conclusione. *Sola calicis cum vino, & patena cum pane porrectio, est de essentia sacerdotij cum forma sibi respondente, scilicet Accipe potestatem offerendi &c. At vero manuum impositio, cum verbis: accipe Spiritum sanctum, quorum &c sunt solum de complemento, perfectione, & integritate sacerdotij.* Vnde si Episcopus sacerdoti manus non imponat, per primam materiam, & formam fit verè & essentialiter sacerdos, cum sacerdotij sacramentum recipiat; non tamen poterit à peccatis absoluerè, cum sibi desit hæc potestas, quæ sacerdotij sacramenti est complementum, & perfectio. Hæc conclusio est D. Thomæ q. 37. ar. 5. supplem. ubi loquens de sacerdotio, & quando conferatur, habet. *Potestatis collatio fit per hoc, quod datur eis aliquid, quod ad proprium actum pertinet, & quia principalis actus sacerdotis est consecrare corpus, & sanguinè Christi; ideo in ipsa datione calicis sub forma verborum determinata character sacerdotalis imprimitur.* Vides quo-

modo D. Thomas vult sacerdotalem characterum in sola calicis porrectione imprimi, ac proinde tunc solum sacerdotij sacramentum causari, cum character non nisi per sacramentum causetur. Videatur Nugnus ibidem, ubi contrariorum obiectis doctè satisfacit.

38 Probatur primò. Quoniam Sacerdotes in sua ordinatione verè celebrant, ut omnes admittunt, cum simul cum Episcopo consecrant, & de cōsecratis communicent. Atqui novi sacerdotes dum cum episcopo consecrant nō dum manuum receperūt impositionem; ergo ante illam, sunt veri Sacerdotes, ac proinde per solâ calicis, &c. porrectionem fiunt Sacerdotes, per veram eiusdem sacramenti receptionem: si enim consecrationis tempore, quod est ante manuum impositionem, quis Sacerdos non esset, cum Episcopo consecrare nō posset, nec tunc diceretur sacrificare, & primam missam celebrare.

39 Probatur secūdò, quia de essentia sacramenti Ordinis

nis est, quod potestas recipiatur per ordinem ad Eucharistiam, vt patet ex eius definitione, & omnes admittunt; sed potestas, quæ confertur per manuum impositionem, & formam sibi correspondentem, non est per ordinem ad Eucharistiam, seu ad corpus Domini verum, sed mysticū, cum sit potestas non consecrandi, sed absoluendi, ergo non pertinet essentialiter ad sacramentum Ordinis, pertinet tamen integraliter, tanquam complementum illius, ad eum modum, quo satisfactio est pars integralis pœnitentiæ. Vnde si manuum impositio ommitteretur suppleri deberet ne sacerdotij sacramentum truncum, mutilumq; maneret, sine sua perfectione, & complemento; maxima namque est sacerdotij perfectio, quod absoluendi recipiat potestatem, & quod ille, qui recepit potestatem in corpus Domini verum, recipiat etiam in mysticum.

40 Probatur tertio, quia Apostoli, Sacerdotes ordinati fuerunt in cœna, & potestatem absoluendi solum post resur-

rectionem receperunt; Atqui nemo dicet, quod Apostoli in cœna, post illorum consecrationem non fuerint veri, & perfecti essentialiter sacerdotes; ergo. Vnde merito in Concilio Florentino pro consecrando Sacerdote nulla fit mentio impositionis manuum, sed solius traditionis calicis cum vino, &c. verba Florentini sunt. *Sextum sacramentum est Ordo, cuius materia est illud per cuius traditionem confertur ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patena cum pane porrectionem.* Soluuntur argumenta in contrarium.

41 Primum argumentum est. Per manuum impositionem infunditur gratia, & datur character; ergo verum conficitur sacramentum, saltem parziale, quod vna cum præcedenti adequatum, & essentialiter perficiet sacerdotij sacramentum. Consequentia tenet, nam vbi est signum sensibile causans gratiam, imprimensque characterem, ibi sacramentum esse debet, & cum non possit manuum impositio, esse aliud adequatum  
à præ-

à præcedenti distinctum, saltem debet esse nouum partiale, cum habeat partialem materiam, partialemque formam. Antecedens probatur. Nam gratia per verba significatur, cum dicitur: *Accipe Spiritum sanctum. &c.* Character etiam imprimi debet cum noua detur absoluendi potestas.

42 Respōdetur quod quando fit manuum impositio, noua quidem confertur gratia, non tamen nouus character infunditur, & sic nec nouus fit ordo, etiam partialis, nec nouum sacramentum etiam partiale. Confertur gratia ex opere operato, non quia sit sacramentum, vt dictum est, sed quia est sacramenti complementum, & pars integralis illius, ad eum modum, quo diximus, satisfactionem sacramentalem, nouam producere gratiam; non imprimitur nouus character, sed prior perficitur, quia completur per nouæ potestatis additionem; quod autem non sit manuum impositio, Ordinis sacramentum etiam partiale patet, quia potestas ibi col-

lata ad corpus Domini verum non ordinatur, sed ad mysticum, vt iam dictum est. Aduertit Nugnus quod character sacerdotalis non perficitur, vel completur per additionem potestatis physicæ, sed moralis dumtaxat, quod non placet, quia puto absoluendi potestatem physicam esse, & sacerdotem dum absoluit, non solum moraliter facere peccatorum destructionem, & gratiæ productionem, sed physicè, non principaliter, sed instrumentaliter, vt in trac. de Pœnit. est dictum.

43 Secundum argumentū est; quia olim sacerdotium conferebatur per solam manuum impositionem, vt habetur in Concilio Carthaginensi 4. can. 3 & tradunt cōmuniter sancti Patres, Dionysius, Clemens, Damasus, Augustinus, & alij apud Bellarm. cap. 9. de Ordine: Imò nunc in Ecclesia Græca id ipsum præstatur sciente, & approbante Pontifice, vt constat ex Bulla Clement. VIII. 1595. 31. Augusti, & obseruatur hic Romæ in Græcorū Eccle-

Ecclesia. Nam ordinator Episcopus imponit supra ordinandum manus, & dicit: *Diuina gratia, qua semper infirma sanat, & qua defuncti supplet, creat, seu promouet N. venerabilem Diaconum in Presbyterum. Oremus igitur pro eo, &c.* sine vlla calicis traditione; ergo.

44 Respondetur ex multis dictis, quod Christus Dominus non determinauit materiam, & formam sacramenti ordinis in specie, sed solum in genere, quatenus monuit Apostolos, quod per talia instrumenta, & verba, ordines conferrent, per quæ sufficienter illius ordinis potestas exprimeretur. Vnde in primitiua Ecclesia fuit determinata manuum impositio pro vtraque conferenda potestate, qui mos adhuc in Græca Ecclesia perseverat; Latina autem, vt maiorem faceret vtriusque potestatis expressionem, retinuit pro conferenda absoluendi potestate, manuum impositionem, & addidit, vel nouam deputauit materiam pro conferenda potestate sacerdotali, in cor-

pus, nimirum, Domini verum.

45 Tertium argumentum desumit Bellarm. ex Tridentino Concilio sess. 14. c. 3. de Extrema vnctione vbi dicitur quod huius sacramenti ministri sint Episcopi, aut Sacerdotes ab ipsis ritè ordinati, per impositionem manuum Presbyterij, & sess. 23. can. 4. dicitur: *Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde Episcopum frustra dicere, Accipe Spiritum sanctum, anat hema sit.* In quibus locis satis apertè colligitur, manuum impositionem ad sacerdotij essentiam pertinere.

Respondetur Concilium solum velle, id quod nos admittimus, nempe debere sacerdotem, etiam manuum impositionem accipere, ne sacramentum mutilum, truncumque maneat; & quod talis manuum impositio, gratiam conferat.

46 Circa materiam & formam Diaconi variæ etiã sunt scribentium sententiæ; nam Medina lib. 1. de continentia, cap. 39. docet materiam proximam ordinationis Diaconi

in tribus traditionibus sitam esse, scilicet in traditione stolæ, Dalmaticæ, & libri Euangeliorum, cum formis correspondentibus. Sed hæc sententia quoad stolæ & Dalmaticæ traditionem, ab omnibus reicitur, cum illæ traditiones ceremoniales sint, non essentielles: Durandus q. 3. & alij post ipsum putant, totam ordinationis Diaconi materiam in sola manuum impositione sitam esse, ita enim innuitur in Concilio Carthag. IV. ita erat in vsu in primitiua Ecclesia, & ita est vsus Ecclesiæ Græcæ, per Clem. VIII. supra, approbatus. Bellarm. vbi supra, Coninchus dub. 7. Laymanus cap. 5. & alij ex societate, putant, materiam proximam ordinationis Diaconi esse duplicem partialem, vnâ totalem integram, scilicet manuum impositionem, & libri Euangeliorum traditionem.

47 Nostra sententia sequenti explicatur cōclusionem. *Materia proxima, & adequata Diaconi, est sola libri Euangeliorum traditio; & manuum impositio, est quadam eiusdem ordinis perfectio, & completē-*

*tum.* Hanc conclusionem habet S. Doctor loco citato ad 5. Illam tenet Nugnus supra, Vasquez disput. 238. cap. 4. & alij cōmuniter: & ita expressè habetur in Eugenij decreto. Et ratio est, quia vt dicit D. Thomas per libri Euangeliorum traditionem, & per verba ipsi correspondentia, omne Diaconi ministerium denotatur.

48 Quod autem Apostolorum tempore, & modo in Ecclesia Græca, diaconatus per solam manuum impositionem conferatur, parum refert; nam vt de sacerdotio dicebatur, Christus nō assignauit huius sacramenti materiam, & formam in specie, sed solū genericè, determinandam postea ab Ecclesia, quam determinationem fecit Ecclesia tempore illo ad manuum impositionem, postea vero ad maiorem huius sacramenti expressionem faciendam, Euangelij librum determinauit, relinquendo manuum impositionem ad significandam huius sacramenti integritatem; nam per manuum impositionem, gratia Diacono confer-

tur

tur ad robur, ad resistendum diabolo, & tērationibus eius, ut patet ex verbis, quæ tunc dicuntur scilicet: *Accipe Spiritum sanctum ad robur, & ad resistendum diabolo, & tērationibus eius.* Nota tamen quod licet huius sacramenti character in libri Euangeliorum traditione consistat, non tamen principalis Diaconi actus consistit in Euangelij cantatione, sed in hoc, quod est sacerdoti deferre in portatione corporis in patena, vel pixide, & dispensatione sanguinis; unde in missis cā-ratis, Diaconi muneris est sacrarium aperire, & sacramētum extrahere, & deferre, ut à Sacerdote, fideles communicentur, & ad altare pixidem deferre, & illam cum sacramento in sacrario recondere, quia tamen hic actus non ita facile potest per aliquā materiam exprimi, ideo liber traditur Euangeliorum, ut actus primarius inuoluatur, & secundarius explicetur. Hac omnia docet D. Thomas ubi supra ad 5. ubi ita sapienter loquitur. *Potestas Diaconi est media inter potestatem Subdia-*

*coni, & Sacerdotis; Sacerdos enim habet potestatem super corpus Christi; Subdiaconus autem supra vasa tātum, Diaconus super corpus in vase contentum. Unde eius non est tangere corpus Christi, sed portare corpus in patena, & dispensare sanguinem cum calice; & ideo eius potestas ad actum principalem non potuit exprimi, nec per dationem materia; sed exprimitur potestas eius ad actum secundarium, in hoc quod datur ei liber Euangeliorum, & in hac potestate intelligitur alia: & ideo in ipsa libri datione imprimitur character.*

49 Circa Subdiaconi materiam & formam, est etiam opinionum diuersitas; nam Viguerius in instit. c. 16. §. 6. putat materiam proximam ordinationis Subdiaconi in sola libri Epistolarum traditione consistere, & formam in verbis, quæ tunc temporis ab Episcopo dicuntur; cuius ratio est, quia sicut Diaconi est Euangelium legere, ita Subdiaconi Epistolam; ergo sicut Diaconi ordinatio in libri Euangelij traditione consistit, ita & Subdiaconi in



traditione Epistolarum. Medina lib. 1. de continentia c. 44. Fornarius de ordine, c. 2. Tannerus disput. 7. q. 2. dub. 3. putant consistere in libri Epistolarum traditione, & simul in traditione vasorum, nempe calicis vacui, & patenæ vacuæ.

50 Nostra sententia sequenti explicatur cōclusionē. *Subdiaconi ordinatio consistit solū essentialiter in traditione calicis vacui, & patenæ vacuæ. Traditio vero libri Epistolarū est solum complementum, & pars integralis, data ad explicandum actum secundarium Subdiaconi.* Hæc conclusio est expressa D. Thomæ in verbis supra relatis, & illam docent Thomistæ & alij communiter. Ita habetur in Eugenij decreto; & quia per talē traditionem propria Subdiaconi potestas, propriusque, actus explicatur: per quæ patet ad Vigerij rationem, non enim proprium Diaconi officium est Euangelium legere, vel cantare, sed ideo illa materia traditur, quia alia idonea non inuenitur ad explicandū eius actum primarium, & sic

vtimur materia, quæ deseruit ad explicandum actum secundarium; at vero in Subdiaconatu illam habemus, ob quod illam assignamus. An autem calix, & patena, quæ Subdiacono in sua ordinatione porriguntur, debeant esse cōsecrata. Negat Henriquez lib. 10. cap. 5. affirmat Silvester V. ordinatio; sed fortè iste loquitur non de necessitate absoluta, sed ratione vsus Ecclesiæ, de necessitate namque absoluta, non videtur verum, cum in nullo Concilio talis consecratio præscribatur.

51 Circa minorum ordinum materiam, & formam, conueniunt Theologi, materiam proximam *Ostiarij* esse clauium Ecclesiæ traditionē, & formam, verba tunc ab Episcopo prolata. Et materiam proximam Ordinis *Lecloris* esse traditionem libri lectionum, qui lectionarius noncupatur, formam esse verba sub quibus fit. Et materiam proximam *Exorciste* esse traditionem libri exorcismorum, & formam esse verba correspondentia. Quæ omnia constat, ex Eugenij

genij decreto, & ex Pontificali Romano, & ex ratione ipsa, nam per dictarum materiarum traditiones, & per formas correspondentes, illorum ordinum potestates denotantur; ergo.

52 Nonnulla difficultas est de materia, & forma *Acolyti*. Nam Bonavent. dist. 24. par. 2. dub. 3. putat esse traditionem candelabri cum cereo extincto, & formam verba correspondentia; quam sententiam sequitur Ricardus art. 4. q. 3. Angelus *V.ordo* nu. 4. & alij. Vasquez, Tannerus, & alij vbi supra, putant esse candelabri vt supra, traditionem, & vrceoli, vel vrceolorum vacuorum porrectionem. Sed verior est D. Thomæ sententia, quod in sola vrceoli, vel vrceolorum vacuorum traditione, & in verbis correspondentibus huius sacramenti materia, & forma consistant. Ita enim loquitur D. Thomas loco citato ad 6. *principalior actus Acolyti est quo ministrat in vrceolo, quam quo ministrat in candelabro, quamuis denominetur ab actu secundario, propter*

*hoc, quod est magis notus, & magis proprius ei: & ideo in datione vrceoli imprimitur Acolyto character, virtute verborum ab Episcopo prolatorum.*

53 Sed hic obiter quæret aliquis, quænam sit materia proxima, & essentialis, quænamuè forma Episcopi consecrandi? Respondetur materiam esse vnctionem capitis & manuum, chrismate factâ, & formam esse verba correspondentia ab Episcopo vngente, qui consecrator dicitur, prolata. Pro quo nota, ad Episcopi consecrationem tres actiones concurrere. Prima est manuum impositio super caput Episcopi noui, facta à tribus Episcopis, qui in tali ordinatione non ex necessitate sed ex præscripto Romani Pontificalis debent interuenire & simul dicunt. *Accipe Spiritum sanctum;* & in hac actione Episcopi consecratio nequit interuenire, cū per talem actionem, in Pontificali non dicatur, recens Episcopus, consecratus, sed electus. Secunda actio, est vnctio dicta, per Episcopum consecratorem facta, & ab eo sequen-

sequentia proferuntur verba: un-  
gatur, & consecratur caput  
tuum cœlesti benedictione in  
ordine Pontificali in nomine  
Patris, & Filij, & Spiritus san-  
cti. Item ungantur manus  
istæ de oleo sanctificato, & chris-  
mate sanctificationis, sicut unxit  
Samuel David Regem, & Pro-  
phetam: ita ungantur, & con-  
secrentur in nomine Dei Patris

& Filij, & Spiritus sancti.  
Tertia actio, est traditio ba-  
culi Pastoralis, annuli, & li-  
bri Euangeliorum cum ver-  
bis correspondentibus, & ex  
istis tribus actionibus in sola  
secunda, Episcopi consistit cō-  
secratio, aliæ vero duæ ad  
complementum, perfectio-  
nem, & integritatem Episco-  
patus pertinent.

## Q V A E S T I O VI.

*An sit de necessitate sacramenti, quod ordinan-  
dus tangat physicè suæ ordinationis  
materiam.*

54 **A**Ntequam ad dif-  
ficultatis punctū  
deueniamus, ea supponen-  
da sunt in quibus nulla, vel  
parua est inter Theologos  
difficultas, sed vel omnes,  
vel fere omnes conueniunt.  
Suppono ergo primò esse de  
necessitate præcepti, quod  
Ordinandus physicè tangat  
suæ ordinationis materiam, ita  
deducitur ex Concilio Car-  
tag. IV. can. 5, 6, & 7, vbi  
non solum dicitur, quod Or-

dinator materiam, vel instru-  
mentum porrigat ordinando,  
sed etiam de ipso ordinando  
dicitur: *Accipiat subdiaconus  
&c.* quo loquendi modo vti-  
tur Pontificale Romanum, vbi  
ventum est ad instrumenti  
traditionem ab Episcopo fa-  
ctam dum dicit de Ordinan-  
do *Accipiat. &c.*

55 Suppono secundò, quod  
dato physico contractu, ne-  
cesse non est, quod simul, &  
semel mathematicè fiat cum  
for-

formæ prolatione, sed sufficit, quod sit simul moraliter, idest, quod ponatur, vel parū ante, vel parum post eiusdem formæ prolationem, quia sic sufficienter, materia, & forma coniunguntur, & ab inuicem determinantur.

56 Suppono tertio, quod licet optimum consilium sit, vt qui ordinatur, totam suæ ordinationis tangat materiã immediatè id tamen, in omnium sententia, necessarium non est, sed sufficit tangere aliquid illius, vel partè. Vnde sacerdos in sua ordinatione non tangit vinum immediatè sed solum calicem: ex necessè non est, ob eandem rationem, tangere immediatè panem, sed sufficiet mediatè, vel tangendo patenam, vel secundum aliquos solum calicem, quia medio calicis contactu, sicut censetur tangere vinum, in eiusdem calicis fundo, positum, ita censetur tangere panem supra eundem calicem collocatum, quod certè mihi valde rationabile videtur. Nec puto Christum Dominū alium requisuisse cōtractum, nec Ecclesiam requirere, sub

gravi saltem obligatione.

57 Suppono quarto, esse de ordinationis essentia, quid quid in contrarium dixerint aliqui, quod ordinator Episcopus, per se ipsum instrumenta porrigat illi, quem ordinat per illorum traditionē. Ita habetur in Concilio Carthaginensi citato, vbi statuitur, quod ordinandus suæ accipiat ordinationis materiam *de manu Episcopi*. Cum enim Episcopus sit huius sacramenti minister, modo infra explicando, ab eo debet materia applicari, vt est generale in omnibus sacramentis in vsu existentibus, quod materię applicatio fiat ab eodem sacramenti ministro. Ob hanc rationem Clem. VIII. statuit quod hoc modo ordinati ab Episcopo Sagiensi sub conditione reordinarentur. In his conueniant Theologi difficultas solum est, an quoad sacramenti valorem, contactus sufficiat moralis, an phisicus requiratur.

Prima sententia quam omnium primus tenuit Magnus Albertus in 4. dist. 24. art. 38. ad 2. cuius meminit D. Thomas

mas eadem dist. q. 1. art. 1. quæstion. 5. ad 3. licet ob sui magistri reuerentiam illum non nominauerit, est, quod moralis sufficiat contactus. Hanc sententiam non improbat D. Thomas loco citato, licet (& merito) opposita sibi verior videatur. Angelici verba postea pro nostra conclusionem referentur. Hanc eandem sententiam sequuntur plures moderni, quos longa manu refert Diana de sacrament. resol. 183.

58 Nostra sententia sequenti explicatur cõclusionem. *Ordinandus physicè tangere debet suæ ordinationis instrumenta.* Hanc conclusionem habeo ex D. Thoma loco citato vbi sic habet. *Sustinendo illud dictum (quod nimirum contactus physicus nõ requiratur) apparet ex dictis causa eius; quia enim potestas ordinis non accipitur à materia, sed à ministro principaliter, ideo porrectio materia magis est de essentia sacramenti, quam tactus tamen ipsa verba formæ videntur ostendere, quod tactus materia sit de essentia sacramenti, quia dicitur Accipe hoc,*

*vel illud.* Vbi vt vides vtriusque sententiæ assignat fundamentum. Primæ quidem quia ordinis potestas non accipitur à materia, sed à ministro porrigente materiã, ideo hoc videtur sufficiens, sine suscipientis contactu. Secundæ quidem, quia verba formæ videntur materiæ contactum requirere, & hanc, vt vides, sequitur D. Thomas cū sit verior, & probabilior, licet opposita sua non careat probabilitate. Vnde D. Thomam sequuntur eius discipuli Caietanus quodlibeto 1. q. 16. & tom. 1. opusc. trac. 16. Victoria in summa q. 230 Sotus, Ioannes de la cruz, & alij quos refert Diana loco citato.

59 Probatur primò ex decreto Clem. VIII. qui, vt refert Isamb. disput. 3. art. 8. iussit re ordinari, sub conditione saltem, eos qui à Sagiè si Episcopo per solã materiæ porrectionem, sine ordinandorũ contactu, ordinati fuerunt; quod non fecisset Pontifex; si opposita sententia in bono fundaretur fundamento.

Probatur secundò ratione desumpta ex citato D. Tho-

mae testimonio. Quoniam materia cuiusque sacramenti, talis esse debet, quod practice simul cum forma significet proprium, & primum illius sacramenti effectum, & sic etiam huius sacramenti materia proxima, talis debet esse, ut practice significet potestatem in sacramento collatam; atqui haec per solam Episcopi porrectionem sine physica ordinati acceptione non significatur; ergo debet dari physica materiae acceptio, ac proinde contactus requiretur physicus. Minor probatur, quia potestas, quae in hoc sacramento, ordinato conferitur, est potestas actiua physica cum haec ex parte ordinati non significetur per solam moralem acceptionem; ergo. Minor probatur, nam moralis acceptio, moralem signat potestatem, non physicam, & physica acceptio physicam denotat potestatem; ergo cum hic physica detur potestas, etiam physica dari debet acceptio. Vnde patet nullius roboris esse illorum responsionem, qui dicunt, quod sicut quis censetur equum

oblatum acceptare, etiam si illum non tangat, ita etiam ordinandus censetur acceptare instrumentum ab Episcopo porrectum etiam si illud non tangat. Patet inquam hanc solutionem nullam esse ex dictis, nam acceptans equum, non acquirit per talem acceptionem, physicam aliquam potestatem, sed moralem dumtaxat; at in nostro casu ordinatus, physicam acquirit potestatem, physice causatam a signo sensibili, quod coalescit ex instrumenti porrectione, & acceptione.

60 Probatur tertio. Nam in Apostolis quando in ultima coena a Christo Domino sacerdotes ordinati fuere, non solum intercessit traditio calicis, & panis ab ipso Christo facta, cum dixit: *Accipite, & bibite ex eo omnes & c.* verum etiam verus intercessit contactus physicus, nam acceperunt re vera calicem, & panem, quia re vera manducauerunt, & biberunt, ergo etiam quando noui ordinantur sacerdotes, debent saltem calicem tangere, ut saltem eo medio

vinum inclusum, & panis superpositus tangantur. Solutur argumenta in cōtrarium.

61 Primum argumentum est. Si physicus contactus necessarius esset ex parte ordinandi, maximè vt eo medio acceptet potestatem in illo ordine datam, & in illam cōsentiat; Atqui ad hoc non requiritur; ergo. Maiorem supponit Vasquez cuius est argumentum, & minorè probat ait efficaciter; nā vt D. Thomas & ceteri scholastici, & Theologi qui contactum requirunt physicum, admittunt, potest Episcopus, puerū ante rationis vsum, validè etiam in Sacerdotem ordinare, & tamen in illo nulla esse potest potestatis acceptatio, nullus consensus, ac proinde nullus physicus requiretur cōtactus. Ob hoc argumentum miratur Vasquez quomodo Diuus Thomas, & alij velint posse puerum valide ordinari, & quod physicus requiratur contactus.

Respondetur negādo maiorem, non enim physicum requirit contactum D. Thomas, & alij ad hoc vt potestas

in ordine tradita acceptetur, vel ad hoc vt ordinatus in suam consentiat ordinationē, cum in omnium sentētia dari possit consensus, sine physico contactu, vt in matrimonio, & in contractibus omnibus contingit sed ideo physicus requiritur contactus, vt verba formæ verificentur vt iam probauimus; in rebus namque manualibus practicè non verificantur hæc verba, v. g. *Accipe hunc panem*, nisi ille re vera accipiat, cum practicum huius verbi *Accipe* fit re ipsa rem accipere. Nec Vasquez miraretur de Diuo Thoma, & alijs si vidisset Clem. VIII. decretum supra citatum, vbi statuit talem ordinationem sine physico contactu factam, refici debuisse. Pueri autem ordinatio valida esse potest, quia physicus adesse potest contactus.

62 Secundum argumentum. In Concilio Florentino solum dicitur, quod Presbyteratus traditur per calicis cū vino, & patenæ cum pane porrectionem, ergo non debet addi physicus ordinandi contactus; Imò neque ex Pōtifi.

tiicali Rom. colligitur phy-  
fici contactus necessitas, cum  
solum dicatur, quod ordinā-  
ditangere debeant, non ta-  
men ponit verbum aliquod  
per quod talis contactus ne-  
cessitas requiratur.

Respondetur talem conta-  
ctus physici necessitatem suf-  
ficienter colligi ex prædicta  
instrumentorum porrectio-  
ne, cum enim hæc practica  
sit, physicum afferre debet  
accipientis, vel acceptantis  
consensum. Vnde sicut in  
Baptismo, Confirmatione, &  
Extrema vnctione, physicus  
materiæ requiritur cōtactus,  
quia alioqui verba formæ,  
suam practicè non haberent  
significationem, sed vel nul-  
lam, vel trūcam, & mutilam;  
ita in nostro casu physicus  
requiretur contactus materiæ  
traditæ, vt verba formæ; per-  
fectam, & completam, non  
truncam, habeant practicam  
significationem. Vnde infer-  
tur nostram sententiam non  
solum esse probabiliorem, ve-  
rum etiam tutiorē, & in praxi  
sequēdam, & oppositam pa-  
rum, aut nihil deseruire, cum  
& eius auctores multi velint

fic ordinatos, debere saltem  
sub conditione reordinari, &  
licet aliqui illorum velint sic  
ordinatum, extra Sacerdotiū,  
non debere ex necessitate re-  
ordinari, sacerdotem tamen  
reordinari debere, nec posse  
sic confessiones audire extra  
necessitatis casum, nec posse  
stipendia pro missis accipere,  
eo grauissimo durante impe-  
dimento. Nec placet quod  
aliqui volunt, posse talem sa-  
cerdotem non reordinari,  
dummodo nec confessiones  
audire velit, nec stipendia  
pro missis accipere, cum non  
videatur licitum ad sacramē-  
torum maximum accedere,  
nec diuinissimum conficere  
sacrificium, cum sola pote-  
statis probabilitate de illo  
ponendo.

63 Sed quæres primò, an  
ille ordinaretur sacerdos cui  
calix sine vino porrigeretur,  
& patena cū hostia; vel e con-  
tra, cui porrigeretur calix cū  
vino, & patena sine hostia, ca-  
sus potest faciliter occurrere,  
vt si ministri obliuiscantur  
ponere vinum in calice, vel  
loco vini ponant aquam, vel  
vt aliquando contigit, ace-



tum? Respondet Diana de *sacram* resol. 186. post Henriquez & alios talem esse verè ordinatum, & rationem assignant, quia non datur potestas diuina in vnâ speciè, & postea in aliam, sed simul; & potestas vnius specièi, est etiam alterius, & sic, qui potest vnâ consecrare, poterit, & aliam. Verius tamen videtur, quod eo casu fiat sacerdotis reordinatio, sub cōditione, vt docet Villalobos ibidem, & testatur sic indicasse Doctores Salmanticæ vniuersitatis, in facti contingentiâ; & merito, quia Florentinum vtramque materiâ requirit; & potestas Sacerdotalis ad vtramque distinctè extenditur.

64 Quæres secundo, an sacerdos ordinatus cum calice, & patena non consecratis debeat reordinari? Respondetur negatiuè, ratio est, quia materia propria Sacerdotis non est calix, & patena, sed panis, & vinum, ac proinde dicunt plures, validam fieri ordinationem, si Episcopus porrigeret sacerdoti panem, & vinum, in alijs vasis; sicut

.n. consecratio vini fieri validè potest extra calicem, vt omnes volunt, ita & ordinatio; vnde si Episcopus traderet vinum in alio vase, & panem manibus &c. valida fieret sacerdotis consecratio. Deinde, quia nullibi præscribitur, quod calix, & patena debeant esse consecrata, vt fiat Sacerdotis, vel Subdiaconi ordinatio; ergo. Vnde si contingeret casus, quod quis Ordinaretur in calice, vel patena non consecratis, non deberet fieri reordinatio, cum sacerdotis potestas circa vasa non versetur, sed circa panem, & vinum, & in tantum vasa requiruntur in quantum requiritur aliquid per quod materiæ illæ præbeantur, & sic puto, quod si quis Episcopus illas præberet materias tangendas super altare, quia ibi poneret panem, & spargeret vinum, & inibi ab ordinando tangerentur, non deberet reordinari.

65 Quæres tertio, an dubitans de sui ordinis validitate teneatur reordinari? Respondetur affirmatiuè, quicumque sit ordo ille, de quo est

est verum dubium; vt si quis ordinem in dubia recepisset materia, siue quia de sua dubitat intentione, &c. Ratio est, quia tunc possessio, & presumptio stat pro ordine, ac proinde certò poni debet. Si autem verum non esset dubium, sed opinionum varietas, de ordinis validitate; tunc puto, Sacerdotium (& idem est de Episcopatu) debere omnino iterari, & ratio est, quia opinionis probabilitas stare potest cum deceptione, seu cum ordinis nullitate; probabilitas namque opinionis licet tribuat iurisdictionem, non facit ordinem, alias nullum, validum esse, vt omnes tradunt; sicut nec alia sacramenta; & sic teneretur ille talis, talem ordinem denuò sub

conditione suscipere; alioqui exponeretur sacerdos periculo non consecrandi, non absoluedi, &c. & Episcopus periculo exponeretur non ordinandi, non confirmandi, &c. At ordines inferiores iterari non debent, cum non sint ita necessarii vt sacerdotium, & aliunde Sacerdotalis dignitas cum sit excelsior inferioribus, poterit illos supplere. Nota tamen, non debere confessarium v.g. vel Episcopum ita facile credere ordinato, quod receperit sacerdotium cum dubio, &c. quod tetigerit, vel non tetigerit, &c. quia multoties sollicitudo, vel timor tangendi instrumenta, facit credere non tetigisse. vel dubitare, &c.

## Q V A E S T I O VII.

*An vnus ordo sit alio superior, digniorque.*

66 **C**ertum est inter catholicos, vnum ordinem esse alio superiorè, præsertim sacerdotalem, hic enim dup. icem tribuit excel-

lentissimam potestatem, in corpus nimirum Domini verum, & mysticum, quam, ordines alij, non tribuunt: inter ordines autem, infra sacerdo-

cerdotalem, maior, vel minor dignitatis excessus reperitur, secundum quod magis vel minus ad sacerdotium appropinquant, vt Diaconus, Subdiacono præcedit, iste Acolyto, &c. vt ex dictis liquet, & ex dicendis de singulorum Ordinum officis, magis patebit. Difficultas solū est, quæ hic à Theologis tractatur, an Episcopatus sit sacerdotio, diuino iure, seu ex diuina institutione, vel ex propria natura, & conditione, superior.

Prima sententia fuit Arij vt refert D. Augustinus cap. 53. de hæresibus qui volebat Episcopos esse omnino sacerdotibus simplicibus æquales. Arium sequuti sunt postea Vuicleph. & sequuntur omnes ferè nostri temporis hæretici.

67 Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Episcopi sunt diuino iure sacerdotibus superiores.* Hæc conclusio est de fide, definita demum in Tridentino sess. 23. can. 7, vbi dicitur: *Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non*

*habere potestatem confirmandi & ordinandi, vel eam quam habent, illis esse cum Presbyteris communem, &c. anathema sit.*

68 Probatur primò conclusio ex illo actuum Apost. 20. vbi D. Paulus alloquens Asiæ Episcopus ait: *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Certum autem esse debet, quod in illo grege, etiam simplices esse debebant sacerdotes, quibus Episcopi præerant, quosque regebant, & hoc diuino iure, cum non ipsi essent intrusi, sed à Spiritu sancto positi, &c. Idem habetur 1. ad Timo 3. vbi Apostolus ipsum alloquens Timotheum, vt Episcopum, & ipsum instruens quomodo se gerere debebat, quando apud ipsū accusabantur Presbyteri, dicit: *aduersus Presbyterum accusationem recipere nisi duobus, vel tribus testibus.* vbi vt vides vult Apostolus, Episcopum esse Presbyterorum superiorem, cum possit illorum recipere accusatio-

fationes, & corrigere, & punire, si delinquentes, per duos, vel tres testes rependantur.

69 Probatur secundò quia Episcopi habent potestatem corrigendi, puniendi, excõmunicandi, absoluendi Presbyteros; ergo sunt illis superiores. Antecedens patet ex mox citato Apostoli testimonio. Consequentia probatur, nam inferioris in superiorem nõ datur potestas, nec æqualis in æqualem, sed omnis potestas ad inferiores extenditur; ergo si Episcopus potestatem habet regendi, corrigendi, absoluendi, &c. Presbyteros, debet esse illis superior.

70 Probatur tertio, quia Episcopus habet totum id quod habet Sacerdos, habet namque potestatem ordinis secundum quam ad corpus Christi immediatè conficiendum extenditur, cum & ipse Sacerdos sit; & insuper habet Ordinis potestatem secundum quod potest alios in sacerdotes consecrare, quod nõ potest facere sacerdos, saltem

potestate ordinaria, an autem per Pontificis delegationem infra dicitur. Potest Episcopus vt minister ordinarius Confirmationis conferre sacramentum, quod non potest facere simplex sacerdos, nisi ex Põtificis delegatione. Habet dignitatem superiorem in Ecclesiæ Hierarchia, vt supra notauimus. Habet iurisdictionem conferendi sacramenta, quam simplex nõ habet sacerdos, sed debet Episcopo subijci, si illa vult administrare, vt patet in Pœnitentiæ sacramento.

71 Probatur quartò, quia Episcopi in locum succedunt Apostolorum, & simplices sacerdotes in locum septuaginta duorum discipulorum. Episcopi eum obtinēt locum in Ecclesia, quem summi obtinebant sacerdotes in Synagoga. Et simplices sacerdotes eum obtinent locum in Ecclesia, quem simplices obtinebant sacerdotes in Synagoga, vt docet Anacletus epist. 3. Damasus epist. item 3. Leo epist. 88. Atqui in Synagoga summi sacerdotes præstabant

stabant dignitate, excellentia, iurisdictione, simplicibus sacerdotibus; ergo &c. Vnde Episcopi dicuntur, Ecclesie patres cap. sexta synodus, 16. & cap. fin. 98. dist. & 1. Corint. 4. sumpto nomine Patris; non pro genitore; sed pro honorabiliore; sic enim à Romulo ipsius Cōsiliarij Patres vocati sunt, & eorum filij Patricij, idest filij Patris, idest Cōsiliarij Regis, vt notat Liu. lib. 1. & Plutar. in vita Fabij Maximi. Non sic simplices sacerdotes. Episcopi ergo simpliciter, sunt simplici sacerdote, superiores potestate Ordinis, quatenus possunt alijs Ordines ministrare; dignitate, & iurisdictione. Soluuntur argumenta in contrarium.

72 Primum argumentum est. Quoniam potestas consecrandi corpus, & sanguinem Domini omnes superat potestates, dignitates, iurisdictiones; sed hanc habent simplices sacerdotes; ergo à nullo eorum dignitas superatur, quacunque dignitate, vel iurisdictione sit præditus? Respondetur Episcopum & esse

sacerdotem, ac subinde habere totum id quod simplex habet sacerdos, & insuper tria dicta superaddere, ac proinde ratione illorum, simplicem superare sacerdotem.

Secundum argumentum. Nam Episcopus suam non habet à Deo iurisdictionem, sed ab Ecclesia, cū possit aliquis Episcopus consecrari absque eo quod sibi assignentur subditi erga quos suam exerceat iurisdictionem; ergo ratione huius non est Episcopus simplici sacerdote superior. Cōsequentia probatur, nam potestas, quam Ecclesia facit Episcopo, potest eam simplici facere sacerdoti, ergo? Respondetur distinguendo Antecedens: Episcopi suam habent iurisdictionem ab Ecclesia veluti in actu secundo & conceditur, in actu primo, & negatur. Episcopi namque vi suæ ordinationis habent, vt maiorem petant iurisdictionem quam simplices sacerdotes, cum ex vi suæ ordinationis sint Ecclesie Patres, & Principes, secundum illud Psalm. 44. *Constitues eos Principes*

cipes super omnē terram, quod de Apostolis, & Episcopis eorum successoribus vult esse dictum Augustinus ibidem. In actu tamen secundo, subditi in quos iurisdictio exer-

cetur, ab Ecclesia conceduntur, vt in simili diximus in tract. de Pœnitentia, quando pro confessionibus audientibus, simplex approbatur sacerdos.

# DISPUTATIO SECUNDA

*De effectibus ordinis, de ordinum officijs, deq[ue] ordinandorum requisitis.*

**De ministro, & de quibus prohibitum est Ordines suscipere:**

**L**icet vna sit vniuersalis Ecclesia cap. *Ecclesia*, de consecrat. dist. 1. & cap. *Novatianus*, 7. q. 1. quæ vnius viri sponsa esse debet, c. *cum non ignores*, de præb. licet vna dumtaxat sit *fides* Ephes. 4. *vnus Baptisma, & vnus Deus* ibidem. Et licet cœlestes orbes, vnius motu rapiantur; & in corpore physico, membra omnia vno deserui-

ant capiti; tamen & diuersa membra sunt, & diuersa munia, diuersique effectus. Constituit namque Christus Ecclesiam, monarchiæ instar, quæ omnium est optimum regimen, in qua licet omnes dignitates, omnesque ordines in vnum culmen consumuntur, nihilominus varij sunt cuiusq[ue] ordinis effectus, varia munia, diuersæque assumendorum conditiones,

G diuer-

diuersaque requisita, licet & effectus varij, & munia varia & requisita diuersa, in vnum Ecclesiæ culmen consumen-

tur. Ob idque omnia ista sub vnica ponuntur disputatione, & suo ordine de omnibus disputabitur. Vnde fit.

## Q V A E S T I O I.

*An gratia, & character sint Ordinis effectus.*

2 **D**E fide est vt de sacramentis in genere vidimus, & hoc, & omnia alia, nouæ legis sacramenta gratiam in suscipiente causare: Hoc triplici ratione probat de hoc sacramento Diuus Thomas q. 36. supplem. art. 1. Prima est, quia Ordo est verum sacramentum; ergo debet gratiam causare. Consequentia probatur, quia ratio gratiæ causandæ, in definitione sacramenti ponitur. Secunda est, quia nouæ legis sacramenta efficiunt quod figurât; sed ordo per numerum septenariû, Spiritus sancti gratiâ figurat, cû septem eiusdê Spiritus sancti dona significet, ergo. Tertia est, quia cum *Dei perfecta sint opera*, cum dat potentiam ad aliquid

agendum alicui, dat etiam, quæ tali congruunt potentiæ; Sed in ordine datur potentia supernaturalis, ad actus eiusdem ordinis ponendos, v. g. ad absoluendum poenitentem; ergo debet dari gratia congruus ad eorundem actuum positionem. Confirmat hoc D. Thomas, quia *sicut gratia est necessaria ad hoc quod homo digne sacramenta recipiat, ita etiam ad hoc quod digne sacramenta dispenset*; Ideo namque in Baptismo gratia datur, quia per illum fit homo, aliorum susceptiuus sacramentorum, ita quia in hoc sacramento fit eorundem sacramentorum dispensatiuus, gratia dari debet. Vnde patet gratiam esse huius sacramenti effectum.

Circa

3 Circa characterem, quia plura diximus de sacramentis in genere, & etiam aliqua præcedenti disputatione sunt dicta, ne actum agamus, solum ea quæ huius loci sunt propria, cum D. Thoma absoluemus, non plures excitando quæstiones, sed aliquas proponendo difficultates, & illas breuiter expediendo, cum nulla grandis reperiatur difficultas.

4 Prima difficultas est, an ordo imprimat Characterem Negat Lutherus *de capt. Babil.* c. de Ordine. Calvinus in *Antidoto Concil. Trident.* ad can. 9. sess. 7. & alij, ob quod volunt, quod sacerdos potest fieri laicus, & e contra.

Catholica veritas sequenti explicatur conclusione. *Ordinis sacramentum verè, & realiter imprimat Characterem.* Hæc conclusio est de fide, ut constat ex Trident. sess. 23. cap. 4. & can. 4. vbi dicitur: *Si quis dixerit per sacram ordinationem non imprimi characterem, vel cum qui sacerdos semel factus fuit, laicum rursus fieri posse; anathema sit.* videatur D. Thomas art. 2. q.

citata vbi probat Ordinem imprimere characterem indelibilem tum ratione perpetua potestatis, tum ratione initerabilitatis. vnde quando contingit, ob quædam crimina grauissima, ordinatum deponi, vel degradari, talis depositio, vel degradatio, non est potestatis, vel characteris ablatio, sed est gradus honoris, & loci ordini debiti priuatio, ita quod postea non alio habeatur loco, quam laicorum, & per hoc differt degradatio, à suspensione, & depositione, quia in his honor, & locus ordini debitus non adimitur, sicut per degradationem, sed solum proprii executio ministerij, prohibetur; idque vel cum spe restitutionis, & vocatur suspensio, vel sine, & vocatur depositio.

5 Secunda difficultas, an omnes Ordines imprimant characterem? Illi qui volunt minores ordines sacramenta non esse, dicunt consequenter non imprimere characterem. At vero nos, qui cum D. Thoma, & communi sententia volumus etiam ordines



minores esse sacramenta, dicimus omnes characterem imprimere. Vnde (sunt verba D. Thomæ loco citato) *cū character sit signum distinctiuum ab alijs, oportet quod in omnibus character imprimatur; cuius etiam signū est, quod perpetuo manent, & nunquam iterentur.* An autem singuli ordines, singulos imprimant characteres diximus supra quod non, sed solum addunt modum quendam extensionis: Vnde primus ordo producit entitatem characteris, & modum primum extensionis illius, secundus nullam producit characteris entitatem, cum iam productam inueniat, sed solum extensionis modū addit, qui modus confert ius ad quædam gratiæ auxilia in ordine ad rectam eiusdem ordinis executionē; & ratione illorum modorum dicitur ordinatus diuersas, secundum ordinum diuersitatem habere potestates, & characteres diuersos formaliter, prout ad inuicem confiderantur.

6 Tertia difficultas, an characteres, modo nunc dicto,

qui in singulis imprimuntur Ordinibus, talem inter se se ordinem seruent, vt priori omisso, non conferatur posterior? Respondetur negatiuè, ita D. Thomas art. 5 eiusdē quæstionis & probat, *quia in primitiua Ecclesia aliqui ordinabantur in Presbyteros, qui prius inferiores ordines nō receperant, & tamen poterant omnia, quæ inferiores ordines possunt, quia inferior potestas comprehenditur in superiori virtute, si ut sensus in intellectu, & ducatur in regno: sed postea per constitutionem Ecclesia determinatum est, quod ad maiores ordines se non ingerat, qui prius in minoribus officijs se non humiliavit: & inde est quod qui ordinantur per saltum secundum canones non reordinantur, sed id quod omisissū fuerat de precedentibus ordinibus eis confertur.* Circa id, quod dicit D. Thom. de illis, qui per saltum ordinantur, nota quod isti qui sic ordinantur non solum peccant mortaliter, sed sunt ipso facto suspensi, ab executione ordinis sic suscepti, non aliorum, à qua suspensione absoluere potest

potest Episcopus si ille, nullū illius ordinis actum habuit: si vero habuit sit irregularis à qua, & ab ipsa suspensione solus Pontifex dispensat. Secundum Nauar. c. 25. nu. 71. & cap. 27. num. 163. Viual. de suspen. nu. 48. Ilamb. disput. 4. art. 7. & deducunt ex Tridē-tino sess. 23. cap. 14. vbi dicitur. *Cum promotis per saltum, si non ministrauerint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.* Quod prius fuerat statutum cap. si officia, dist. 59. sed de hoc infra, vbi nostram ponemus sententiam.

7 Hæc quæ dicta sunt procedunt de ordinibus ad inuicem non tamen si comparentur ad gradus superiores. Nā potestas Episcopalis siue sit character, siue non, characterem supponit sacerdotalem, cum potestas in corpus Domini mysticum, potestatem supponat in corpus Domini verum, vt multoties aduertimus. Similiter eadem potestas Episcopalis supponit non solum characterem sacerdotalem, sed insuper potestatem in corpus Domini mysticum, cum se habeat ex additione

ad characterem, & iurisdictionem sacerdotalem.

8 Quarta difficultas, an ordinis character de necessitate supponat Baptismi characterem? Respondetur affirmatiuè, est de fide determinatum in Concilio Niceno can. 19. & refertur prima q. 1. can. *si quis confugerit.* Probat D. Thom. art. 3. citatæ q. Quia nihil potest aliquid recipere, cuius receptiuam potentiam non habet, per characterem autem Baptismalem efficitur homo receptiuus aliorum sacramentorum: unde qui characterem Baptismalem non habet nullum alterum sacramentorum recipere potest. Tum quia implicat aliquem ex officio filios generare Ecclesiæ, antequam ipse filius fiat Ecclesiæ, ergo implicabit aliquem ordinari, per quod ex officio, medio ordinis characterem, potest Ecclesiæ filios generare, nisi prius per characterem Baptismi filius fiat Ecclesiæ.

9 Sed dices, si character Ordinis characterem supponeret Baptismi, sequeretur quod si quis putaret se esse baptizatum, & ordines susci-  
peret,

peret, nō esset verè ordinatus; atqui hoc nō videtur dicendum; ergo. Minor probatur, nam inde infinita sequerētur mala: nam fiat iste, qui putatur sacerdos, Parochus, vel confessiones audiat, cōfessiones nullæ sunt. Fiat Episcopus & ordinet, ordinationes omnes nullæ sunt, & sic plures valde damnabūt, data istius doctrinæ veritate.

10 Respondet D. Thomas ibidem ad 2. *Quod talis si ad sacerdotium promoueat, non est Sacerdos, nec conficere potest Eucharistia sacramentum, nec absolueret in foro pœnitentiali. Vnde secundum canones debet iterum baptizari, & ordinari: & si etiam ad Episcopum promoueat, illi quos ordinat non habent ordinem, sed tamen piè credi potest, quod quantum ad ultimos effectus sacramentorum summus Sacerdos suppleret defectum, & quod non permitteret hoc ita latere, quod Ecclesia posset periculum imminere.* Vbi duo ponderanda sunt: vnum, quod Christus Dominus summus sacerdos non permittet talem defectū

latere, cum tanto fidelium damno. Secundum, quod piè credendum est, quod gratiæ effectum suppleat, quod non est ita intelligendum, vt benè aduertit Nugnus ibidē, quod per illud sacramentum nullum, gratiam conferat summus Sacerdos, sed quod fortè conferet auxilia, quibus si est solum attritus, actum eliciat contritionis, & sic iustificetur, sed hoc non est certum, nec de hoc constat, licet possimus sic de diuina bonitate præsumere.

11 Quinta difficultas, an character ordinis characterē supponat confirmationis? Respondetur cum Diuo Thoma art. 4. supponere solum de congruitate, non de necessitate, nec vllam incurrit censuram, qui ordines recipit, sine Confirmatione, nec peccatum saltem mortale committit, cum Tridentinum sess. 23. c. 4. id non præcipiat, cum verbo non vtatur præceptiuo, & si præciperet adhuc mortale non esset, quia, vt inquit Nugnus, materia leuis est.

## Q V A E S T I O II.

*De singulorum Ordinum officijs.*

12 **L**icet singulorum ordinum officia in Romano habeantur Pontificali, tamen quia aliquali indigent discussione, hic suo ordine proponentur. Sacerdoti ergo in Romano Pontificali quinque assignantur officia. Primū *Offerre*, Missæ scilicet sacrificium, propter quod, sacerdos dicitur quasi *sacra faciens*. Secundum *Benedicere*, non solū populum in Missæ fine, verū etiam alia, quæ ab ipso benedici possunt, vt habetur in Missali *de benedictionibus*; propter quod sacerdos dicitur *sacra dicens*, seu *Sacrans*, seu *Benedicens*. Tertium est *præesse*, quia Sacerdotum est post Episcopum, & sub Episcopo Ecclesiam regere. Quartum est, *Prædicare*, vnde ob hoc Sacerdos dicitur *sacra docēs*. Quintum est *Baptizare*, & sacramenta alia conferre, propterea dicitur sacerdos, quasi *sacra dans*. licet enim Baptizare etiam Diacono conue-

nire possit, non solum in necessitatis casu, verum etiam extra, & quidem solemniter, sed non nisi ex commissione, at Sacerdoti ex vi sui officii, modo quo de Baptismi sacramento docuimus. Omnia dicta sacerdotis munia, in duplici fundantur potestate, quā in sua recipit ordinatione sacerdos, vt ex supradictis liquet.

13 Diacono idest ministro (ita. n. sonat Diaconi nomen) triplex in Romano Pontificali assignatur officium. *Diaconia enim* (sunt verba Pontificalis) *oportet ministrare ad altare, baptizare, & prædicare*. Primum est proprium munus, cū ordinetur Diaconus directè, vt assistat, & ministret sacerdoti in Missæ sacrificio, ipsum adiuuando & cantando Euāgelium & ministrando populo calicem, quādo id permittebatur, & modo portare corpus Christi, in patena, vel pixide vt diximus supra cum  
D.Tho-

D. Thoma. Duo alia munia habet secundario, ex sacerdotis commissione: aliud etiã munus habet, quod ex primò deducitur, nimirum recitandi in choro tertij nocturni lectiones, seu Euangelium, & homiliam.

14 Sed cõtra hoc est græue argumentum. Nam videtur, quod præcipuum Diaconi munus sit inferuire mensis communibus, & curam habere Ecclesiæ ærarij, & eleemosinarum; ergo non est inferuire sacerdoti in Missæ sacrificio. Antecedens ostenditur, nam Actorum 6. audientes Apostoli Græcarum murmur mulierum, quæ sibi videbantur despici in ministerio quotidiano, & cum non possent Apostoli, eo quod prædicationi, & orationi insisterent, earum curam habere, septem elegerunt Diaconos, qui eandem mulierum curam haberent, cum tunc omnia essent cõmunia, vnde isti Diaconi habebant curam eleemosynarum tum recipiendarum, tum distribuendarum, tum mensarum communium, & ad hoc electi fuere, vt pa-

ter ex verbis textus dum dicitur: *considerate viros, quos constituamus super hoc opus,* idest quotidiani ministerij, seu mensæ communis, &c.

Propter hoc argumentum Calvinus lib. 4. instit. c. 4. §. 5. & c. 5. §. 15. putat Diaconos solum esse opū Ecclesiæ ministros, & mensarum communium, & sic esse solum temporarios quod confirmat exemplo S. Laurëtij, qui curam habebat à Pontifice dispensandi pauperibus Ecclesiæ thesauros. Beza hæreticus vult duo esse Diaconorum genera; vnum, quod habet curam mensarum, & ærarij Ecclesiæ. Alterum, quod aliquo modo insistat ministerio verbi Dei, vt Philipphus, & Stephanus, & aliquo modo etiam ad alterius ministerium deseruiat. Veritas tamen catholica est, quod proprium Diaconi munus sit sacerdoti in altaris ministerio deseruire, vt Cõcilia & Patres volunt, & nos supra probauimus. Vnde ad argumentum respondetur, quod illi septem viri, qui ab Apostolis electi fuerunt, vt curam illarum haberent viduarum,

&

& communibus insisterent mensis, &c. vel erant prius Diaconi consecrati, vt vult Caieranus Act. 6. vel quod desumpserūt Apóstoli occasionem ex illarum mulierum murmure, ordinandi illos septem Diaconos, quibus talē mulierum curam committerent &c. vt post alios obseruauit Baronius tom. 1. Annal. ad annum Christi quadagesimum quartum.

15 Subdiacono sequentia assignantur in Pontificali officio. Subdiacono enim oportet aquam ad ministerium altaris preparare, Diacono ministrare, pallas altaris, & corporalia abluere, calicem, & patenam in usum sacrificij eidem offerre. Postea additur quod ad Subdiaconum spectat, panem consecrandum pro populo communicando, super altare ponere; vno verbo ad Subdiaconum ea omnia spectant, quæ in Rubricis Missalis Romani Subdiacono præscribuntur, vt præbere Diacono calicem vacuum cum patena, canere Epistolā, &c. cum enim Subdiaconus sit subminister, nempe sub Dia-

cono, illi debet deseruire.

16 Acolythis dicitur in eodem Pontificali, *Acolythis enim oportet cerosferarium ferre, luminaria Ecclesia accendere, vinum, & aquam ad Eucharistiam ministrare.* Acolythus dicitur quasi pedisequs, seu minister ministri, quia ex vi sui officij habet Diacono, & Subdiacono, in altaris ministerio, ministrare.

De Exorcista dicitur. *Exorcista enim oportet abijcere demones, & dicere populo, vt qui non communicat, det locum, & aquam in ministerium (Baptismi intellige) fundere.* Ad Lectorem dicitur. *Lectorem siquidem oportet legere ea, quæ prædicat, & lectiones cantare, & benedicere panes, & omnes fructus novos.* Pro quo nota, quod modo ad lectorem non committitur nec prædicare, nec benedicere panes, &c. sed lectiones primi, & secūdi nocturni recitare, vel cantare. Alias committebatur prædicatio, seu quædam instructio particularis. Nam prædicare inter missarum solemnia, solius erat Episcopi, solemniter, & maximo cū apparatu,

& hoc etiam modo est solius Episcopi munus, & ita faciebat S. Carolus Borromeus, & faciunt omnes Ecclesie Mediolanensis Archiepiscopi, & facere deberent omnes, saltem aliquando, qui sciunt, & possunt; propterea Euangelij prædicatio in Trident. sess. 5. c. 2. vocatur *proprium munus Episcopi.* & Malachie 2. dicitur. *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius:* Vnde Apost. 1. ad Timo. 3. vult, *Episcopum esse doctorem.* & ipsi Timotheo dicebat: *Opus fac Euangelista, ministerium tuum imple.* Prædicare vero etiam solemniter, sed cum minori valde apparatu, ad Diaconum spectat etiam inter missarum solemnia, vt patet de S. Stephano, & Philippo. Prædicare vero extra pulpitem, per modum cuiusdam instructionis, etiam Subdiacono conuenit, vnde isti committitur instructio cathecumenorum, & aliorum rudiorum. At præ-

dicare prout dicit quondam fidei, & scripturarum explanationem ad lectorem pertinet etiam supra pulpitem, & extra missarum solemnia; modo autem in cathedralibus, id munus, Theologo, conceditur.

17 De Ostiario tandem dicitur: *Ostiarium oportet percutere cymbalum* (scilicet sacrificij tempore,) & *campanam, aperire Ecclesiam, & sacrarium, & librum aperire ei qui prædicat.* Circa ista singulorum ordinum munia, nota, quod si loquamur de officijs ordinum minorum, possunt præstari, non ex officio, etiã à non ordinato, imò etiam à laico. Circa officium Subdiaconi est ferè vbiq; vsus, quod sine manipulo præstetur à nō Subdiacono, vnde non Subdiaconus cantare potest Epistolam in Missa, idem dicendum de Euangelij cantu; puto tamen hæc duo vltima officia non debere præstari à laico.



## Q V A E S T I O III.

## De ordinandorum requisitis.

18 **P**rimum requisitum est sexus, ita quod non mulier, sed vir, sit ordinis capax. Hoc probat D. Thomas q. 39. art. 1. contra Cataphrigios, qui volebant foeminam posse esse sacerdotem; contra Præputianos, qui idem dicebant, contra Vuclephum, & Lutherum qui volunt quod eo ipso, quod mulier est Baptizata, sit sacerdotissa; hoc inquam probat primò ex i lo p. ad Timo. 2. *Mulierem in Ecclesia docere non permitto, nec dominari in virum.* Si autem mulier, sacerdotalem suscipere posset characterem, in rebus altissimis in virum dominaretur, quod etiam est contra illud, quod dicitur Genesis 3. *sub viri potestate eis,* vnde cum mulier naturæ iure sit viro subiecta, non decet quod illi dominetur in rebus adeo excellentibus. Secundò probat, quia cum in ordinandis corona requiratur, non de

sacramenti necessitate, sed de congruitate, non docet mulierem ordinari, cui corona non competit 1. Cor. 2. Hæc D. Thomæ ratio ab aliquibus contemnitur, quia cū delatio coronæ non nisi humano inducta sit iure, ex illa non infertur foeminæ inhabilitas ad Ordines. Sed non est contemnenda. Pro quo nota, quod clericus nomen à *cleros* græcè dicitur, quod significat sortem, vel partem alicui contingens, & sic clericus ita dicitur, quia de sorte Domini est, vel quia Dominus fors illius sit, idest clericus pars, & hæreditas illius, quia clericus debet Dominum possidere, & possideri à Domino, & sic effectum nullum inordinatum habere debet erga res terrenas, vt solum Dominum possideat, & possideatur à Domino. Inde clerus, eorum dicitur congregatio, qui adhanc sortem à Deo vocati sunt, vel etiam



dicitur clericus quasi forte electus: clericorum vocatio magis à Spiritu sancto esse debet, quam ab homine, c. *sunt duo*, dist. 12. q. 1. ubi clericus dicitur forte electus, quia hunc Deus in suum eligere debet; vel etiam dicitur clericus vocari in fortem, quia vocatur, ut Rex qui Christi Domini hereditatem regat, & gubernet; propterea, qui hodie in clerico, um ordinem eligitur, pronunciat illi la verba Psal. 15. *Dominus pars hereditatis meae; tu es qui restitues hereditatem meam mihi*. cum ergo corona illa ex Ecclesiae institutione sit facta, ut hanc clerici potestatem significet, & huius sit incapax foemina, ut patet ex adductis sacrae scripturae locis, sequitur optimè intulisse Angelicum ex foeminae indecentia ad coronam, indecentiam etiam ad coronae significatum.

19 Vnde idem Angelicus in 4. dist. 24. q. 3. art. 1. q. 1. dicit: *eis; qui ad diuina ministeria applicantur competis tonsura, & rasura in modum corona, & ratione figura, quia*

*corona est signum regni, & perfectionis cum sit circularis, illi autem qui diuinis ministerijs applicantur, adipiscuntur regiam dignitatem, & perfecti in virtute esse debent. Competit etiã eis ratione subtractionis capillorum, & ex parte superiori per rasuram, ne mens eorum temporalibus occupationibus à contemplatione diuinorum retardetur, & ex parte inferiori per tonsurã, ne eorum sensus temporalibus obuoluantur. Sed modo clericis non sic fit corona, sed solum religiosi, ut denotetur eorum vitam debere esse à temporalibus segregatam, & diuinis rebus applicatam, propterea corona, modo quo dicit D. Thomas fit etiam religiosi nondum ordinatis, non tamen conuersis, quia ut dicit ibidem D. Tho. ad secundum conuersi tonduntur propter renunciationem temporalium, sed non raduntur, quia non occupantur diuinis ministerijs, in quibus diuina oporteat eos mente contemplari. Conuersi ergo nec habent coronam, quia nec forte à Deo vocantur ad clericatus ordinem, nec raduntur*

tur

tur cum ad contemplationem non vocentur, sed tonduntur, cum ad vitam vocentur actiuam. Dixi, quod modo clericis non fit corona secundum quod dicit D. Thomas, nempe vt habent religiosi præsertim mendicantes, quia antiquis temporibus illam habebant, & primus qui coronam eo modo quo portamus nos, portare cepit, fuit D. Petrus Apostolus vt Sotus notat dist. 24. & post eum Apostoli alij, & deinde alij omnes, qui ad Domini sortem vocabantur, successu tamen temporis clerici breui illa contentati sunt corona, largam regularibus reliquentes. Aliqui tamen volunt coronæ usum introductum fuisse à D. Petro & Apostolis super aures, & non tantum in summitate, in memoriam coronæ spinæ, quam crucifixoresh Christo Domino imposuerunt, vt quod hostes ad ignominiam fecerunt, nos ad honorem, gloriam & Christi Domini decus faciamus.

20 Probatur etiam, quia ordinis minister debet Christi gerere vicem, cuiusque

personam repræsentare; sed mulier hoc præstare nequit; ergo maior patet, nam sacerdos v. g. est Christi Domini minister, operans in persona, & virtute Christi. Minor probatur, nam Christus Dominus sexum masculinum assumpsit, non foemineum, cum ille sexus assumi deberet, per quem potissimè venerat, venit autem potissime propter sexum masculinum, cum per hunc humanum ceciderit genus. Tum quia mulier licet sit & ipsa Dei imago, talis tamen non dicitur, quia ab eo multum deficit, vt constat ex cap. *mulier debet*; & cap. *hæc imago* 33. q. 5. & docet Apostolus I. cor. II. vbi dicit: *Volo autem vos scire quod omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris vir, caput vero Christi Deus.* & post pauca: *vir quidem non debet velare caput suum, quoniam imago, & gloria Dei est, mulier autem gloria viri &c.* quasi dicat, quod vir sit imago, & gloria Dei, mulier vero imago, & gloria viri quia vir à Deo, mulier ex homine sumpta est, ob hoc cap. *Noua de*

de poenit. & remiss. dicitur, diuino iure mulierē ab ordine arceri. Videatur Ianoc. ibi.

21 Sed quæres primò, an mulier sit capax primæ tonsuræ, ita quòd, saltem ex Pōtificis dispensatione possit tōsurari & ad clericalem ordinem vocari, & sic gaudeat privilegio fori, & canonis? Affirmat Paludanus dist. 25. q. 3. art. 1. Hurtadus hic difficultate 20. Caspensis tom. 2. tract. 27 disput. 3. sect. 3. nu. 2. quos affert, & sequitur Diana p. 8. trac. 1. resol. 39. Communior tamen opinio id negat, quia licet prima Tonsura sit sacramentale quoddam, non sacramentum, est tamen moralis, & perpetua quædam deputatio, & ordinatio ad sacramentum, cuius fœmina est incapax, quod enim est incapax finis, est etiam incapax mediij vt talis, seu vt est tendentia in talem finem. Tū quia cum prima tonsura sit ordinis fundamentum, seu (vt communiter dicitur) dispositio ad ordines, quia illa supposita, sternitur via ad eosdē ordines, sequitur quod si mulier sit ordinis incapax, sit

etiam primæ tōsuræ. Est enim primæ tonsuræ status, veluti tirocinium, & nouitatus, ad quem non admittuntur, quī sunt religionis incapaces. Ex quibus infertur, non posse à fortiori Pontificem dispensare, vt fœmina quatuor suscipiat ordines vt volunt auctores primæ sententiæ iam reiectæ, quia putant quatuor minores nō esse sacramenta, sed sacramentalia, & ex Ecclesię institutione, quia etiam hoc dato fieri non posset, vt patet ex rationibus mox adductis. Videatur M. Cādidus, Marchinus, Tannerus, & alij plures apud Dianam loco citato. Vnde ob hanc rationē volunt communiter Theologi non posse summum Pontificem cōcedere mulieri facultatem spiritualem ferendi censuras, propria imponendi præcepta, cum hæc spiritualis potestas, seu iurisdictio, fœminæ competere nequeat, vt suo loco dicitur, licet oppositum cum aliquibus teneat Diana loco citato, & non improbabiliter.

22 Quæres secundò, an hermaphroditus sit capax ordinis?

dinis? Conueniunt omnes, capacem non esse si foemineus præualeat sexus. *Glof. can. si testes 9. hermaphroditus 4. q. 3.* Si vero sensus sint æquales, pro foemina reputatur, nec vlllo modo ordinari potest, Præpositus dicto can. *si testes*, vbi citat Hugonem, Cardinalem, & alios; an autē si in hoc casu ordinetur characterē reciperet, dubitatur, nam Siluester, & Tabiena V. hermaph. id negant. Præpositus loco citato affirmat. Sed prima sententia verior videtur, quia huius sacramenti, & characteris subiectum est vir absolutè, & simpliciter talis, ille autem hermaphroditus non est talis; ergo. Si vero magis vigeat virilis sexus tūc à testimonio non repellitur, vt docet Præpositus vbi supra; an vero etiam ab ordine repellatur, disputatur. Aliqui namque volunt ordinari non posse sine Pontificis dispensatione, ita Diana post Nauar. Suarez, Bonacinam, & N. Lezanam, post Sayrū, & N. Cornexum. Alij volunt ordinari posse sine Pontificis dispensatione. Ita Leander apud

Dianam vbi supra. Mihi media via incedendum videtur cum Toletto lib. 1. cap. 63. n. 6. & alijs quos ibi citat, quibus addo Fornarium cap. 31. de ordine, quod nimirum repellere ab ordine debeat si res notoria sit, secus si occulta; cum enim ille absolutè sit vir, absolutè ordinari potest, secus esset si res notoria esset propter grandem admirationem, quam illa nouitas, & deformitas ingeneraret, sicut enim deformitas occulta non reddit aliquem ordinis inhabilem, bene autem quando est patens, ita & in nostro casu.

23 Sed detur casus, quod hermaphroditus virili prævalente sexu sacerdotalem recipiat characterem, & deinde præualeat sexus foemineus, an talem quem recepit retineat characterem, ac subinde saltem validè posset consecrare? Hoc dubium proponit Dicastillus apud Dianam loco citato, sed irresolutum relinquit. Ego saluo meliori iudicio, sic dicerem, quod illa foemina sacerdotalem retineret characterem, tamē nec validè, nec licitè consecrare posset.

posset. Primum ostendo, quia character indelebilis est, & non nisi per diuinam potentiam deleri potest; nihil extra Dei potentiam deleri potest, nisi vel per se, à suo nimirum contrario, quod non habet character, vel per accidens ex destructione subiecti quod hic non contingit, cum subiectum sit incorruptibile. Nec est indecens, quod character sacerdotalis in foemina maneat, cum etiam maneat in damnatis. Secundum demunstro, quia ad hoc, quod aliquis consecret, non sufficit, quod sacerdotalem habeat characterem, sed rursus requiritur, quod sit vir, non foemina; sicuti in simili diximus de *sacram. in genere*, nec enim anima D. Petri cōsacrare potest, etiam si habeat characterem, nec etiam si in corpore suo glorioso poneretur, cum sibi deesset vna conditio à Christo Domino requisita, quod sacramenti minister sit viator: ita in casu nostro, foemina illa consecrare nō posset, etiam si sacerdotalem haberet characterem, cum sibi necessaria deesset conditio,

à Christo Domino requisita, nimirum quod non sit foemina, sed vir.

24. Secundum requisitum, est ætas, pro quo nota, Tridentinum sess. 23. c. 12. maiorum ordinum ætatem sic determinare. *Nullus imposterū ad Subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, & ad Presbyteratū ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoueatur.* Non est tamen necesse quod isti anni sint cōpleti, sed sufficit quod sint incepti. Circa minores ordines, & primam tonsuram nihil statuit Concilium, sed supponit seruanda esse iura antiqua, quæ statuunt, quod prima tonsura, & tres ordines minores suscipi possint post septenium, ordo vero Acolyti post duodecimum completum can. *in singulis*, dist. 72. vide Toletum lib. 1. cap. 61. num. 1. Hoc posito.

25. Dico primò, si Episcopus primam conferat Tōsuram ante septimum excepto eo, qui religionem fuerit ingressus, suspenditur per annum ab eiusdē primæ Tonsuræ collatione, cap. nullus

*Nullus de temp. ordin. in 6.*  
 Dico secundò, qui *sacrum*  
*aliquem ordinem præsumunt*  
*accipere ante debitam ætatem*  
*sunt ipso iure suspensi, & si cum*  
*tali suspensione actum ordinis*  
*exerceant sunt irregulares, ita*  
*Pius II. in extrau. cum ex sa-*  
*crorum, quæ extrauagans so-*  
*lum præsumentes compræ-*  
*hendit, non qui bona fide, vel*  
*ignoranter sacros ordines ac-*  
*cipiunt. In ætatis defectu*  
*quoad sacros ordines solus*  
*Papa dispensat cap. nullus, de*  
*tempor. ordin. in 6, & si Episco-*  
*pus scienter sacrum conferat*  
*ordinem ante legitimam æta-*  
*tem, à collatione ordinum*  
*est suspendendus cap. ut non*  
*est compos, de tempor. ordin.*  
 Dico tertio, *valde possunt om-*  
*nes ordines in quacunque ætate*  
*conferri etiam puero antequam*  
*rationis radius illucescat: est*  
*communis Theologorum sē-*  
*tentia post D. Thomam, q. 39.*  
*art. 1. idem docent commu-*  
*niter canonistæ post glos. cap.*  
*tua littera, de cleric. per salt. &*  
*cap. pueri quæst. 1. ubi Archid.*  
*Præpositus, & alij. Ratio Diui*  
*Thomæ est, quia infantes ea*  
*omnia sacramenta suscipere*

possunt, quæ in suscipiente a-  
 ctum nõ requirunt, sed solum  
 potentiam ad illum: vnde in-  
 fans suscipere potest Baptis-  
 mum, Cõfirmationem, & Eu-  
 charistiam, quia in suscipien-  
 te actum de necessitate non  
 exigunt, non tamen suscipe-  
 re possunt Pœnitentiam, Ex-  
 tremam vnctionem, & Matri-  
 monium, quia hæc tria sacra-  
 menta actum requirunt in su-  
 scipiente, in Pœnitentia do-  
 lorem, in extrema vnctione  
 Presbyteri inductionem, in  
 Matrimonio cõsensum, signo  
 aliquo externo expressum. Et  
 sic, cum in ordine, suscipiētis  
 actus non requiratur, cum in  
 eo conferatur potentia ad a-  
 ctum, non actus ipse, à puero  
 suscipi poterit. Sed dices,  
 quia in ordinis collatione,  
 physicus requiritur in susci-  
 piente contractus, per quem  
 internus exprimitur consen-  
 sus, alioqui Episcopus frustra  
 dum ordinat, ordinato dice-  
 ret *accipe hoc*, vel *illud*; atqui  
 hic in puero esse nequit; ergo.  
 Respondetur quod etiam in  
 puero physicus poni debet  
 contactus, non ad exprimen-  
 dum consensum, quia istæ in

puero non requiritur, sed ad hoc vt verba formæ practicæ habeant significationem, vt q. 7. præcedentis disput. docuimus; Vnd elicit in adulto consensus saltem virtualis requiratur, non tamen in paruulo, vt patet in Baptismo, nam adultus, per modum adulti, sacramenta recipere debet, humano scilicet modo; paruulus vero ad modum paruuli, seu secundum quod eius fert capacitas, &c. Dici etiam potest, vt de Baptismo notauimus, quod etiam in paruulo sua requiratur intentio, vel consensus, & hic est Ecclesiæ, non proprius.

Dico quarto, dignitas Episcopalis secundum quod dicit iurisdictionem in actu primo, & secundum quod dicit potestatem ordinis, conferri potest puero ante rationis usum, non tamen secundum quod iurisdictionem in actu secundo, & sic Episcopalis dignitas adquatè puero conferri non potest. Ita D. Thomas q. 39. ar. 2. vbi habet; Sed ad Episcopatum vbi etiam in corpus mysticum accipitur potestas, requiritur actus suscipientis curam ani-

marum pastoralem: & ideo est etiam de necessitate consecrationis Episcopalis, quod usum rationis habeat. Vbi vt vides vult D. Thomas, quod consecratio Episcopalis prout dicit potestatem iurisdictionis, seu prout suscipit curam animarum, usum requirat rationis, quia secundum hanc rationem curam suscipit animarum, & fit suæ sponsus Ecclesiæ &c. At vero secundum quod dicit potestatem ordinis, seu secundum quod Episcopatus talè confert characteris modum, super characterem Presbyteralem, secundum quem recipit Episcopus ordinandi facultatem, rationis usum non requirit; similiter secundum quod iurisdictionis modum affert in actu primò talem rationis usum non requirit in suscipiente; si enim puer ante rationis usum, est capax iurisdictionis corporalis in actu primo, cum sit suarum rerum dominus, cū heres fieri possit, & noua acquirere bona; ita capax erit iurisdictionis spiritualis in actu primo.

27 Sed peres, an sicut puer potest valde ordinari, ita adultus

ultus dormiens, vel captus mente? Responderetur quod si adultus dormiens, nullū habuit actum quo ordinari voluerit, ordinari non potest nec licitè, nec validè, & ratio est, quia talis homo virtualiter repugnare censetur, quia vnusquisq; rationabiliter voluntatem habet interpretatiuam, vt in rebus grauib; nihil fiat circa ipsum, sine ipsius consensu; si vero consensum in ordinationem ante somnū, vel ebrietatem præstitit, validè ordinari potest. Circa amentes distinguendum est, vel sunt perpetuo tales & tūc eadem est ratio, ac de puero, vel lucida habent interualla, & tunc idem dicendum est, ac de dormientibus. An vero teneat ordinatio ordinati per n et im, affirmatiuè respondeo, quia quæ per n eū fiunt sunt simpliciter voluntaria, & secundum quid inuoluntaria, an vero votum castitatis Subdiaconatu annexum teneat in casu metus, vel pueri &c. suo loco dicetur.

28 Tertiū requisitum est scientia. De prima Tonsura hæc instituit Trident. sess. 23.

cap. 4. prima Tonsura non iniicietur, qui sacramentum Cōfirmationis non suscepit, & fidei rudimenta edoceri non fuerint, qui que legere, & scribere nesciant, & de quibus probabilis coniectura non sit eos non secularis iudicij fugiendi fraude, sed vt Deo fidelem cultum præbent, hoc vitæ genus elegerint.

De Minoribus ordinibus sequentia à Tridentino cap. 11. statuuntur. *Minores ordines ijs qui saltem linguam latinam intelligant per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur.* Deinde statuit quod minoribus iniciat i ordinibus, alicui deseruiāt Ecclesiæ, nisi studiorum causa absint. Deinde concludit: *nemo ijs inicietur quem non scientia spes maioribus ordinibus dignum ostendat.* Hi vero non nisi post annum à susceptione p̄stremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoteantur, nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas, iudicio episcopi aliud exposcat.

29 De Subdiacono, & Diacono hæc statuit Triden-



tinum: Subdiaconi, & Diaconi ordinentur, habentes bonū testimonium, & in minoribus Ordinibus iam probati, ac literis, & ijs quæ ad ordinem exercendum pertinent instructi. Postea: Promoti ad sacrum Subdiaconatus Ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati ad altiore gradū, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur. Vbi colligitur quod Subdiaconus non solum scire debet linguam latinam, cum debeat horas recitare canonicas, verum etiam fidei rudimenta, cum hæc docere ipsius officium sit, & munus, vt supra notauimus. Magis instructus esse debet Diaconus, cum ipse sit, non solum Euangelium legere, & sanctorum homilias recitare, verū etiam saltem ex commissione, populo prædicare. De sacerdote hæc à Concilio ordinantur. Qui piè ac fideliter in ministerijs antea actis se gesserint, & ad Præbyteratus ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium, & hi sint qui non modo, in diaconatu ad minus annum integrum

( nisi ob Ecclesie utilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur ) ministraverint, sed etiam ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessariū est ad salutem, ac ad ministranda sacramenta, diligenti examine procedente, idonei comprobentur. Vbi vt vides maior adhuc sciētia in Sacerdote requiritur, quam in Diacono, & Subdiacono; debet scire, quæ necessaria sunt ad salutem, vt populum erudire possit, ac ea, quæ requiruntur ad alia sacramenta ministranda. Non tamen est necesse, quod tanta sciētia requiratur in regulari, qui ad chorum est deputatus, & aliud præstare non debet, nisi missam recitare, & in choro cantare. Vnde vidi sic praticari Papiæ ab Illustrissimo D. Landriano, cum remissius valde ageret in examinandis regularibus, quā sæcularibus. Sed hic notet Episcopus, vt dispensare possit in ordinam interstitijs, quonammodo loquatur Concilium: nam vt dispensetur in interstitijs minorum ordinum ad subdiaconatum, vt nimirum in

mino-

minoribus non seruiatur per annum antequam sumatur subdiaconatus, *Ecclesiæ utilitas, aut necessitas requiratur, iudicio Episcopi*. Vnde vt dispenset Episcopus, vt in minoribus constitutus subdiaconatum recipiat, sufficit *Ecclesiæ necessitas*, quia pauci sunt ministri, & obligationes multæ; vel *utilitas*, quia *utile Ecclesiæ est*, plures habere ministros. Vt Episcopus dispenset cum subdiacono, vt in eo per annum non maneat antequam ad diaconatum ascendat, sed possit illud prius recipere, nulla requiritur à Concilio *necessitas*, vel *utilitas*, sed sufficit Episcopi iudicium, cum dicat Concilium: *nisi aliud Episcopo videatur*. Quod Episcopi arbitrium, fauere debet extraneis, & regularibus, illis maximè, qui illi deseruiunt in procuranda animarum salute, non solum orationibus vacando, verum & maximè sacramenta ministrando. Vt autem dispenset Episcopus in interstitijs Diaconi, vt Presbyteratum accipiat: & *Ecclesiæ utilitas, & necessitas à Concilio re-*

quiritur, dicit enim *nisi ob Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem*, non dicit *aut*, vt dixit de minorum ordinum dispensatione, sed ac, quod est particula copulatiua; aliqui tamen volunt quod *Ly ac* idem sit ac, *aut*, cum aliquando, disunctiuè accipitur, sed primam est verius,

30 Sed quæres primò, an ille, qui bona fide fuit ante legitimam ætatem ordinatus, quem diximus supra non incurrere suspensionem, nec irregularitatem, quia Pius II. in sua constitutione presumptionem requirit, si postea adueniente mala fide, celebret, incurrat suspensionem & irregularitatem? Respondetur negatiuè, ita Peirinus Constit. i. Iulij II. §. 16. num. 29. vbi Quarantam, Mirandam, & Nauarrum citat, & ratio est, quia constitutio, illis pœnas imponit, qui presumpserint ante legitimam ætatem ordines suscipere & cū illa mala fide, qua ordines susceperūt ordinis actum exercent, non vero de illis loquitur quibus post ordinationem mala aduenit fides. Sed pe-  
tes

res, an isti qui post malam fidem, Ordinis actum exercēt peccent mortaliter? Negatiuè respondet Nauar, & Ledesma apud Dianam de Ordine resol. 182. & ratio est, quia nuli ibi id vetatur, solum enim prohibetur, quod ante legitimam ætatem nullus ordinetur, & quod qui sic præsumpsit ordinari, sit ab Ordine suspensus, non tamen est prohibitio, quod ille, qui bona ordinatus est fide, etiam adueniente mala fide, non celebret; ergo peccatum nullum erit sic celebrando.

31 Quæres secundò à quo possit dispensari qui præsumpsit ordinēs sacros, ante legitimam ætatem, recipere? Respondetur quod si non celebravit & debitam expectet ætatem, nullā indiget dispensatione, ita plures apud Dianam loco citato; quod si celebrare velit, & debitam nolit expectare ætatem, poterit sæcularis à suo dispensari Episcopo, & regularis à suo Prælato, ita Hutad. de *suspensione*, diffic. 13. num. 36. quoad sæculares; & Laurentius Portel. V. *Ordines sacri suspensio*,

nu. 14. & alij quoad Regulares: non sic, si cum illo impedimento celebravit, quia tunc factus est irregularis irregularitate reseruata, à qua dispensare potest Episcopus solum si secreta est, & qui facultatem habent Episcopale, vti sunt Regularium Prælati, vt infra dicetur.

32 Quæres tertio quomodo supputanda sit ætas ordinandorum anno bissextili: Hanc difficultatem solent proponere Theologi dum de professione tractant religiosa, quomodo nimirū sit Nouitiatus annus supputandus, quia tamen etiam ad nostrum spectare potest institutum, illam breuiter examinabimus. Prima sententia est, quod dies bissextus non sit computanda; vnde, qui annum 24. cūplet die 24. Februarij summo mane, poterit ante meridiē sacerdotium recipere, nec tenetur expectare diem 25. quæ est dies bissextus Hanc sententiam sequitur Barbosa de *Potestates Episcopales* par. 2. Allegat. 101. nu. 13. Narbona in *Annotationibus* iurif. nu. 25. qui citat Riccium, Henriquez, & Acugniam.

gnam. Fundamentum huius sententiæ est, quia dies bissextilis est quatuor præcedentiũ annorum complementum, & sic, dies 28. & 29. Februarij, pro vna die reputantur cap. *quod sicut*, de verborum signific. & L. 3. §. *Minorem*, ff. de Minor. & L. *cũ bissextus* ff. de verbo signific. Adde probabilem esse Panorm. in cap. *quarenti*, de offic. deleg. sententiam, quod licet in fauorabilibus dies bissextus possit computari, in odiosis tamen id non est necesse; vnde quando integer annus in aliquo casu, vel lege, vel statuto præscribitur, potest intelligi de anno communi, qui est dierum 365. siue bissextus, siue non bissextus sit, & hoc determinari videtur in L. *cũ heres* §. *Sthicus* ff. de stat. liberorum.

Secunda sententia est, quod dies bissextus debeat computari, tam in ordinationibus, quam in religiosa professione. Hanc sententiam sequitur Sanchez de Matrimonio to. 1. lib. 2. disput. 24. nu. 22; & tom. 2. in Præcept. lib. 5. cap. 3. num. 31. & c. 4.

nu. 4. Less. de iust. lib. 2. c. 41. dub. 7. num. 59. & alij. Prima huius sententiæ ratio est, quia dum Ecclesia integrum præscribit annum, vel pro ordinum intensitijs, vel pro Nouitiatus anno computando, annum intelligit currentem, ergo si tunc bissextus currat, & ille intelligi debet. Secunda huius sententiæ ratio est, quia non est maior ratio de annorum computatione, quam dierum, ergo sicut quando Ecclesia annos præscribit, tum pro Ordinibus, tum pro religiosa professione, etiam annus bissextus computatur, ergo similiter dies bissextilis computari debet.

33 Sit meum de vtraque sententia iudicium. Prima sententia probabilis valde est, & maximè in ciuili iure fundata. Hæc secunda probabilior est, & securior, & in praxi sequenda, maximè quoad nouitiatus annum computandum.

34 Quæres quartò, an vltra Ecclesiæ necessitatem, vel vtilitatem, alia dari possit causa, ratione cuius Episcopus

pus tuta conscientia possit in interstitijs dispensare? Respōdetur affirmatiuè, & videntur esse valde in vsu, non solum extra, verum etiam intra Urbem apud Episcopos sanctos, & doctos. Prima est, ad hoc vt possit ordinandus studijs vacare, media Missæ celebratione, cum sit pauper, & aliud non habeat quo sustentetur, & libros emat nisi medio Missæ stipendio, si enim ratio vacandi studio est sufficiens vt non deseruiat Ecclesiæ, vt vult Tridentinum sess. 23. c. 11. erit etiã sufficiens vt in interstitijs dispensetur. Secunda est magna virtus ordinandi,

magnaque doctrina, imò & insignis nobilitas: similiter prouecta ordinandi ætas, præsertim si coniuncta sit cū morum integritate, & grauitate. Tertia est, necessitas, vel utilitas recipiendi ordinem ratione beneficij recepti, vel recipiendi. Hæ causæ ad illas à Concilio assignatas reuocari possunt: cedit enim in necessitatem, vel utilitatem Eccl. siæ quod ordinandi studijs vacent, quod ponantur super Ecclesiæ candelabrum viri virtute, doctrina, & nobilitate præditi, quod beneficiarij ordines ad beneficia requisitos, recipiant.

## Q V A E S T I O I V :

*De requisitis ad Subdiaconatus ordinem recipiendum, & post illius receptionem.*

35 **P**articularem excitamus de Subdiacono quæstionem, quia particularia, & singularia sunt illius requisita. Primum & singulare Subdiaconatus requisitum est, quod nemo hoc ordine

insignetur sine sufficienti titulo Beneficij, vel patrimonij. Hoc statuitur in Tridentino sess. 21. cap. 2. *Statuit* (sunt verba Concilij) *sancta synodus ne quis deinceps clericus secularis ad sacros ordines promoueat,*

ueatur, nisi prius legitimè con-  
 stet, eum beneficium Ecclesia-  
 sticum, quod sibi ad victum ho-  
 nestè sufficiat, pacificè possidere.  
 Deinde statuit quid circa be-  
 neficiorū resignationem ser-  
 uandum sit, postea subdit: Pa-  
 trimonium vero, vel pensionē  
 obtinentes, ordinari post hac  
 non possint, nisi illi quos Episco-  
 pus iudicauerit assumendos,  
 vel necessitate, vel commoditate  
 Ecclesiarum suarum. De-  
 clarat postea debere tale pa-  
 trimonium, vel pensionem  
 esse sufficientem pro congrua  
 ordinati sustentatione, & quod  
 nō possint alienari vel remit-  
 ti, quandiu de sufficienti be-  
 neficio prouisus sit ordinatus.  
 quod si Episcopus sine suffi-  
 cienti prouisione aliquem or-  
 dinauerit, tenebitur illum su-  
 stentare cap. cum secundum &  
 cap. 4. de Præbent. Quod si  
 clericus patrimonium dimit-  
 tat antequam de sufficienti  
 beneficio sibi prouideatur, vi-  
 detur quod talis dimissio nul-  
 la sit, cum non possit clericus  
 priuilegio renunciare, quod  
 in totius clericalis ordinis bo-  
 num est institutum, arg. cap.  
 si diligenti, de foro competē-

ti; & ne cum ordinis dedeco-  
 re mendicare cogatur. Sed vt  
 Concilij determinationē ple-  
 nius capiamus aliquas pro-  
 namus difficultates.

36 Prima difficultas est,  
 an Religio prouidere teneatur  
 eiectis in sacris ordinatis,  
 vt honestè viuere possint,  
 quoadusq; aliunde illis prou-  
 uideatur, ne mendicare co-  
 gantur cum dedecore ordi-  
 nis sacri suscepti, & ipsius re-  
 ligionis? Ratio dubitandi est,  
 quia religiosi ad titulum pa-  
 trimonij non ordinantur, cū  
 illius incapaces sint, neque ad  
 titulum beneficij, vel pensio-  
 nis, sed ad titulum paupertatis,  
 vt colligitur ex Tridenti-  
 no citato; vbi illud statutum  
 pro solis clericis sæcularibus  
 est editū, & ex Bulla Sixti V.  
 1588. contra malè promotos;  
 & sic cum non habeant pa-  
 trimonium, vel beneficium  
 quo honestè eiecti vitam tra-  
 ducant, debet illis à Religio-  
 ne prouideri. Nihilominus  
 responderetur nullam religio-  
 nem teneri suos sustentare  
 eiectos in sacris constitutos,  
 excepta Religione societatis,  
 propter speciale sacre Con-

greg. decretū, de quo postea. Prima pars probatur: Primò, quia nulla Religio, solet suos sustentare eiectos, in sacris constitutos, alioqui cæteris ania præberetur malè viuendi, vt sic tanquam incorrigibiles eicerentur, quod certè in maximum religionum cederet detrimentum, haberēt namque isti, quo sustentarentur, absque eo quod religionis iuga portarent. Secunda, quia sic, religionis bona paulatim diminuerentur, cū maximo illorum damno, qui ferunt pondus diei, & æstus. Tertia, quia eiectio est maxima Religiosorum imperfectorum puniatio, non sic autē esset, si suos eiectos alere teneretur Religio; inauditum namque est in omni tribunali, quod iudex quos punit, condemnatque, alere teneatur. Secunda pars responsionis probatur afferendo S. C. decretum prout illud ad verbum refert Marchinus de *sacram. Ordinis* tract. 2. p. 6. c. 5. nu. 5. & est sequentis tenoris *Quoad Iesuitas cum post Sacerdotium exire non possint, nisi à superioribus deiciantur, pro-*

*uideatur illis de redditu quadraginta aureorum annuorum ex bonis Religionis. Quoad alios qui arbitrio suo exire, quando volunt possunt; ne detur illis occasio exeundi, vt fruantur illo redditu, vocentur prius, & intelligant quæ alia via prospici possit: deinde maturè deliberandum.* Hanc declarationem, vel decretum refert etiam Bossius to. 2. tit. 5. §. 9. & alij.

37 Secunda difficultas est, an beneficium, quod à Tridentino requiritur, vt quis possit sacrum suscipere ordinem, debeat esse perpetuum, an vero sufficiat manuale, & amouibile. Affirmat Aluarus Valescus to. 1. allegat. 5. nu. 26. quia Concilium, beneficium requirit, non tamen distinguit, nec determinat ad perpetuum; & sic cum beneficium amouibile, sit verum beneficium, ad eius titulum, quis ordinari poterit. Sed oppositum est tenendum cum Garzia de benefic. to. 1. p. 2. c. 4. nu. 7. & alijs; quia Tridentinum, requirit beneficium, ne quis mendicare cogatur, cum Ordinis, & clericalis dignitatis

gnitatis de decore, sed habeat unde honestè sustentetur: at qui hoc non haberet ex beneficio manuali, & amouibili; ergo: sufficet tamen commenda perpetua, quia hæc beneficij nomine venit. Sufficet etiam Cappellania perpetua, vt tradit Riccius par. 1. decis. 189. num. 9. post alios apud ipsum.

38 Unde infertur non debere admitti id quod docet Auersa de ordine q. 3. sect. 6. quod sufficiat beneficium tenue ad hoc vt quis Ordinari possit, quia cum Conciliū non distinguat, nec nos distinguere debemus *L. non distinguemus*, ff. de arbitrijs, quia hoc expressè videtur pugnare cum verbis Concilij, cum dicat, *ne quis deinceps ad sacros ordines promoueat nisi prius legitime constet eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victū honestè sufficiat, pacifice possidere*. Vult fortè dicere Auersa, sufficere beneficium tenue, quando beneficij tenuitas aliunde, v. g. patrimonio cōpensatur, vnde vidi obseruare prudētissimos Episcopos ad Subdiaconatū

admittere, & ad alios sacros ordines, qui habebat 20. scuta ex beneficio, & alia 20. ex patrimonio; sufficit namque intentioni Concilij quod nullus sacro ordinetur ordine, nisi habeat unde viuat, siue totum hoc ex beneficio, siue ex patrimonio, siue partim ex vno, partim ex alio habeatur. Non est necesse, quod beneficium residentiam requirat, quod sit prælatia &c. sed sufficit beneficium simplex, imò etiam sufficit pensio, etiam si beneficium non sit, vt tradit Selua de beneficijs 1. p. q. 3. nu. 11. & alij communiter, tamen in hoc iudicium Episcopi est expectādum, de Ecclesiæ necessitate, vel vtilitate, sicut & in patrimonio, vt statuit Tridentinum supra.

39 Circa patrimonium ad quod quis ordinari potest, quando Episcopus iudicat id esse necessarium, vel vtile suæ Ecclesiæ, nota primò, quod patrimonium ad cuius titulū quis ordinari potest, debet esse res fructifera, de qua ordinatus disponere valeat ad sui sustentationem, vnde illud erit sufficiens ad hoc vt quis



ad eius titulum ordinetur, quando ei à parentibus, vel alijs donatur, vt vsufructum habeat interim, dum beneficium aliquod, aut bona alia ad eius congruam sustentationem sufficientia acquirat; ita Sacra Congregat. in *Reg. in Eugubina* 22. Maij 1590. Nota secundò patrimonij examen priuatiuè quoad alios ad Episcopum pertinere, vt Tridentinum statuere videtur, & Sacra declarauit Congregat. in *Placentina* 16. Martij 1630. Nota tertio nec beneficij, nec patrimonij fieri à Tridentino taxationem, quia non omnisi locorum eadem est ratio, sed arbitrio Episc. relinquitur, vt sacra statuit Congreg. apud Garziam *de beneficijs* p. 2. c. 5. num. 113. His notatis proponamus ea de quibus aliqua est inter scribètes difficultas.

40 Prima difficultas est, an patrimonium cõstitui possit super annuis censibus perpetuis? Responderetur affirmatiuè, dummodo cautio adhibeatur quod si census redimatur, pecunia ex iudicis decreto apud idoneas personas deponatur, ad effectum, vt

quã primum inuestiatur; ita statuit Sacra Congreg. 2. Iulij 1629. apud Barbof. collect. Bulla. V. *Patrimonium*. Imò etiam constitui potest super bonis emphyteuticis, vt eadẽ Sacra Congregatio statuit apud eundem Barbof. vbi etiã refert statuisse eandem Congreg. 5. Februarij. 1604. quod patrimonium non possit capi in executionem ad rescindendas expẽsas vulnerati ab eodem clerico.

41 Secunda difficultas, an ordinatus cum ficto patrimonio in suspensionem incidat, vel aliam censuram? Responderetur negatiuè, ita Diana post alios de *sacram.* resol. 184. & eadem ratio est de illo, qui ficto ordinatur beneficio, vel ficta pẽsione; & ratio est, quia licet iste grauiter peccet, censuram tamen non incurrat, eo quod nullibi id caueatur, quia canon *neminem*, & can. *sanctorum*, 70. dist. 70. vbi taliter promoti suspẽdebantur, reuocantur per cap. *cum secundum* 16. de *præben.* Lex autem noua declarat veterem, & etiã annullat. L. *non est nouum*, ff. de *legib.*

Sed

42 Sed petes, an clericus, qui à consanguineis, vel alijs patrimonium obtinuit, ad cuius titulum ordinatus fuit, & cum iuramento promisit peracta ordinatione, illud restituere; an ad id teneatur? Respondetur affirmatiuè, ita Diana loco citato post Auilam, Ioannem de la cruz, & alios, quia ea conditione patrimonij donatio facta est, & sub ea cõditione acceptata fuit Hoc tamen valet pro foro interno, nam pro foro externo talis restitutio rescindi potest Aduerte tamen quod sententia opposita Ledesmae, & Villalobos apud Dianam est valde probabilis, quod nimirum nulla sit obligatio restituendi illud patrimonium quandiu sibi non sit sufficienter prouisum, cum fuerit contra Concilium, ac proinde iuramentum illud fuisse nullum cum fuerit de re iniqua, quam promittere non poterat. Idem dic si intercessit pactum nihil petendi, &c. ob eandem rationem.

43 Tertia difficultas, an si Clerici patrimonium repentina clade sit exhaustum, de-

beat Episcopus eidem clerico prouidere? Respondetur affirmatiuè, cum enim propria clericis non sufficiunt, Ecclesiastica habere debent cap. *illi autem* 12 q. 1. cap. *clericos*, 1. q. 2. & Glos. in cap. *questionibus*, non enim clerici mendicare debent, cum ordinis clericalis opprobrio. Ecclesia namque habet aurum, non vt seruet, sed vt pauperibus distribuat, cap. *aurum* 12. quaest. 2.

44 Quarta difficultas, an Episcopus possit in aliquo casu dispensare, vt quis sine titulo ordinetur, nempe sine beneficio, patrimonio & pensione? Affirmatiuè respondet Auila, Moscosus, & Henriquez, apud Dianam p. 5. tract. 10. resol. 50. vt si sit vir doctus, insignis, &c. de quo certum est, quod sibi prouisionem acquireret, quia obtinebit cathedram, præbendam, beneficium, &c. Sed Diana ibi aduertit obstare sacrae Congregat. declarationem, cui si constet standum est.

45 Secundum Subdiaconi requisitum est, quod vt ordinetur, litteras habeat dimisso-

missorias, licet enim hæ litteræ ad omnes ordines requirantur, quando quis ab alieno ordinari vult Episcopo, tamē speciali modo pro Subdiacono requiruntur, cum tunc ad sacrum ascēdat ordinem, vbi maior requiritur, & morum indagatio, & tituli approbatio. Sunt ergo litteræ dimissoriæ quoddam medium, seu proprii Episcopi testimoniū, per quod, quis ab alieno ordinari potest Episcopo, & sine quo ordinari non potest. Pro quo nota, triplicem esse posse, proprium Episcopi, à quo potest quis ordinari, si ordinationem habeat, & à quo potest litteras testimoniales, vel dimissorias obtinere, vt ab alieno ordinari possit Episcopo, quando proprius ordinationem non tenet: originis, scilicet, beneficii, & domicilij cap. nullus, de tempor. ordin. in 6. Episcopus originis ille est, in quo quis natus est, aliqui tamen extēdunt id etiā ad originem patris, ita quod Episcopus ordinare possit illum, qui alibi natus est, eius tamen pater inibi est natus, sed mihi magis placet Qua-

ranta sent. verbo *Ordo*, quod ante factum, primum sit cōsulendum, post factum tam ordinans, quam ordinatus excusari debent: vtriusque sententiæ defensores habes apud Dianam p. 8. tract. 2. resol. 12. Aduerte tamen, quod non sufficit aliquem esse alicubi natum fortuito, vt ab Episcopo illius loci ordinari possit; sed dum eius parentes ibi habebant domicilium, vel etiā vbi eius pater natus est, etiā si ipse ibi fortuito natus sit, quia non quæcunque natiuitas facit aliquem ciuem loci, in quo quis nascitur, sed illa in qua eius parentes habent domicilium L. 1. C. de cap. & post. lim. reuers. vbi Bart. num. 4. Platea in L. filios nu. 1. Paulus, & Alexand. in L. huiusmodi S. legatum. ff. de verb. signific. Felin. in c. Rodolphus concl. 5. Iason consil. 77. lib. 3. & alij, Sed quid dicendum est in casu quo quis natus est in tali loco, vbi mater habet domicilium, & pater non, sed in alio? Respondetur quod debet ordinari ab Episcopo domicilij matris, nō patris, quia illud certius est isto.

Potest

46 Potest etiam quis ordinari ab Episcopo beneficij, quia ratione illius fit sibi subditus; Vnde si quis duo habeat beneficia in duobus Episcopatibus, ab utroque ordinari potest Episcopo. Nō potest tamen vnus Episcopus vt extrahat aliquem à proprij Episcopi subiectione, illi beneficium cōferre, & postea illum ordinare, cum hoc fiat in fraudem alterius Episcopi, & fraus nulli debet patrocinari. An autem sit necesse ad hoc, quod Episcopus beneficij, aliquem ordinet, quod beneficium non solum sit collatum, verum etiam quod sit possessū? Ricc. p. 2. decis. 166. nu. 3. partem tenet affirmatiuā, vt per simplicē beneficij collationem, quis non fiat subditus, sed vltius illius requiratur possessio, tamen ad hoc vt quis ordinetur necesse non est, quod sit subditus, vt patet de illo qui ab originis ordinatur Episcopo, & alibi habet domicilium, sed sufficit, quod beneficium habeat, ille autem beneficium habere censetur, qui iam illius habet collationem, licet adhuc

non habeat possessionem, sed illam fit postea habiturus.

47 Ad hoc vt Episcopus ordinet aliquem ratione domicilij requiritur, quod ibi migrauerit animo ibi habitandi, & perpetuo manendi, qui animus haberi potest, vel per iuramentum, vel si ibi domū emerit, vel transfulerit maiorem suorum bonorum partē; vnde potest quis in momento in aliquo loco domicilium acquirere Aduerte tamen quod ad habendum domicilium in ordine ad Ordines suscipiendos, Rota Rom. in decis. diuers. decis. 150. nu. 8. par. 2. declarauit non sufficere simplicem animi declarationem ibi habitandi, sed quod requiratur vel iuramentum, vel emptio Domus, vel translatio bonorum; quando autem hæc non habentur, sufficit quod ibi habitauerit per decenium cum animo ibi manendi L. 2. C. de incolis quomodo autem ex coniecturis domicilium probetur tradit. Abb. in c. *fn.* de Paroch. Fel. in c. *dilectus*, 2. de rescriptis. Mascard. de *probat.* concl. 534. Menoch. de *arbitra* lib. 2. cen-

2. centu. 1. cas. 86. & alij. Vnde patet, scholares in aliqua vniuersitate etiam per decenium manentes nō posse ibi ordinari si habeant animum ad patriam reuertendi, secus si non habeant.

48 Sed quæres primò, an sufficiat quod litteræ dimissoriae à Vicario Episcopi obtineantur, an vero debeant dari ab ipso Episcopo? Respondetur non sufficere quod à Vicario dentur nisi Vicarius saltem tacitum habeat Episcopi consensum: ita Quaranta loco citato, post alios multos, & colligitur ex c. *cum nullus*, §. Episcopo Limitatur in casu quo Episcopus in remotis ageret partibus Glos. in dicto c. *cum nullus*.

49 Quæres secundò, an istæ litteræ dimissoriae possint concedi à capitulo sede vacante? Respondetur quod non, nisi post annum à vacatione, non solum quoad ordines, verum etiam quod primam tonsuram, quia licet prima tonsura ordo non sit, litteræ tamen testimoniales pro ea dari non possunt, quia Sacra Congreg. apud Barb. in coll.

Bulla. V. *Capitulum sede vacante* vtrumque prohibet, & quod non det licentiam ordines suscipiendi, & quod testimoniales non conferat litteras. Concedi tamen possunt intra annum illi qui per Pontificis diploma potest extra suam diocesim, vel per *extra tempora*, ordinari.

50 Quæres tertio, an istæ litteræ dimissoriae requirantur, etiam si persona sit cognita, & eius qualitates sint patentes? Respondetur affirmatiuè, quia istæ litteræ requiruntur vt forma, quod autem datur vt forma, semper, & omnino est seruandum. c. *cum dilectis* de rescriptis Mādos. in regul. 24. q. 3.

51 Quæres quarto, an istæ litteræ requirantur respectu illius, qui per trienium est cū Episcopo commoratus? Respondetur quod non, ita statuit Tridentinum sess. 23. c. 9. vbi dicitur, *Episcopus familiarem suum ordinare non possit, nisi per trienium secum fuerit commoratus, & beneficiū, quacunque fraude cessante, statim re ipsa illi conferat*. Vbi aduerte, quod si Episcopus ante

ante trienium suo cōferat familiari beneficium poterit illum ordinare, trienio non expectato, cum ratione beneficij subditus illius fiat, & eiusdem beneficij ratione ordinari quis potest, vt dictum est Sanchez. to. 2. opus. lib. 7. c. 1. dub. 20. nu. 25. Aduerte etiam quod Episcopus in virtute indulti Concilij poterit suum familiarem in interstijis dispensare, vt sacra declarauit Congregatio apud Molfesium to. 1. trac. 2. c. 2. nu. 9. licet Garzia apud Dianam p. 8. trac. 2. resol. 35. aliam in contrarium adducat, cui si posterior sit stādum est. Aduertit etiam Diana ibidē, resol. 24. hoc indultum extendi posse ad famulum sui familiaris, qui illi per trieniū deseruiuit cum eadem videatur vtriusque ratio. Vltorius aduertit idem Diana hoc priuilegium non extendi ad Episcopum titularem; nec ad familiarem, qui in regione remota deseruit Episcopo; secus de illo qui illi deseruit partim in ciuitate, partim extra, sed oppositum sua non caret probabilitate, cū talis restrictio nullibi reperiatur.

52 Quæres qu'ned, an qui ficto titulo reuerendas, seu dimissorias impetrauit incidat in suspensionem, latam à Pio. II. contra eos, qui sine eisdem ordinantur. Affirmat Coninchus disput. 16. dub. 1. nu. 38. vbi affert Suarez. Sed melius negat Henriquez lib. 13. c. 37. num. 2. Nam poenæ non sunt extendendæ ab vno casu ad alium, præsertim dissimilē. Est autem casus dissimilis ordinari cum litteris, & sine, suspensio namque Pij est contra eos qui sine litteris ordinantur, nō contra illos qui ficto titulo.

53 Tertium subdiaconi requisitum est, quod ad perpetuam obligetur continentiam, vt deducitur ex cap. à *Multis* de ætate, & qualitate ordin. ante quod tempus subdiaconatus Ordo sacer non dicebatur, quia annexam nō habebat continentiam. & statuit Tridentinum sess. 24. can. 9 vbi dicitur: *si quis dixerit in sacris ordinibus constitutos, posse matrimonium contrahere, &c. anathema sit.* Vnde hæc est constans omnium fidelium sententia.

54 Difficultas tamen est,

L

an

an Subdiaconus, & ceteris ordinibus sacris initiati, ad continentiam obligentur à lege Ecclesiastica immediatè, an vero mediatè, ratione voti continentiae, quod in subdiaconatu emitti præcipit. Prima sententia est Scoti in 4. dist. 37. q. 1. Paludani q. 1. art. 2. Valentiae q. 5. puncto 5. qui dicunt subdiaconum, & alios sacris Ordinibus initiatos ad continentiam teneri præcisè ratione legis Ecclesiasticæ, non ratione alicuius voti. Secunda sententia est Coninchi disput. 20. dub. 13. Rebl. lib. 3. *de imped. matrim.* qui volunt ad id teneri tum ratione legis Ecclesiasticæ, tum ratione voti ex eadè lege annexi Subdiaconatu, & alijs dubus ordinibus sacris, si illud saltem implicite emittatur: vnde volūt Subdiaconū cōmittentē actū venereum exteriorem tria committere peccata, vnum luxuriæ, aliud sacrilegij contra religionem ratione voti, & aliud contra Ecclesiæ præceptum, seu contra legem Ecclesiasticam illum prohibentem intuitu reuerentiæ

statui Ecclesiastico debite. si vero actum habet internum, duo tantum peccata comittit Luxuriæ, & sacrilegij, non contra Ecclesiæ præceptum, quia ad actum internum non est Ecclesiæ præceptum.

55 Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. Subdiaconus, & idem est de duobus alijs sacris ordinibus initiatis, tenetur solum immediatè, ad continentiam seruandam ratione voti, quod Ecclesia mandat tunc temporis fieri. Ita Caietanus tom. 1. opus. trac. 27. Medina lib. 1. *de continentia* c. 2, & alij communiter: & sic, qui actum etiam externum committeret incontinenriæ, duo solum peccata committeret, vnum Luxuriæ, & aliud sacrilegij. Quod Subdiaconus ad continentiam teneatur ratione voti patet ex cap. *nullus* dist. 28. vbi præcipitur quod nullus, Subdiaconus ordinetur, nisi prius se castè victurum promittat. & cap. *olim* de clericis coniugatis, & cap. *unico*, de voto, & voti redemptione, in 6. & c. *à multis*, de æteta, & qual.

lit. Ordin. Quod autem non teneatur immediatè ratione legis, vel præcepti Ecclesiastici, etiam patet, quia alioqui Subdiaconus peccans contra castitatem, etiam tertium adderet peccatum contra duliã, seu reuerentiã Ecclesiæ præceptis, & legibus debitam, quod certè durum videtur, & contra omniũ sensum, & præsertim illorum Theolog. qui volunt Subdiaconum, dum suum confitetur peccatum, nõ teneri dicere se esse Subdiaconum, vel Sacerdotem, sed sufficiat sibi dicere, peccavi semel contra votum castitatis, quod habeo.

56 Obijciunt primæ sententiæ defensores, quia si Subdiaconus ad castitatem non teneretur ratione præcepti Ecclesiastici, sed solum ratione voti, sequeretur, quod qui ignoraret, votum illud esse subdiaconatu annexum, ad castitatem non teneretur. Similiter, qui hoc quidem sciret, sed ad illud se adstringere nollet? Responderetur concedendo antecedens, cum enim votũ sit obligatio personalis ab ignorante, & no-

lente non contrahitur, peccabit tamen iste mortaliter contra Ecclesiæ præceptum, non de castitate seruanda, sed de voto ponendo, quod præceptum semper vrgebit, quãdiu votum non ponatur. Non est tamen necesse, quod hoc votum expressè fiat, sed sufficit, quod implicitè emittatur, quod tunc contingit quando quis scit hanc obligationem sacris annexam esse ordinibus, & scienter, & volenter illos suscipere vult. Quo autè iure sacris initiatus prohibetur matrimonium cõtrahere, pro modo dico, iure diuino naturali, ratione nimirũ voti solemnisi castitatis sacris annexi ordinibus, quod impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, & etiam iure Ecclesiastico, quia Ecclesia id expressè prohibet, vt apertè colligitur ex Trid. sess. 24. can. 9. & can. 27. Apostol. ex synodo Trullana c. 6. cap. à multis, de ætate, & qualitate ordin. & can. Presbyteris dist. 27.

57 Sed quæres primò, an in infantia ordinatus ad castitatem postea seruandam te-



neatur? Respondetur negatiue, nisi postea votum ratificet, ratio est, quia votum, liberum vouentis consensum requirit. Sánchez lib. 7. disp. 30. num. 3. & alij plures apud illum, sed ille cōsensus non reperitur in infantia; ergo.

58 Quæres secundo, an qui sacrum Subdiaconatus ordinem suscipit ante pubertatis annos ad continentiam teneatur? Negat Sanchez lib. 7. de matrim. disput. 30. num. 8. post alios, imò idem tenet de ordinato ante annū 16 nisi ratificent illud, quia putat eandem esse rationem huius voti, & professionis. Sed oppositū videtur verius, quia Tridentinum de solo professionis voto loquitur dum sess. 25. c. 15. irritat professionem ante 16. annum factam. Videtur Castrus Palaus tom. 4. tract. 27. punct. 17. & alij.

59 Quæres tertio, an qui ordines suscepit cum metu cadente in constātem virum ad castitatem teneatur? Negat Sanchez disput. 29. nu. 5. & alij eo quod putent metū grauem iure naturæ omnia vota annullare, Qui vero vo-

lunt nullum votum naturæ iure per metum factum esse nullum, sed solum iure positivo, quæ ad religionem pertinent, dicunt teneri. Ex prioris sententia deducit Decastilus apud Dianā p. 10. trac. 13. resol. 18. quod qui per metū ordinatus est, nisi votum ratificet, vel expressè, vel tacitè vtendo ordine, potest vxorē ducere, & diuinum officium non recitare, quia est onus ordinis spontè suscepti. Sed de hac re vide quæ dicuntur à nobis in tract. de Matrim. disput. 6. q. 10. diffic. 4.

60 Quartum, Subdiaconi requisitum & aliorum sacrorum ordinum initiatorum est, quod habitum, & clericalem ferat coronam, an autem sub mortali, dico cum Caietano in sum. V. *clerici peccata*, quod non, nisi fiat cum temeritate, vel contemptu, dummodo aliquod aliud signum habeat per quod clericus appareat, vt si habeat cingulam nigrū, quosolent vti clerici, vel quid simile. Qui vero sunt in minoribus constituti non peccant saltem mortaliter si illa clericatus signa non terant.

Quin-

Quintum requisitū est, quod ad diuinum teneatur officium recitandum, sed de hoc suo loco.

## Q V A E S T I O V.

### *De ordinationum temporibus.*

**61** Prima Tonsura quauis die, hora, & loco conferri potest, licet cōferri soleat in vesperis diei, ordinationē præcedentis, ita Host. & Abb. in cap. *consultationi*, extra de tempor. ordin. Ordines minores Dominicis diebus, & festiuis conferri possunt, taliter tamen, quod ordinatio generalis non appareat, & sic tot ordinari possunt, quot iudicio prudentis iudicabuntur ordinationem non facere generalem: non simul omnes conferri debent, præsertim cum prima Tonsura, nisi ubi viget consuetudo, vel aliqua causa adfit quæ id suadeat. Aduerte tamen quod non possunt conferri ordines minores in diebus festiuis de deuotione, sed de præcepto, vt docet Abb. in cap. *ex eo*, & ita se habet vsus.

**62** Ordines sacri solum

conferri possunt sine Pontificis dispensatione in Sabbatis 4. temporum, sabbato ante passionem, & sabbato sancto c. *de eo*, & c. *litteras*. Nec duo ordines sacri cōferri possunt eadem die. Tridentinam sess. 23. c. 12. nec sabbato, & Dominica continuato ieiunio, quia fictione canonica propter ieiunij continuationem vna dies censentur. Quod si Episcopus eadem die duos sacros conferat ordines, ordinandi potestate suspenditur c. *dilectus* de tēp. ordin. oppositum tenet Diana p. 5. trac. 10. resol. 39. quia suspensio solum ferenda videtur: similiter potestate ordinandi suspenditur Episcopus si extra tempora sacrum conferat ordinem, & ordinatus, eiusdem ordinis executione priuatur c. *sanè*, de tēp. ordin. vbi Abb. & alij, & habetur etiam in

Bulla

Bulla Pij II. & Sixti V. sed requiritur præsumptio. Potest tamen Episcopus ubi vigeat consuetudo ante Tripentinū conferre eadem die minores cum Subdiaconatu. Diana ubi supra.

63 Sed quæres primò, an Episcopus possit extra tempora v.g. de Dominica sequenti, supplere defectum præcedentis ordinationis? quis v.g. non tetigit materiam, vel non fuit positum vinum in calice pro sacerdotis ordinatione, vel quis contrariam habuit ordinationi intentionem, postea mutata sententia vellet verè ordinari &c. an id fieri possit sequenti die? Respondetur affirmatiuè, Diana p. 9. trac. 8. resol. 29. id tamen fieri debet in secretiori loco; ratio est, quia prohibitio contraria non est de supplendo ordinū defectu, sed de non celebrādo ordinationē absolutè. Tū quia per illam externam ordinationem, externo Ecclesiæ foro est satisfactum, ut patet de illo, qui inualidè matrimonium in Ecclesiæ facie contraxit. non tenetur illam supplere inualiditatem, in eius-

dem Ecclesiæ facie, sed potest illam supplere priuatim.

64 Quæres secundò, an qui vesperi suam complet ætatem possit mane ordinari? Negat Pasqualigus cent. 2. q. 122. ubi dicit Dianæ, Ledesma, & aliorum sententiā affirmatiuam improbabilem esse, sed Diana ipse p. 9. bene se defendit, & probat suæ sententiæ probabilitatem, ubi etiā adducit Trullench. Marchinum, & Leandrum; & ratio est, quia diei vespera ad mane trahitur, & ex utroque vna integratur dies. Aduerte tamen ut supra diximus, quod in hac ordinis materia sufficit annus inchoatus, per diē, vel horā, vel ut vult Leander apud Dianam supra per dimidium quadrantem.

65 Quæres tertio, an possit Episcopus dispensare in paruitate materiæ: v.g. defunt ordinando, duo, vel tres dies? Respondet Zanardus de matrim. p. 1. cap. 40. §. 14. affirmatiuè, quia inquit ille, ista parua distantia, pro non distantia habetur; iuxta illud, quod parum distat nihil distare videtur.

Quæ-

66 Quæres quartò, an Regulares suorum virtute priuilegiarum possint ab Episcopo extra tempora ordinari? Respõdetur affirmatiuè, ita post multos tradit Diana p. 5. trac. 13. resol. 57. & p 3. tract. 2. resol. 31. & hoc per diuersa Põtificum priuilegia, nam Alexander VI. & Eugenius IV. id cõcesserunt Religionibus D. Hieronymi, & D. Benedicti, quæ minimè reuocata esse à Tridentino probat ex Rodriguez, Villalobos to. 1. trac. 11. disp. 12. & diffic. 13. nu. 6. Idè concessit Clem. VIII. 23. Nouemb. 1596. Cõgreg. S. Ioan. Euangelistæ in Portogalia, quod Portel in illius Religionis priuilegij testatur se vidisse Idem concessit Greg. XIII. Patribus Societatis, & licet hic Pontifex expressè veter alias Religiones in hoc priuilegio communicare, id tamen facere possunt, vt tradūt plures apud Dianam vbi supra, quia alij Pontifices Gregorij successores, alijs religionibus absolutè societatis priuilegia concesserunt. videatur Diana de dubijs regulariũ resol. 81. *Vnde P. Auerfa de sacram. ord.*

q. 3. sect. 9. dicit hanc opinionem esse tutã in praxi, & practicari in pluribus diocesis, & in Romana ipsa Vrbe. Et iuxta tale priuilegium Emin. Sfortia in Ciuitate Ariminensi anno 1650. Quendam Religiosum nostrum extra tẽpora ordinauit. Idem dicẽdum est de priuilegio quod habent regulares dispensandi in interstitijs, de quo videri potest Diana vbi supra resol. 32. & de sacra. resol. 209. quatenus cum alijs docet ad regulares pertinere suos dispensare religiosos quoad interstitia ex priuilegio Greg. XIII. pro Patribus Societatis, & alijs per communicationem concessio.

67 Quæres quintò, an Cõstitutio Pij II. cõtra sacros suscipientes ordines ante tempus, vel extra tẽpora, vel sine dimissorijs ad Regulares extendatur? Affirmat Quaranta v. *Ordo*, & alij, quorũ ratio est, quia licet in illa constitutione Regularium non fiat mẽtio, sed solummodo clericorũ, tamen quia ordinis materia Regularibus, & secularibus clericis cõmunis est, ideo sub nomine clericorũ, etiam Regulari-

gulares venire debent, secus quando materia communis non est. Negat P. Santorus *ad constitut. Minorū c. 2.* stat 57. concl. 3. quod probat, quia licet in favorabilibus nomine clericorum & ipsi veniāt Regulares, in odiosis tamen nequaquam, quod ex signo cōfirmat, nam Sixtus V. confirmādo Bullam Pij II. illam ad regulares extendit, & Clem. VIII. dum Sixti Bullam reuocauit, & voluit in suo robore permanere illam Pij II. nullā fecit ad Regulares extensionem. Et sic ex hac sententia sequitur, quod Regulares qui absque canonica dispensatione, vel absque dimissorijs litteris, aut legitima licentia, siue extra tēpora à iure statuta, siue ante ætatem legitimam, ordinantur nullam incurrant suspensionem, & si actum ordinis sic suscepti exercent, nullam contrahant irregularitatem.

68 Quæres sextò, an si quis eadem die duos factos suscipiat ordines, ipso facto suspendatur, an vero solum suspendi debeat? Turrianus de censur. lib. 5. disp. 4. dub. 1. dicit talē

suspensionem esse latæ sententiæ, & deducit ex c. *litteras* de tempor. ordin. Sed verior videtur sententia P. Suarez de Censuris disp. 3 1. sect. 1. n. 41. quod solum sit sententiæ ferendæ, & certè ita videntur verba textus significare.

69 Quæres septimò, an si quis ordinetur, etiam factos suscipiendo ordines, non feruatis temporum interstitijs, suspensionem contrahat? Affirmat Portellus v. *suspensio* nu. 14. Sed melius negat Suarez loco citato num. 43. quia hæc suspensio in iure non videtur expressa, & sic non contrahitur.

70 Quæres octauo, an Episcopus dispensare possit cum promotore per saltum, quando in ordine per saltum suscepto ministravit? Dixi quando in ordine per saltum suscepto ministravit, quia in alijs legitimè susceptis ministrare potest, & quia Tridātinum Episcopo facultatem concedit vt possit dispensare cō promotore per saltum, quando in ordine suscepto non ministravit, sic enim fatur Cōcilium sess. 2 3. cap. 14. *Cum promotis per saltum,*

zum, si nō ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.

71 Ideo difficultas solum est, an possit Episcopus dispensare, quando per saltum promotus, in ordine sic suscepto, ministravit? Communis sententia est quod non, ut videre est apud Dianam par. 5. tract. 10. resol. 29. Nihilominus videtur mihi probabilis sententia Acugnæ in decret. Grat. par. 1. dist. 52. c. 1. nu. 13. quod possit Episcopus talem facere dispensationē, & quod solum per Concilium prohibeatur dispensare in ordine ad alium ordinem suscipiendum, & re vera ista videtur Concilij mens, quia in eo capite agit de ascensu ad alios ordines. Vnde si quis per saltum, sacerdotalem suscepit ordinem, poterit ab Episcopo dispensari, etiamsi in eo celebraverit ut relictum suscipiat, & in suscepto ministret, quia in isto nulla requiritur dispensatio, ut ad alium ordinem

ascendat; hoc enim ab Episcopo per Concilium fieri nō potest. Hæc sententia præsertim habet verum, quādo delictum est occultū, tunc enim in eiusdem Concilij virtute, poterit Episcopus, & qui (quoad hoc) auctoritatē habet Episcopalem, ut sunt Regularium Prælati, & in irregularitate contracta celebrādo v.g. cum tali impedimento, & in impedimento ipso, dispensare. Hæc etiam sententia maximè habet verum in sententia eiusdem Acugnæ, & aliorum apud Dianam p. 5. tract. 10. resol. 27. quod promotus per saltum, nō sit ipso facto suspensus, cum nullibi hæc suspensio ipso facto reperiatur, sed sit ad summum suspendendus, quod non fiet, quando delictum est occultū, & non deductum ad forum contentiosum, & sic, promotus per saltum ministrando in ordine suscepto nullam contrahet irregularitatem.



## Q V A E S T I O VI.

## De ministro Sacramenti ordinis ,

72 **S**acramenti ordinis minister alius ordinarius est, & alius extraordinarius, seu ex delegatione, & commissione, iterum minister ordinarius alius est ad validè tantum hoc sacramentū conferendum, & alius est ad validè, & licitè: quibus præmissis dicam prius ea in quibus omnes conveniunt, postea subiungam ea in quibus aliqua est inter Theologos discrepantia. Conveniunt omnes, ministrum huius sacramenti ordinarium esse solum Episcopum consecratum, & ita fides docet, ut constat ex Florentino in decreto Eugenij, & Tridentino sess. 23. c. 4. & can. 7. ubi hoc sub anathemate definitur; & ex sacris deducitur litteris Actorū 13: & 14. 1. ad Tim. 4. 2. ad Tim. 1. & alibi, & ratio est, quia illius ministri est propria ordinatio, cui ex vi suæ ordinationis talis competit potestas; Atqui hæc potestas ex vi suæ ordinationis, & consecratio-

nis soli convenit Episcopo; ergo iste solus est ordinarius huius sacramenti minister.

73 Conveniunt secundò, huius sacramenti ministrum ordinarium ad validè, & licitè, esse solum Episcopum, nulla censura irretitum, qui enim est hæreticus suspensus, degradatus, vel aliqua alia Ecclesiastica censura innodatus, licet possit validè hoc sacramentum administrare, non tamen licitè. Similiter, qui proprios habeat subditos; nam his solum, potest Episcopus hoc sacramentum licitè administrare, nisi ex commissione alterius Episcopi. Unde Episcopus titularis, vel quilibet alius ex commissione proprii Episcopi, potest illius subditos ordinare; quinam autem (quantū ad hoc) Episcopo subijciantur, diximus supra, nimirum ratione originis, domicilij, & beneficij.

74 Conveniunt terriò simplicem sacerdotem ex Summi

mi Pontificis commissione posse esse huius sacramenti ministrum extraordinarium, quoad ordines minores, Subdiaconatum, & Diaconatum. De ordine Lectoris patet ex cap. *Quoniam*, dist. 69. & ex cap. *cum contingat*, de ætat. & qualit. ordin. & de singulis minoribus ex Tridético sess. 23. cap. 15. ubi prohibet Abbatibus conferre Tonsuram, & minores non subditis; ergo cum exceptio firmet regulam in contrarium, patenter colligitur posse Abbates, tales ordines conferre, proprijs subditis, & tamē simplex Abbas dignitatem nō superat sacerdotalem. De Subdiaconatu, & Diaconatu patet per privilegium Innoc. VIII. 1488. Cistercij Abbatibus cōcessum, per quod potest Abbas Cistercij pro tempore existens, Subdiaconatū, & Diaconatum subditis illius monasterij, & aliorum quatuor, qui Cistercij filij vocantur, conferre. Quodque privilegium non esse per Tridentinum reuocatum dicunt, quia Tridentinum hanc facultatem solum reuocat quoad

læculares, quibus non solum ordines conferebat Cistercij Abbas & alij, per privilegij communicationem, verū etiam dimissorias illis dabāt. Vide Dianam p. 8. tract. I. resol. 35. post alios.

75 Sed dices, quia potestas conferendi ordinem v.g. Diaconatus, in Episcopali fundatur caractere; atqui Sacerdos simplex Episcopalem non habet caracterem; ergo non potest ex Pontificis commissione Diaconatū conferre. Non enim Pontificis commissio simplici tribuit sacerdoti, aliquam ordinis potestatem, quam prius nō habebat? Respondetur verum quidem esse potestatem ordines conferendi, primò, & principaliter in caractere fundari Episcopali, tamen ex Pontificis commissione fundari etiam potest in caractere sacerdotali, ipsum ad tale munus eleuando, & confortando, & hoc ex sola plenitudinis potestate, non per simplicem, vt ita dicamus, commissionem; alioqui etiam Episcopus posset saltem validè, talem facere commissio-



nem; vt enim de confirmationis ministro diximus Christus Dominus duos instituit, & huius sacramenti ministros, vnum ordinarium, & hic est Episcopus, qui hoc munus habet ex vi suæ consecrationis; & alium extraordinariū, ex Pontificis commissione, nō simplici, sed qua ex Christi auctoritate, & potestate potest eleuare sacerdotalem characterem, vt ad illud excellentissimum munus extendatur: & valdè rationabiliter factum est; cum enim ille sacerdotalis character in corpus Christi verum extendatur, quod maximum est, debebat etiam ex Christi Vicarij commissione posse extendi ad ordinandi munus, quod minus est illo. Vt autem Pontifex hanc faciat commissionem, non est necesse, quod sit consecratus, sed sufficit quod sit electus, cum suam non recipiat potestatem ex consecratione, sed ex electione. In his conueniunt ferè omnes Theologi, & licet D. Thomas quæst. 38. art. 1. & aliqui antiqui, qui ante Innocētij VIII. concessionem scripserunt, vi-

deantur oppositum tenere quoad ordines sacros, tamen intelligi possunt de simplici concessione, non de illa, quā nos explicuimus. Sed modo afferamus, ea de quibus est aliqua inter Theologos difficultas.

76. Prima difficultas est, an simplex sacerdos ex Pontificis cōmissione possit Presbyteratus ordinem conferre. Prima sententia negat, quā sequitur Auerſa disp. 5. num. 16. & alij, & est valde probabilis; sed non minus probabilem reputat Diana p. 8. tom. 1. resol. 36. oppositū, quam tenuit Glos. in cap. *peruenit*, dist. 95. Innoc. IV. in cap. *de consecrat.* num. 4. Pannorm. ibidem num. 4. Angelus v. *Ordo* 2. num. 2. Vasquez, Hurtadus, & alij. Et ratio est, quia si potest Pontifex potestatem facere simplici sacerdoti vt Diaconatum & inferiores conferat ordines, poterit etiam potestatem facere, vt conferat Presbyteratum, cū omnia sint æquè sacramenta, & solum differant secundum maiorem, vel minorem dignitatem & perfectionem.

Pro.

Probat etiã Diana<sup>1</sup> ex diuersis Ecclesiæ factis, quæ in illo diligentissimo auctore videri possunt. Nec valet, quod par in parem non habet potestatem, & per consequens simplex sacerdos non poterit sacerdotalem conferre characterem. Nam respondetur, hoc argumentum nullius esse roboris, nam vt omnes tradunt, licet ad consecrandum Episcopum tres requirantur Episcopi, etiam de iure diuino, vt tradunt plures, tamen Ecclesia pluries dispensauit, vt Episcopus ab vno solo consecraretur Episcopo, cum tamen Episcopus non sit supra Episcopum. Adde, quod eo ipso, quod Episcopus, & Sacerdos respectiuè, suam accipiant à Põtificè facultatè ordinandi Episcopum, & Sacerdotem, sunt superiores Episcopo, & Sacerdote, ratione receptæ potestatis.

77 Secunda difficultas, an ex Pontificis dispensatione possit Diaconus Diaconū ordinare, & Subdiaconus Subdiaconum, & sic de ceteris ordinibus inferioribus. Negant Syluester, & alij apud

Dianam loco citato resol. 38. At pro parte affirmatiua refertur Glos. in cap. quanto, de consuetudine, cui ego addo Innocentium vbi supra, & refertur à Nugno quæst. 38. art. 1. ratio esse potest, quia Diaconus ex Pontificis facultate est Diacono superior, sicut & Episcopus, vt modo dicebamus Episcopo, quem consecrat; ergo sicut ex eadem Põtificis facultate potest Episcopus Episcopum facere, & Presbyter Presbyterum, ita & Diaconus Diaconum, &c.

78 Sed contra hoc arguit Isamb. disput. 6. ar. 1. quia nullus potest habere ius in corpus Domini mysticum, quin prius habeat in corpus Domini verum; sed Diaconus v.g. nullam habet potestatem in corpus Domini verū; ergo neque in mysticum, atqui illam haberet si ordinem conferre posset; ergo. Respondetur quod Diaconus aliquam habet potestatem in corpus Domini verum, sicut & ceteri ordinati; cum enim de ordinis essentia sit, corpus Domini verum respicere, sequitur quod poterit quilibet ordinatus

natus consimilem potestatem, ex Pontificis facultate alijs facere, & sic poterit Diaconus Diaconatum conferre, & subinde ceteros ordines inferiores, &c.

79 Tertia difficultas, an Episcopus possit conferre ordinem, quem non habet, ut si quis sacerdotium recepit, & subinde Episcopatum, non tamen Diaconatum, an nimirum Episcopus tunc absque Pontificis facultate possit Diaconatum conferre; & sacerdos non Diaconus id facere possit ex Pontificis commissione? Respondetur affirmative, quoad Episcopum, ratio est, quia potestas quam Episcopus habet ordinandi, habet ratione consecrationis Episcopalis, quæ de necessitate solum sacerdotalem supponit characterem, non characterem Diaconatus, vel Subdiaconatus; ergo cum talis Episcopus ut suppono, characterem habeat Episcopalem, & sacerdotalem, quæ sunt essentialia ad ordinandum requisita, valide, non licite, absque Pontificis facultate ordinem quem non habet

conferre poterit; dixi valide, sed non licite, quia qui aliquem non recepit ordinem, tenetur illum recipere; Quoad Sacerdotem vero ratio est, quia ut omnes tradunt post D. Thom. q. 35. art. 5. character superior eminenter continet inferiorem, quod autem eminenter est tale, facere potest quidquid faceret si esset formaliter tale, ut patet de luce solis. Hanc sententiam sequuntur plures, quos ut solet, liberali manu refert Dia. p. 8. tract. 2. resol. 4.

80 Quarta difficultas, an Episcopus, qui non tantum loco, verum etiam dignitati renunciauit possit ordines conferre? Id concedunt omnes Episcopo, qui solum loco renunciauit, unde talis Episcopus de alterius Episcopi venia, poterit generalem omnium ordinum facere ordinationem, ut definit Alexander III. cap. 1. *requisuit à nobis, &c.* Quoad Episcopum vero, qui etiam dignitati renunciauit, ut de Magno Alberto dicitur, ut ad suæ religionis quietem reuertetur à qua inuitus fuerat auocatus, dicit

Diana

Diana loco citato resol. 7. quod solum possit ordines conferre minores, propter cap. I. de ordin. ab Episc. qui renun. vbi refert M. Candidum,

& Riciullum: quod intelligi debet quoad licitè, nō quoad validè, cum per talem dignitatis renunciationem Episcopale non amiserit characterē.

## Q V A E S T I O VII.

### *Quinam ordinari prohibeantur.*

81 **O**rdinari prohibiti, in triplici sunt differentia, quidam enim sacrum non recipiunt characterem, & hi sunt foemina, & non baptizatus; hi namque quantumvis ordinari contentur, non ordinantur, nec vllum ordinis recipiunt characterem, vt ex supra memoratis liquet, quidā quidem taliter ab ordinis receptione arcentur, quod si ad illam accedant, characterem quidem recipiunt, sed non ordinis executionem, alij autem ita prohibētur, vt tamen ordinis recipiant executionem, de quibus aliqua diximus supra, & aliqua breuiter tangentur hic, quia longior tractatio erit, dum de suspensione, & irregularitate dicetur.

82 Pueri ante rationis vsū ordinari prohibentur, si tamen ordinentur, & characterem recipiunt, & ordinis etiā sacri, executionem: Dummodo suo tempore id fiat, & in continentię votum consentiant; & ratio est, quia hæc prohibitionē ipsos afficit paruulos cum illius capaces non sint, sed ordinatorem, ne talem faciat paruulorum ordinationem; & sic paruuli ipsi, nullam contrahunt pœnam, cum nullam habeant culpam,

83 Illegitimi ordinari prohibentur; quia, ut inquit D. Thom. 4. dist. 25. q. 2. art. 2. quæst. 3. cum per ordinem homines super alios constituentur, præ alijs etiam debent esse honestate clari, & bonæ

bonæ famæ, quæ ex illegitimis natalibus obscuratur. Vel ut dicit Host. in summa, in detestationem paterni criminis, cuius solent filij imitatores esse; ad quos autem spectet cum his dispensare de irregularitate dicetur, cum hæc illegimitas sit quædam irregularitas, c. *ut filij*, & cap. *nimis*, de fil. præby. & cap. *qui eodem*, in 6. pro modo tamen dico, quoad minores, & ad beneficium sine animarum cura, dispensat Episcopus, quoad ordinem vero Maiores, & beneficium cum cura, solus Papa. si tamen religionem ingrediatur absque dispensatione ordinabuntur, quia per talē ingressum omnis tollitur irregularitas excepta quæ ex bigamia, & homicidio nascitur voluntario, non tamen ad ordinis dignitates dispensantur.

84 Similiter ordinari non possunt bigami c. *Acutius* dist. 26. Tol. lib. 1. c. 65. & alij. Nec solemniter poenitentes c. *ex poenitentibus* dist. 50. Tol. c. 64. Nec Neophyti. c. 1. & 2. distin. 48. Item nec curiales, ut iudices, aduocati, no-

tarij, & similes ministri, c. 1. & 2. dist. 51. si vero à curia absoluantur, ordinari possunt, nisi irregulares sint. Eadem ratione arceantur, qui sunt ratiocinijs obligati, ut actores, executores, &c.

85 Ordinari preterea prohibentur serui *extra de seru. non ordin.* dist. 54. per totam. Peregrini nisi litteras habeant dimissorias Tol. c. 48. Coniugeti c. *fn.* de temp. ordin. in 6. nisi vxor sponte consentiat si sit vetula, secus nisi in monasterium ingrediatur, de quo suo loco. vel nisi sit adultera viro reluctante, vel nisi sit hæretica per sententiam dānata, in his namque casibus potest vir, matrimonio consumato, ordinari. Corpore vitiatum ut morbo laborantes caduco, membro troncati, vel notabiliter debilitati ut ordinis impediatur exercitiū: quibus oculus canonis deest, enervumani, mente capti, & alij, qui horrorem, vel scandalum generarent, de quibus in tractatu de censuris.

86 Illiterati similiter, ut ex dictis supra liquet; ubi etiā notauimus, quod in Regularibus

bus tanta non requiratur literatura, quanta in clericis sæcularibus, Religiosi namque ad curam non assumuntur animarum, nec omnes sacerdotibus exponuntur Confessionibus, sed aliqui Choro mancipantur, & Conuentus officijs, ut portarij, sacristæ, procuratoris, &c. videatur Pierinus const. 26. Leonis X. S. 13. nu. 15. Et denique omnes irregulares, sine dispensatione, ordines suscipere prohibentur. A quibus autem irregularitatibus possit absolueri Episcopus, & Regulariū Prelati, qui Episcopalem habent auctoritatem, patet ex dictis. Vnum solum addo,

quod non solum regulares possunt suos absolueri subditos à suspensione contracta, dato quod sit sententiæ latæ per ordinum susceptionem ante legitimam ætatem, sine licentia, & per saltum ut diximus supra q. 5. versus finem & tradunt plures, quos sequitur diligens Diana p. 3. trac. 2. resol. 85. verum etiam ab irregularitate contracta per sacri ordinis usum, cum illo impedimento, cum hæc irregularitas in specie nullibi reseruata reperitur, sed de hoc alio commodiori loco. Et hæc de Ordinis sacramento ad laudem Dei, eiusque V. Matris.





TRACTATUS  
NONVS  
DE  
SACRAMENTO  
MATRIMONII.  
PROOEMIUM.

I **M**atrimonium est septimū, & vltimum Ecclesię sacramētum, de quo disputant Scholaſtici post magnum ſententiarum Magiſtrum in 4.ª diſt. 26. vſq; ad 42. incluſiue, & Doctor Angelicus eodem loco, & in hac 3.ª p. in ſupplemento, à quęſtione 41. vſque ad 69. incluſiue. Horum ordinem ſeque-

mur agendo prius de Matrimonio ſecundum ſe, & de neceſſarijs ad illius eſſentiam, & conſistentiam, de prærequisitis ad illud, deque impedimentis, quę tam naturali, quam canonico iure illi opponuntur. Et licet Thomas Sanchez, diligentiffimus Matrimonij ſcriptor, à ſponſalibus exordietur, eo quod ſine veluti via, & diſpoſitiones ad matrimonium, tamen in hoc

non rectè se gessit, sicut nec alij, qui ipsum sequuntur, cū sine fundamento, & exemplo ab omnium ordine scholasticorum recesserit; cum enim hæc tractatio primò, & per se ad matrimonium dirigatur & ad sponsalia solum ratione illius, rectè scholastici prius de illo, quam de istis sermonem intexerunt: nec verum est, quod Gregorius IX. prius de sponsalibus egerit, quam de matrimonio, ut dicit Sanchez, ut huius exēplo à scholasticorum ordine recederet, quia ut rectè obseruat Vas-

quez in huius tractatus proœmio, Gregorius sub eodem titulo de sponsalibus, & de matrimonio disputauit, & discrimen inter vtrunque contractum constituit. Sequentes ergo scholasticorum, & præsertim D. Thomæ ordinem, prius de matrimonio, quam de sponsalibus sermonem instituemus, nō auocando aliorum tractatum materias, ut faciunt aliqui, sed solum, quæ huius loci sunt propria percurrendo, alia suis relinquendo locis. Sit ergo.

# DISPUTATIO P R I M A

*De matrimonio ut est civilis contractus, in naturæ officium institutus.*

2 **Q**uatuor nomina contractus iste habet, *Matrimonij, Nuptiæ, Connubij, & Coniugij*. Matrimonij nomen à matre sortitur nō à Patre, non enim

dicitur *Patrimonium*, sed matrimonium, eo quod sit potissimum matris munus, & officium prolem educare vsque ad certam ætatem; matris est prolem concipere, parere, gestare,



stare, &c. & sic proles in infantili ætate magis vitur solatio matris, quam Patris, at vero in adulta ætate, magis indiget solatio Patris, quam matris, propterea tunc ad Patrem pertinet filijs provide-  
re; quæ patris prouisio, à Patre, *Patrimonium* vocatur. cap. *ex litteris*, extra de conuersione infidelium. Vnde D. Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 26. dicit: *matrimonium quippe ex hoc appellatum est, quod non ob aliud debeat femina nubere, quam ut mater fiat: & sic per Augustinum dicitur matrimonium à munere matris, non in re, sed in spe; quia ideo nubet mulier, ut mater fiat.*

3 Alij volunt matrimonium dici à liberorum certitudine, quæ magis à matre, quam à Patre sumitur. Vnde Telemachus apud Homerum lib. 1. Odyssæe probat se esse Vlyssis filium, quia eius mater ita renuñciauit; Alij etiam putant matrimonium dici quasi *matrem muniens*, quia habet à quo defenditur. Vel dicitur quasi *matrem monens*, quia monetur mater ne virum relinquat,

nec prolem: monetur etiam ut viro seruet fidem. Dicitur iste contractus *Nuptie* à nubendo, seu velando, quia tempore antiquo cum erant puellæ in matrimonium tradendæ capite, & facie incedebant velata, qui mos adhuc in magna Venetiarum Vrbe seruatur: quod fecit Rebecca Gen. 24. quando virum suum Isaac intuita fuit, & hoc verecundie gratia, vel in signum obedientiæ, & subiectionis ad virum, ad hoc enim velum mulieri concessum est, ut per illud profiteatur se esse viro suo subiectam, ob eandem rationem vocatur *Connubium*. Vocatur denique *Coniugum*, quia duo in vnam carnem coniungit: iuxta illud *erunt duo in carne vna*. Vel vocatur *Coniugum* per metaphoram à iugo, quia matrimonium est viri, & mulieris iugum, vel quia obligantur vi istius contractus ad matrimonij onera ferenda. In hoc contractu vir *maritus* dicitur à *mare*, & femina dicitur *uxor*, quasi *unxior*, quia olim puellæ ad mariti limen sistebantur, vbi oleo ungebantur perfectissimo, & vittis

vittis ornabantur lineis, antequam mariti domum ingrederentur. Licet enim contractus iste, quatuor dictis nominibus nominetur, communiter tamen matrimonium vocatur, quod licet modo sit vnum ex septem Ecclesiæ sacramentis à Christo Domino institutum, rationem tamen cuiusdam ciuilibus contractus

supponit, quam habuit ab origine mundi, cum inter primos nostros parentes celebratus fuit, & apud omnes nationes in vsu fuit, & de hoc matrimonio, vt est ciuilibus contractus, antequam in sacramentum eleuaretur, est nobis in hac disputatione differendum; prius tamen sit.

## Q V A E S T I O I.

*Quid sit matrimonium, vt contractus quidam ciuilibus est, seu in quo eius essentia consistat.*

4 **Q** Vinque in matrimoniali contractu, distinguuntur, de quibus dubitari potest, an in illis, vel aliquo illorum formalis matrimonij ratio consistat; cum enim definitio essentiam explicet definiti, non possumus rei alicuius tradere definitionem, nisi formalem eiusdem rei rationem dignoscamus. Primum quod in matrimonio reperies, est ratio contractus, verbis, vel signis expres-

si, quo contrahentes sese mutuo tradunt, & acceptant. Secundum est vinculum, seu cōiunctionis talis relatio, qua taliter contrahentes copulantur, vt illorum neuter, quamdiu ambo viuunt possit ab alio matrimonialiter separari. Tertium est ius, seu mutua potestas in corpus alterius, in ordine ad matrimonij vsu. Quartum est carnalis cōiunctio, seu copula. Quintum est vitæ societas, habitatio, &c.

Con-

5 Conueniunt Catholici omnes cōtra Iulianum Pelagianum, apud D. Augustinū 5. lib. contra ipsum cap. 16. quod matrimonium in carnali copula non consistat; alioqui B. Virgo verum non fecisset matrimonium cum S. Ioseph, cum quo nullam prorsus carnalem habuit copulam, quia ipsam non cognouit (vt fides docet) & tamen (vt eadem fides docet) inter cōlestes illos sponfos, verum intercessit matrimonium, cum dicat scriptura de Ioseph: *accipere Mariam coniugem tuam.*

6 Conueniunt secundo, Theologi matrimonij essentiam non posse consistere in vitæ societate, & habitatione, sicut neque in iure, vel mutua potestate in corpus alterius, quia hæc duo sunt potius huius contractus effectus, quam essentia, eo namq; ipso, quod inter duo, contractus positus est matrimonialis, mutua sequitur corporum potestas, & vitæ societas. Et sic ad rationem contractus, & vinculi, præfens vocatur difficultas;

Prima sententiæ est matrimonij essentiam in sola vinculi ratione consistere, quæ sit relatio realis, non rationis inter ipsos coniuges, durans quâdiu durat matrimonium. Hanc sententiã sequitur Sanchez lib. 2. de matrim. disp. 1. pro qua refert etiam D. Thomam, sed malè, quia D. Thomas nunquam illam tenuit sententiam, vt mox videbitur.

7 Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Matrimonij essentia in illa cōtractus ratione consistit, in qua coniuges sibi inuicem tradunt, & suo corpora accipiunt. seu quod in idem redit, sunt verba, vel signa externa mutuum consensum exprimentia.* Hæc conclusio est expressa D. Thomæ sententia hic q. 44. art. 1. ad 2. vbi habet: *quamuis ipsa relatio non sit sensibile accidens tamen cause eius possunt esse sensibiles, nec in sacramento requiritur, quod sit sensibile illud, quod est res, & sacramentū, hoc enim modo se habet in hoc sacramento prædicta coiunctio, sed verba exprimentia consensum sunt sacramentum tantum, & causa præ-*

*prædicta coniunctionis sunt sensibilia*. Vbi vt vides vult D. Thomas quod coniunctio, seu vinculum, seu relatio coniunctionis non fit nisi sacramentum & res simul, non vero sacramentum propriè dictum quod dicitur sacramentum tantum.

8 Probatur primò conclusio contra Sanchez ratione deducta exposito D. Thomæ testimonio: Quoniam sacramentum tantum, quod est verum & proprium sacramentum, quod absolutè nomine venit sacramenti & cui definitio conuenit sacramenti, debet esse quid sensibile in se, sed verba exprimentia consensum quæ sunt ipse contractus sunt sensibilia in se, illa autem coniunctionis relatio, non est talis; ergo huius sacramenti ratio & essentia, debet esse ipse contractus, seu verba consensum exprimentia, non vinculum, seu coniunctionis relatio.

Hæc consequentia nota est ex Antecedenti: si enim de sacramenti ratione est, quod sit quid sensibile, & relatio non est talis, sequitur,

quod relatio, seu coniunctio, vel vinculum illud matrimoniale nequeat esse sacramentum. Antecedens naturæ lumine notum est; nihil enim est magis sensibile quam verba, vel id quod verborum nomine venit, vt sunt signa externa, per hæc enim alia sensibilia redduntur. Non sic relatio cum vix cadat sub intellectu, non sub sensu, vt notum est. Vnde idem D. Thomas q. 42. art. 1. probat matrimonium esse sacramentum, quia per illud gratia causatur contra peccatum per sensibilia signa. Verba D. Thomæ sunt. *Sacramentum importat aliquod remediū sanitatis homini, contra peccatum, exhibitum per sensibilia signa, unde cum hoc inueniatur in matrimonio, inter sacramenta computatur*. patet autem quod relatio illa coniunctionis, seu vinculum illud, non sit sensibile signum, ac proinde non poterit esse signum practicum signans, & causans gratiam; & sic nec sacramentum.

9 Probatur secundò cum eodem D. Thoma loco citato ad

to ad primum & secundum, quia id est matrimonium, vt est purè contractus ciuilis, quod fuit à Christo Domino eleuatum in sacramentum; sed id quod fuit eleuatum in sacramentum, est ratio contractus, non vinculum, seu relatio ex eo sequens; ergo ratio contractus, non vinculum est matrimonium. Maior non solum est D. Thomæ verum est omnium Theologorum sententia, nec puto quod negabitur à Sanchez. Minor probatur, quia Christus & in hoc, & in omnibus sacramentis aliquid sensibile eleuauit, atqui contractus, est sensibilis, non vinculum, præsertim in sententia Scoti, & aliorum apud eundem Sanchez, qui volunt non esse relationem realem, sed rationis; ergo. Sed dices, verum quidem esse, rationem contractus, eleuatam fuisse à Christo in sacramentum, sed hanc consistere in illa relatione, qua mutuo manent obligati contrahentes, ipso contractu transacto; acquirit namque contrahens ius saltem ad rem ex ipso contractu, quod

ius, cum maneat post ipsum contractum exteriorem, & pariat in vtroque contrahente obligationem, in ipsa propria contractus ratio erit, cū per obligationem, contractus definiatur, cum dicatur: est *ultra citroque obligatio* Respondetur namque falsum esse rationem contractus consistere in illa obligatione, vel iure quod inter ipsos ponitur contrahentes, sed in ipsis verbis, vel signis consensum exprimentibus ex quibus oritur obligatio, nec ex data contractus definitione colligitur, rationem contractus, in obligatione consurgente consistere, sed in causa illius, que est illa quam modo diximus; nempe verba consensum exprimentia; vnde & optimè notauit Lessius 2. de iust. cap. 17. dub. 1. quod illa definitio in sensu causali, debeat explicari, vt sensus sit, est contractus *actio exterior, interiorem exprimens consensum; obligationem causans ad aliquid faciendum.*

10 Probatur tertio, quia si matrimonium in eo consisteret vinculo, sequeretur, quod

quod matrimonij sacramentum in facto esse, & in permanenti, consisteret; hoc est falsum; ergo & illud ex quo sequitur. Maioris sequela ostenditur, nam Christus Dominus dum matrimoniū eleuauit ad esse sacramēti, illius non immutauit naturam, sed ut ut erat euexit; ergo si antecederet ad esse sacramenti, in illo vinculo, quod quandiu vxorati viuunt, permanet, & durat, ratio matrimonij consistit; etiam postquam ad sacramenti rationem eleuatum est, in eodem esse permanenti consistet; alioqui Christus per huius sacramenti institutionem, matrimonij naturam mutasset. Minor etiam ostenditur, quia, ut omnes docent Theologi, solum Eucharistiæ sacramentū in permanti consistit, alia vero omnia in fieri, seu in esse successiuo, seu in actione transeunte.

II Probatur quartò, quia cuiuscunque rei essentia in eo consistit, quod primò, & per se illi rei cōuenit. Sed id quod primò, & per se conuenit matrimonio, ut est contractus ciuilis, est ratio contractus,

seu sunt verba cōsensum exprimentia; ex quibus nascitur mutua coniugum obligatio, ius in corpus ad inuicem, ius postulādi debitum ab inuicem, ius cohabitandi; ergo in illo contractu matrimonij essentia consistit. Soluuntur argumenta in contrarium.

12 Primum argumentum desumitur ex D. Thomæ testimonio quod pro se citat Sanchez, & habetur in 4. dist. 27. q. 1. art. 2. quæstion. 1. ad 2. ubi habetur: *matrimonium non est ipse consensus, sed quædam unio ordinatorum ad inuicem, quam consensus facit, nec consensus propriè loquendo cōiunctionem Christi ad Ecclesiam significat, sed voluntatem eius, qua factum est, ut Ecclesia coniungeretur.* Respondetur nunquam nos dixisse matrimonium in consensu interno consistere, sed in cōtractu, seu in verbis internum cōsensum significantibus, seu exprimentibus. Dum autem dicit D. Thomas matrimoniū consistere in quadam ordinatorum unione ad inuicem, intelligi debet causaliter, non formaliter; vel certè per talē

vnionem non intelligit vinculum, quod ex matrimonio sequitur, sed ipsam materiã, & formã vnionem, vt enim docet q. 42. art. 1. ad 1. & 2. verba in matrimonio prout consensus exprimentia, sunt & forma; & etiam materia; vt enim dicuntur habent rationem formã, vt acceptantur rationem materiã, ex qua materia, & forma, fit quãdam vnio, in qua vera sacramenti ratio consistit, & est causatiua illius alterius vnionis, seu vinculi permanentis, matrimonio contracto,

13 Secundum argumentum, in eo ratio matrimonij consistere debet, quod durat inter coniuges, quandiu sunt tales, & quo sublato soluitur matrimonium; atqui hoc non est contractus, sed vinculum; ergo. Maior certa est, matrimonium namque tamdiu durat, quandiu coniuges manserint ad inuicem obligati. Nam *mulier alligata est viro quamdiu vir eius viuit*. Minor patet; nam verba consensus exprimentia statim transeunt, non sic vinculum; ergo. Respondetur negãdo maiorem,

nam cum matrimonium sit quidam contractus, vt omnes tradunt; in fieri, seu in actione consistere debet, ex qua postea sequatur illa mutua, & perpetua obligatio, & illud vinculum coniugale; Vnde non est verum, quod matrimonium duret, quandiu viuunt contrahentes, si loquamur de matrimonio formaliter tali; bene si loquamur de illo quoad effectus quos parit, &c.

14 Sed quæres primò, quomodo matrimonium definiatur? Respondetur definiri cõmuniter à Theologis, & iurisperitis, sic: *matrimonium est maritalis coniunctio viri, & mulieris inter personas legitimas, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens*. *Ly coniunctio* stat loco generis, & denotat coniunctionem non corporum, quia sine hac stare potest matrimonium, vt de Beata Virgine dicebatur, & habetur cap. *cum iniatur cap. coniuges, & c. coniux* 27. q. 2. sed animorum, verbis, vel signis externis expressa, vnde *Ly coniunctio*, idem valet, ac contractus: cetera differentie loco ponuntur, vt *maritalis*,

ad excludendam coniunctionem filialem, fraternam, &c. vel dicitur maritalis ad denotandum ius, quod vnus acquirat super corpus alterius in ordina ad vsum coniugij: dicitur *viri*, & *mulieris* ad excludendam polygamiam, quæ magis plura ponit matrimonia, quam vnum; ponitur *inter legitimas personas*, vt illæ excludantur, quæ habent impedimenta iuris naturæ, vel canonici. Postremo ponitur: *individuam vitæ rationem retinens*, vt vinculum denotetur indissolubile. & coniugum obligatio, ad simul habitandum. Quod si breuem quæris definitionem, solo genere, & differentia constantem, vt tradunt Dialectici, debere esse definitionem. Habes sequentem: matrimonium est, *contractus maritalis*, vbi *contractus* est genus in quo cum alijs conuenit contractibus. & *maritalis* est differentia per quam à ceteris differt contractibus, eo namque ipso quod dicitur *maritalis* excluditur contractus qui esse posset inter patrem, & filium &c. similiter denotatur esse inter virum &

mulierem, quia maritus non dicitur nisi respectu vxoris. Item dum dicitur *matrimonium contractus maritalis*, denotatur quod esse debeat inter personas capaces, quæ nullo irretiantur impedimento. Similiter per illam particulam *maritalis* ius corporum denotatur, & individua vitæ societas, quam maritalis obligatio affert.

15 Quæres secundò, quoniam contractus sit matrimonium? Respondetur esse contractum innominatum *do, vt des*, nam maritus dat sui corporis ius vxori, & ipsa vicissim dat sui corporis ius marito. Sed vt rem hanc inrelligas nota, quod ius, quod habet maritus in corpus vxoris ad actum coniugalem, seu ad liberorum generationem est verum, & proprium ius iustitiæ rigorosæ. seu commutatiuæ, cum ex vero, & perfecto nascatur contractus; vnde si tale ius, coniugi iustè petenti, non reddatur contra iustitiam peccatur, sicut etiam contra eandem iustitiam peccatur, si alter coniugum sui corporis vsuram alteri faciat.



Nota deinde, quod ius matrimoniale quantum ad præsens attinet, est duplex, vnū expeditum, & liberum; alterum impeditum, & ligatum, siue ante, siue post matrimonium. Expeditum, & liberum illud est, quo vti possint coniugati in ordine ad copulam maritalem sine vlllo peccato: impeditum, & ligatum illud est, quod sine peccato exequi non potest, vt si quis cum castitatis voto contrahat matrimonium, vel si post contractum mutuo voveant consensu: ad matrimonij essentiam ius expeditum nõ requiritur, sed sufficit voto impeditum, vt patet de B. Virgine, & S. Ioseph, qui matrimonio copulati sunt, cum iure illo vtrunque impedito.

16 Quæres tertio, an possit fieri matrimonium quin contrahentes saltem implicitè in carnalem consentiant copulam? Respondetur negatiuè: & ratio est, quia de ratione matrimonij est, quod mutua fiat corporum traditio, seu quod mutuū ius tribuatur in corpora; atqui hoc esse nequit, sine consensu sal-

tem implicito in copulam; ergo sine hoc consensu matrimonium esse nequit, cum enim ius in corpora sit per ordinem ad actum cõiugalem, seu ad liberorum propagationem, & hæc sine copula esse nequeat, sequitur dari non posse matrimonium, sine consensu, saltem implicito in copulam, quia tamen cum implicita volitione ad aliquẽ actum, stare potest expressa nolitio eiusdem actus, sequitur, posse aliquem, verum facere matrimonium, cum expressa copulæ nolitione. Vnde patet quomodo stare possit matrimonium cum castitatis voto, seu cum expressa obligatione non petendi coniugale debitum. Hinc sequitur, quod si alter coniugatorum, ex alterius consensu, votum Deo nuncupet castitatis, & hoc non obstante alteri carnaliter copuletur, licet peccet cõtra religionem, & fidelitatem ratione violatæ promissionis factæ Deo, & vxori, non tamen contra iustitiam, cum vtatur re sua, licet ratione voti, illius vsus sit sibi prohibitus; imò puto non posse

con;

coniuges se obligare ex iustitia ad non petendam debitū, quia hæc iustitæ obligatio cōtra substantiam matrimonij esse videtur: cum de matrimonij essentia sit, quod iustitiā propriè dictam in utroque pariat coniugatorum.

17 Quæres quartò, an ius iustitiæ, quod vi contractus matrimonialis, habent ad invicem in propria corpora cōiugati, sit ius in re, vel ad rē? Respūdetur esse ius in re, pro quo nota, quod ius ad rem proximè personam cum qua quis contraxit respicit, vt ab ea rem reposcat, etiam interpellato iudicis favore, rem autem ipsam quasi remotè respicit, media scilicet per-

sona. Ius autem in re, est ius circa rem ipsam, quæ sibi ratione contractus deuincta est; hæc autem deuinctio in hoc consistit, quod vbiunque res sit, & cuiuscunque in manus venerit, sui domini sit, & semper illi clamet, & semper repeti possit. Ius ergo quod habet quilibet cōiugum in corpus alterius est ius in re, quod sibi comparauit per matrimonij contractum, facta mutua traditione. Sicut enim cum quis rem emit, soluto pretio, & facta rei traditione est ius in re, sic in nostro casu, cum fiat rei traditio, soluto pretio, per alterius rei æquivalentis traditionem, debet esse ius in re, non ad rem.

## Q V A E S T I O II.

*An matrimonium sit honestum, & licitum.*

18 **N**on defuerunt heretici, qui ad tantam deuenerunt dementiam, vt dicerent matrimonium licitum non esse, ac pro-

inde diaboli esse adinuērum. Hoc docuit Saturninus teste Ireneo lib. 1. contra hæeres cap. 22. vnde vagum suadebat concubitum, & illud matrimonio.

trimonio præferebat . Idem docuit Marcion teste Hieronymo lib. 1. contra Iouinianum . Id ipsum docuerunt Tatianus, & Eucraticæ, eodem Hiero. teste . Item Adamiani, teste Aug. hæresi 31. & Manichæi, postea Albigenses, & alij, sequuti Simonem Magum, qui licet libidini maximè deditus esset, simulebat tamen se pudicitiam amare, & illius prætextu Matrimonium damna-  
bat, sic eius fecerunt affectu.

19 Veritas catholica sequenti explicatur conclusione . *Matrimonium licitum, honestumque est* . Probatur primò ex varijs sacræ scripturæ testimonijs . Nam Gen. 1. & 2. benedicens Dominus matrimonium dixit *crecite, & multiplicamini &c.* per vsum scilicet, & carnis coniunctionem, sine qua multiplicatio fieri nequit . 1. ad Cor. 7. *Qui Matrimonio iungit virginem suam benè facit : & Virgo non peccat si nubat . & si nupserit virgo non peccauit .* Et 1. ad Tim. 5. *volo iuniores nubere, & filios creare ; quod sine carnali copula fieri non*

potest . Hoc idem probari potest ex Patribus, qui videri possunt in controuersis .

20 Probatur secundò pulcherrima D. Thomæ ratione q. 41. art. 3. in corpore, ad sequentem formam redacta . Quoniam natura corporalis, est à Deo benè instituta, & bona ; ergo etiam eius conseruatio benè instituta, & bona esse debet : Antecedens admittunt hæreticis . Consequentia nota est, nam cum naturæ auctor corporalem hominis naturam non fecerit, ve statim desineret, & aliunde cum ex principijs intrinsecis corruptibilis esset, debuit prouidere de medio quo manuteneretur, & conseruaretur ; hoc autem esse non potest nisi filiorum procreatio ; ergo .

21 Confirmatur hoc, quia prolis generatio ex inclinatione habetur naturæ, ergo bona esse debet . Antecedens patet ex maximo naturæ pondere ad generationem, vnde generatio dicitur opus conaturalissimum, propterea, quia non habetur solum ex inclinatione naturæ particularis, verum etiam vniuersalis ;

lis ; non habetur solum ex speciei inclinatione , verum etiam generis . Consequenter probatur , quia vt doctè dicit Angelicus, *ea ad quæ natura inclinatur non possunt esse vniuersaliter mala .*

22 Confirmatur etiã ; vbi finis est bonus, & medium ad illum, bonum esse debet; sed speciei hominis conseruatio, est finis bonus ; ergo etiam prolis generatio, quæ est medium ad illam, bona esse debet . Confirmatur deinde , quia nullum potest esse peccatum in illius executione, quod à sacra præcipitur scriptura ; Atqui scriptura sacra præcipit actum matrimonialem, ergo in illo nullum esse potest peccatum . Maior patet. Minor etiam liquet ex illo Apoft. 1. Cor. 7. *uxori vir debitum reddat .*

23 Næc valet cum hæreticis respondere, naturæ cõseruationem bonam esse, & etiam Medium illius proportionatum bonum esse, hoc tamen non est matrimonium, sed concubitus vagus, & per hunc melius humana conseruatur natura, per hunc con-

naturalissimæ satisfieri inclinationi, &c. Nam contra est quia vagus concubitus à natura abhorretur, cum sit contra bonam prolis educationem, qui enim ex vago nascitur concubitu, patrem non habere dicitur, eo quod eū monstrare non possit, *L. vulgo concepti, ff. de stat. hom. etiã si mater certa sit, L. quia semper ff. de iniur. voc. naturale namque est omnibus suos partus diligere, & nutrire, non alienos. Vnde in L. i. S. quamuis de vent. in spicie. & L. super stat. C. de quæstio. dicitur maximè Republica in terresse partus non subijci, vt ordinum dignitas, & familiarium splendor degeneri familia non conspurcetur: & sic, si vxores communes essent, & proles incerta ; hæreditates, quæ ex parentum voto liberis parantur *L. scripto. vnde liberi. ad extraneos contra illorum vota peruenirent: & cessarent homines laborare, cū proprios non haberent partus, quibus acquisita relinquerent. Tum quia secundum commune proloquium. communiter negligitur, quod**

*communiter possidetur* L. 2. ff. *quando, & quibus*. Tum etiã quia nullus esset, quod parētibus senescētibus prouideret, cum nullus proprios dignosceret parentes. Propterea à legibus cauetur, ne alienus partus supponatur, ne hæreditas ad extraneos deferatur. L. 1. S. *si Mater*, & L. 3. S. *eodem* ff. de carb. eden. vel ne præiudicium fiat nato L. *si vëtis nomine*, de vend. in poss. mitt. ob quod emanauit editum de ventre inspiciendo L. 1. *de vant. inspicie*. idem habetur in iure canonico cap. *officij*. de pœnit. & remiss. vbi imponitur penitentia mulieri alienum partum supponenti, quo casu ad damna marito, & proli legitimæ sequuta tenetur. Idem habetur in cap. *afferte*, de præsuppositionibus, sed de hoc aliqua dicentur q. sequenti in 6. causa, soluuntur argumenta hereticorum.

24 Primum argumentum est, quia Apost. ad Rom. 8. dicit: *eos qui in carne sunt non posse placere Deo*. quem locum S. Hieronymus lib. 1. contra Iouin. de coniugatis

explicat; ergo si coniugati placere Deo non possunt, coniugium bonum non erit: Confirmatur hoc, quia illud est malum per quod homo ineptus redditur ad cœnam cœlestem; sed tale est matrimonium; ergo: minor patet ex illo Luc. 14. vbi ille qui vxorem duxerat, dixit inuitanti ad cœnam: *vxorem duxi, & ideo non possum venire*. Respondetur quod per esse in carne non intelligit Apostolus matrimonio cōiunctos, sed intelligit illos, qui, & quæ carnis sunt, quærunt, quod vocat Apostolus esse in carne, vel ambulare in carne; & qui ea quæ spiritus sunt faciunt, vocantur esse in spiritu, & ambulare in spiritu: vnde in eiusdem capituli exordio dicit *Nibil ergo damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu: qui non secundum carnem ambulant: & parum infra: qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum*. In hoc eodem sensu loquitur Hieronymus, dum vult, quod veri Christiani contemnant Belphegor, seu Phegor, & omnem ignominiam eius, seu

seu lasciuiam ; idem enim erat apud hæbreos Phegor, quod apud Latinos Priapus, scientes, inquit, quod qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Ad locum Lucæ, qui parabolicus est, & ideo nõ secundum omnia verificandus, dico; sensum esse, quod Deus ad suam coenam ex omnibus vocat, sed non omnes ire volunt, eo quod diuersis illaqueantur rebus, aliqui diuitijs, alij voluptatibus, &c.

25 Secundum argumentũ. Actus matrimonialis hominem à Deo separat, propterea Exo. 19. populo præcipitur, vt Deũ videret, quod ad proprias non accederet vxores; vnde D. Hieronymus in epist. de monogamia, dicit: *quod in actu matrimoniali, Spiritus sanctus Prophetarum corda non tangit*; ergo signum clarum est iniquitatẽ in matrimonio esse? Respondetur quod matrimonialis actus nõ separat à Deo quantum ad gratiam, sed aliquo quidem modo quantum ad contemplationem, quia vt dicit D. Thom. vbi supra ad secundũ *actus matrimonialis non est*

*contemplationi idoneus, quia in eo mens detinetur propter delectationem intensam, & propter hoc illis quibus competit diuina contemplari aut sacra tractare indicitur pro illo tempore abstinencia ab vxoribus, & secundum hoc dicitur, quod Spiritus sanctus quatum ad actum reuelationis secretorum non tangebatur mentes Prophetarum in usu matrimonij.*

Tertium argumentum. In usu matrimoniali magna adest turpitudine ratione inhonestæ concupiscentiæ, vnde non solum homines, verum etiam quædam animalia in eo actu videri verecundantur; ergo nõ potest esse bonus: Consequentiã probatur, quia opera bona ab omnibus videri possunt, imò hoc præcipi videtur à Domino dum dicit in Evangelio, *videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cælis est.*

Respondetur duplicẽ esse, vt aduertit D. Thom. supra, turpitudinem, vnã culpæ, alteram pœnæ; primam semper vitare tenemur, non secundam. Vnde cum turpitudine vsus matrimonialis, sit tur-

pitudo poenæ ex peccato orta originali, vitari quidem debet in publico, non in privato, sicut & alia indiuiduo necessaria.

26 Sed quæres primò, an matrimonij vsus sit aliquâdo peccatum? Respõdetur affirmatiuè. Primò si ociosè fiat sine vllò formali, vel virtuali fine, quia vt docet D. Thom. 1.2. q. 18. art. 8. nullus datur indifferēs actus in indiuiduo, & tunc solū erit peccatū veniale. Secundò si coniux sola explēdæ libidinis causa moueatur, vt docet S. Aug. lib. de bono coniugali cap. 6. Sāctus Gregorius responf. 10. ad interrogat. Augustini & refertur in iure canonico 33. q. 4. cap. *vir cum propria uxore dormiens*. Et docent communiter Theologi, vide Sanchez tom. 3. lib. 9. disput. 11. num. 4. Bona. hic q. 4. punct. 6. n. u. 7. licet Diana de sacram. resol. 2. 16. cum alijs oppositū teneat, ob hoc putat non esse veniale matrimonium contrahere, ob pulchritudinem, vel diuitias, addere potes, sola captandæ libidinis causa. Sed D. Augustini sententia

sequenda est, & ratio est, quia non potest, non esse veniale rerum ordinem subuertere retrahendo actum ab illo fine quem Deus, & natura intendit, intendendo primò, & per se id quod secundariò in tali actu reperitur: quis enim dicet non esse veniale actum honestum à sua extrahere honestate, & solum illū velle ob voluptatem? certè peruersitas quædam est bonum honestum ad delectabile ordinare: cum vnūquodq; secundum quod est, accipi debeat; licet ergo putem non teneri coniugem delectationem ad honestatem ordinare, sed possit id quod honestum est, propter honestatem intendere, & quod delectabile est propter delectationē velle, non tamen potest coniux matrimonij honestatem propter voluptatem appetere, & ad illam ordinare. Puto etiam, licitum esse matrimonium contrahere ob voluptatem, ob diuitias, ob pulchritudinem, &c. puto licitū esse, matrimonio contracto, illius habere vsum ob voluptatem, ob pulchritudinem,

non excludendo matrimonij, & vsus illius, honestatē, quia aliud est vti matrimonio ad delectationem, & aliud est, illius honestatem, ad delectationem ordinare, quod tunc fieri censendū est, quando ob solam exercetur delectationem.

Tertiò peccatum erit matrimonij vsus, si coniux libidine extra matrimonij bona feratur, vt si proponeret, cum quacunque muliere facere, quod facit cum sua, vel cum in actu matrimoniali aliā sibi per imaginationem supponit mulierem. In hoc tertiò modo peccatum intercedit mortale, in duobus præcedentibus solum veniale.

27 Quæres secundò, an actus coniugalis possit esse meritorius? Respondetur affirmatiuè etiam præscindendo à ratione sacramenti, & considerando illum solum vt est contractus matrimonialis, actus: & hoc primò, quia po-

test esse obedientiæ actus, secundum quod præcipitur Gen. i. modo quo q. 4. dicitur: vbi dicitur *Crescite, & multiplicamini*. Secundò, quia in finem bonū valet ordinari, sicut comedere, & bibere. Tertiò, quia potest esse iustitiæ actus, iuxta illud Apostoli supra relatum: *Vir uxori debitum reddat*, Quartò quia potest esse religionis actus, si fiat ad procreandos filios in obsequium Dei. Aduerte tamen non esse necesse, quod coniuges hæc meditentur in ipso coniunctionis actu, sed sufficit quod nullam malam apponant circumstantiā, quia tunc eo ipso quod in gratia sunt censetur à gratia ille actus dignificari, & virtuali quadam relatione in Deum referri, vt in tractatu de Merito docuimus; optimum tamen erit tales relationes aliquando renouare, vt sic animus virtuosius ad talem accedat vsum.





## Q V A E S T I O III.

*Quo tempore fuerit matrimonium institutum,  
& quanam fuerint causae talis institutionis.*

28 **C**onuenit omnes matrimonium fuisse in terrestri Paradiso institutum, ante primorum lapsum paratum, pro quo nota, matrimonium triplicem (modo explicando) habuisse institutionem; primam in officium naturae, dicente Domino, *non est bonum hominem esse solum, faciamus adiutorium simile sibi*, cui reducitur filiorum procreatio, eodem Domino dicente: *cresecite, & multiplicamini, & replete terram*. Secundam in remedium peccati, seu concupiscentiae post peccatum, cum enim per peccatum effrenis facta fuerit concupiscentia, aliquod remedium habere debebat ad vitandum peccatum, dicente Apost. 1. Cor. 7. *unusquisque propter fornicationem, propriam uxorem habeat: ad quod reducitur id quod dicunt aliqui esse institutum in temperantiae remedium, cum*

virtus ponens modum in luxuriae materia, sit temperantia. Tertiã, ut esset sacramentum, gratiae productiuum, ad concupiscentiam refrenandã, media eadem gratia sanctificante, & corroborante, a deo namque effrenis facta erat concupiscentia, ut intra matrimoniales limites difficulter posset contineri. Aduerte tamen non fuisse tria matrimoniorum genera, diuersis temporibus instituta, & ad diuersos fines, sed vnum, & idem fuisse, quod cepit in Paradiso ante peccatum causa prolis multiplicandae, & in officium naturae, quod durauit post peccatum, & durat modo, sed post peccatum cepit esse necessarium non solum ad prolem multiplicandam, & in officium, & solatium naturae, verum etiam in remedium peccati, seu concupiscentiae, quae in libertatem filiorum  
homi-

hominum facta erat. Deinde per aduentum Christi aliam excellentiam acquisiuit matrimonium, vt esset sacramentum, vt esset gratiæ signum, vt esset signum rei sacræ, vltra gratiam, præteritæ scilicet, præsentis, & futuræ; visibilis namque illa coniunctio, quæ verborum, vel signorum fit stipulatione, data arrha, iuribus dextris, alijsq; similibus ceremonijs, admonet nos præteritæ coniunctionis, diuinæ, & humanæ naturæ, in vna verbi persona: admonet nos alterius cõiunctionis, sed mysticæ Christi sponsi, cum Ecclesia sponsa, quia nostro dicendi modo, Dominus noster Iesus Christus reliquit Patrem suum æternum, & venit in mundum, vt acciperet sibi sponsam acceptabilem, sanctam matrem Ecclesiam, & subinde animam cuiusque nostrum. Reliquit, vt ita dicam, matrem suam Sinagogã ex qua natus erat secundum carnem; reliquit domum suã vt adhæreret Ecclesiæ, quam sibi ex gentibus copularet, & quia eam facta non inuenit, suo sanguine ablutam sanctifica-

uit. Admonet nos præsentis protectionis, & amoris, quo summè amat nos, cum quotidie se ipsum det pro nobis in altaris sacrificio. Admonet nos cõiunctionis fiendæ media filiorum procreatione: vnde dicit Apost. 1. ad Tim. 2. *saluatur mulier per generationem filiorum si mäsferit in fide, & dilectione, cum sanctificatione, & sobrietate.* Ob hoc. Matrimonium vocatur ab Apost. *magnum sacramentum in Christo, & Ecclesia, &c.* Magnum re vera sacramentum, quia non solum ibi est filiorum fecunditas, non solum pudicitia, cuius vinculum est fides, verum etiam est nuptiarum sacramentum, vt nunquam coniuges separentur, cum sit animorum, seu amorum coniunctio, sicut Christus nunquam ab Ecclesia separabitur. In hoc conueniunt omnes, dissident tamen inter se Theologi, quando, & quibus verbis fuerit institutum, seu an habuerit aliquam verba-lem institutionem.

Prima sententia est, quod matrimonium fuerit institutum quando Deus dixit: *cre-*

*scite,*

scite, & multiplicamini. Ita Sanchez post alios lib. 2. disput. 4. Secunda sententia tenet, quod fuerit institutum in creatione Adami, & Eux. Ita Magister dist. 26. & alij post ipsum. Tertia sententia tenet quod institutum fuerit, quando Adam de Eua dixit: *hoc nunc os, ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Ita plures moderni.

29 Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Matrimonium non habuit positiuam institutionem, sed solum destinationem.* Explicatur conclusio, nam Deus non habuit aliquam liberam voluntatem per quam positiuè matrimonij contractum instituerit, sicut nec alios contractus instituit; non enim instituit contractum emptionis, venditionis, &c. sed solum, homines creando, destinauit, vt possent ad inuicem contrahere, vt enim postea dicitur, cum matrimonialis cōtractus ex naturæ principijs deducatur, institutione positua non indigebat; quia vt optimè aduertit Gratianus can. *ius naturale* dist. 1. ex D. Isi-

doro: *ius naturale illud est, quod ex instinctu naturæ, non constitutione aliqua habetur: quatenus omnibus, & singulis ex conditione suæ naturæ permittitur id facere, quod dicitur esse de tali iure.* Cum ergo Matrimonium vt postea cum D. Thoma dicitur, sit iuris naturalis, adhuc vt institueretur, positua non requirebatur Dei voluntas ad illud terminata, sed sufficiebat terminorum productio, creatio scilicet Adami, & Eux; talis naturæ & conditionis, qua ad matrimonium ordinarentur. Hæc conclusio sic explicata est D. Thomæ q. 42. art. 2. ad primum vbi habet, *illa quæ in communi sunt de iure naturali indigent institutione quantum ad eorum determinationem, quæ diuersimode competit secundum diuersos status &c.* & in solutione ad 3. habet, *secundum diuersa quæ oportet in matrimonio determinari, non est inconueniens: quod diuersas habuerit institutiones* Vbi vt vides, non aliam agnouit D. Thomas Matrimonij institutionem, nisi determinationem, vel ordinationem  
termi-

terminorum huius contractus ad diuersos fines, & pro diuersis necessitatibus, nam ante peccatum ordinabatur in officium naturæ, post peccatum in remedium concupiscentiæ, &c. Vnde matrimonium dicitur à Deo institutum, quatenus homines creauit cum illa ordinatione, deputatione, vel determinatione, vt ad inuicem contraherent, & filios procrearent, nõ per aliquam liberã, & expressam voluntatem ad ipsam matrimonij institutionem terminatam: &c.

31 Probatur quia id quod ex principijs naturæ deducitur non indiget institutione, vt cum Gratiano dicebamus, sed matrimonium est huiusmodi, ergo. Minor probatur, quia vt colligitur ex sacræ scripturæ verbis, homines, ita sunt creati, vt medio matrimonij contractu possint filios procreare, nam *Masculum, & fœminam creauit eos*, Masculus autem, & fœmina suapte natura ad generationem ordinantur, vnde Adã, & Eua statim ac creati fuerunt, potuerunt contrahere,

nulla alia expectata matrimonij institutione, & de facto ita contraxerunt.

31 Sed quæres primò, quo tempore fuerit hic matrimonialis contractus inter Adamum, & Euam celebratus? Respondetur quando Adam dixit. *Hoc nunc os ex ossibus meis &c.* non vero quando Deus dixit, *crecite, & multiplicamini*, vt volunt aliqui; quia vt optimè notauit D. Thomas supra in solut. 4. *tunc potius fuit institutio diuina, quatenus magis expressè per sũ præceptum primos parentes ad propagationem ordinauit*. Et ratio est, quia tunc propriè matrimoniũ celebratur, quando contrahentes in illud verbis, vel signis cõsentiunt, at per verba illa Dei *crecite, &c.* nõ cõsentur consentire, benè autem per illa verba Adami mulieri dicta, & acceptata, cum per illa tribueret mulieri ius in proprium corpus, & vicissim acciperet in corpus mulieris. Igitur vt rem vno verbo dicamus Deus auctor dicitur matrimonij, non quia illud positiuè instituerit, sed quia est naturæ auctor, seu

seu quia masculum, & feminam creauit, quibus contrahendi conuenit facultas, vel etiam quia primos parentes interius ad contrahendū excitauit, & exterius præcepit, suauisque cum dixit: *crecite &c.* & quia factum postea approbavit.

32 Quæres secundò, an matrimonium sit homini naturale? Respondetur ex verbis D. Thome q. 41. ar. 1. vbi sic loquitur; *aliquid dupliciter dicitur esse naturale: vno modo sicut ex princ. pijs nature, ex necessitate causatum, vt moueri sursum est naturale igni, & sic matrimonium non est naturale, nec aliquid eorum que mouente libero arbitrio cõplentur. Alio modo dicitur naturale, ad quod natura inclinatur, sed mediante libero arbitrio compleatur, sicut actus virtutum dicuntur naturales, & hoc modo matrimonium est naturale, quia ratio naturalis ad ipsum inclinatur dupliciter. Primò quantum ad principalem eius finem, qui est bonum prolis. Secundò quantum ad secundarium finem, qui est mutuū obsequium sibi à coniugibus in rebus domesticis*

*impensum.* Igitur matrimonium est homini naturale non necessarium, quia non omnes nubunt, sed secundum duplicem illam inclinationem à D. Thoma dictam: non enim matrimonium est hominum inuentum, ex hominum condicto, vt leges ciuiles, nec vt ius gentium, sed ex naturæ instinctu. Vnde Magnus Albertus lib. de animalibus dicit, *falsum esse viperam mori in partu, quia cui natura dedit vim concipiendi, & pariendi dedit.* Sed aduerte elegantem doctrinam Angelici, ex Philosopho 8. Ethic. quod finis concubitus maris, & foeminae inter homines non sit solum filios generare, seu tantum prolem edere vt sit, & viuat, sed vt debita nutritione, & educatione ad esse perfectum secundum corpus, & animam perducatur, quapropter dicit idem Philosophus ibidem, quod filij à parentibus tria maxima suscipiant beneficia, *esse, ali, & educari.* Qui finis obtineri non posset, nisi vir, & vxor arctissimo copularentur vinculo ad vicarias exhibendo operas

peras ad prolem nutriendam,  
& educandam.

33 Sed dices si matrimonio naturale esset, omnibus animalibus commune esset; atqui non est; ergo. Maior patet, quia ius naturale est, quod omnia docuit animalia. Minor etiam nota est, quia in alijs animalibus est sexuum coniunctio sine matrimonio. Respondetur quod aliqua dicuntur naturalia secundum rationem genericam, alia secundum rationem specificam: generare filios competit omnibus animalibus secundum rationem genericam, at vero generare, hoc, vel illo modo, secundum rationem specificam, seu secundum, quod cuique competit speciei. Nam in illis animalibus in quibus filij nati, statim possunt sibi sufficienter cibum querere, vel ad quorum sustentationem mater sufficit, non est maris, & foeminae determinatio, sed foemina cui libet subcumbit masculo. In illis vero, in quibus filij indigent utriusque sustentatione, licet ad parum tempus, invenitur aliqua determinatio

quantum ad illud tempus, ut patet in quibusdam avibus, ut columbis, irondinibus, &c. At quia in hominibus, filius utriusque cura parentis ad longum indiget tempus, maxima esse debet masculi ad foeminam determinatio, ad quam præscè speciei determinat natura; & etiam natura generis, prout ad hanc speciem est coarctata, quia licet natura generis secundum se, tantum esse prolis intendat, non modum quo sit, tamen quia non intendit solum esse sistendo ibi, sed etiam perfectum esse, & hoc sine matrimonio non habetur, ideo à generis natura intenditur.

34 Causæ institutionis matrimonij, modo explicato, plures fuerunt. Prima est humani generis propagatio. Secunda, ne homo solus esset, sed haberet mulieris consortium, & officium, seu adiutorium, quia *non erat bonum hominem esse solum*. Quarta ut esset remedium post peccatum, ad concupiscentiam. Quinta ut esset sacramentum non solum gratiæ collatum & significativum, verum

Q etiam

etiam significatiuum vnionis  
 naturæ diuinæ cum humana,  
 & Christi cum Ecclesia : in-  
 digebant namquæ homines  
 gratia ad perpetuam concor-  
 diam habendam, vt per illâ  
 firmiores, & robustiores fie-  
 rent ad tolleranda huius vitæ  
 incōmoda, ad sustinenda ma-  
 trimonij onera : vt instrue-  
 rentur ad sobolem pijs mo-  
 ribus educandam &c. Sexta  
 causa, vt proles certa esset,  
 multum namque refert pro-  
 lem certam esse, primò quia  
 secundum iura filius dicitur,  
 quem nuptiæ demonstrant L.  
*filium* ff. de ijs qui sunt sui &  
 L. *quia semper*, de in ius vo-  
 can. & e contra, filius non di-  
 citur, quem nuptiæ non de-  
 monstrant, & sic non haberet  
 à quo diligenter nutriretur,  
 quia naturaliter vnusquisque  
 libenter eos nutrit, quos suos  
 nouit. Secundò vt haberent  
 parentes quibus sua bona re-  
 linquerent, nam liberi com-  
 munes, communiter contē-  
 nuntur, nec libentur hæredes  
 instituuntur, & sic mendica-  
 re frequenter coguntur. Sep-  
 tima causa instituendi matri-  
 monium fuit vt media pro-

pagatione humanum perpe-  
 tuaretur genus. Cum enim  
 omnia quæ orbitæ Lunæ ra-  
 dijs subijciuntur, sint corrup-  
 tionem supposita; vt dicit Im-  
 perator in authent. *de non a-  
 lien. rebus Eccles.* S. vt autem  
 lex; & dicit etiam Philos.  
 Proble. sect. 22. q. 4. dum di-  
 cit: *corrumpi omnia soleant cũ  
 mouentur*. Prouidit Deus vt  
 omnia haberent viuentia, sua  
 semina, ad propriæ speciei  
 conseruationem, aliter nihil  
 perpetuaretur in hoc sæculo,  
 vt dicit Philos. 1. *de Generat.*  
 & tradit iuris consult. in L.  
*foramen*. ff. de seru. vrb. præd.  
 & quod facit semen in plan-  
 tis facit cupiditas in homine.  
 Sed dices potuisset humanū  
 genus propagari sine matri-  
 monio; ergo Respondetur  
 quod vaga, & furtiua venus,  
 nisi per matrimonium cohi-  
 beretur, sed ferarum more  
 commisceri permetteretur,  
 vagos, furtiuos, & veluti fe-  
 rinos partus produceret, cũ  
 humani generis dedecore, &  
 etiam destructione, destructa  
 parentella, quæ maximè cō-  
 ducit ad humani generis cō-  
 seruationem, ob idque legi-  
 timum

tinum foedus nuptiarum ab omnibus gentibus approbatur, & immunitatibus decoratur. Vnde in L. 1. ff. *solus*.

*matrim.* mulieres pluribus decorantur priuilegijs, vt nubere possint, &c.

## Q V A E S T I O IV.

*An matrimonium sit sub præcepto, & quo fine contrahendum sit, ut licitè contrahatur.*

35 **C**onueniunt omnes de matrimonio contrahendo aliquod extare præceptum, difficultas solum est de qualitate illius, an nimirum sit purè naturale, an naturale diuinum, an diuinum posituum. Prima sententia est Durandi in 4. dist. 31. & nonnullorum aliorum, qui dicunt hoc præceptum esse diuinum posituum, primis parentibus intimatum, cum dixit illis Deus *cresecite, & multiplicamini*.

36 Nostra sententia sequenti explicatur cõclusionè. *Matrimonij præceptum est solum naturale*. Ita D. Thomas q. 41. art. 1. vbi habet: *natura inclinat ad aliquid dupliciter. Vno modo sicut ad id quod est necessarium ad perfectionem*

*vnus, & talis inclinatio quemlibet obligat, quia naturales perfectiones sunt omnibus communes, & sic indiuidui conseruatio omnes obligat, ac subinde ad media ad id necessaria, vt ad cibos sumendos, ad somnum cupiendum. Alio modo inclinat ad aliquid necessarium ad perfectionem multitudinis, & cùm multa sint huiusmodi quorum vnus impedit aliud ex tali inclinatione non obligatur quilibet homo per modum præcepti, alias quilibet homo obligaretur ad agriculturam &c. sed natura satisfi cum per diuersa, de prædictis completur. Cum ergo ad perfectionem humanæ multitudinis sit necessarium aliquos contemplatiuæ vite inservire, qua per matrimonium*



*impeditur, inclinatio natura non obligat omnes ad matrimonium, &c.* ex quibus verbis fit arguo. Ideo homo naturali præcepto tenetur ad conseruationem proprij indiuidui, quia natura ad id inclinatur, tanquam ad aliquid necessariũ; indiuiduum nanque sine cõseruatione esse nequit; atqui eadem natura inclinatur in speciei conseruationem, tanquam in aliquid omnino necessariũ ad speciei perpetuitatem, & ad bonum vniuersi; ergo de hoc dari debet naturale præceptum, alioquin frustra dedisset homini instrumenta ad generandum, si de hoc naturale præceptum non daretur: frustra sexus posuisset distinctionem; frustra tantam posuisset in generatione delectationem, cum alioqui sit opus satis turpe, & laboriosũ. Confirmatur quia illud præceptum est naturale, cuius obseruatio est ex naturæ instinctu, cuius obligatio nascitur ex obedientia, quam naturæ auctori debemus, quatenus talem indidit inclinationem pro conseruatione, & multiplicatione speciei; sed

tale est matrimonium; ergo. Nec Durandi fundamentum euincit, cum Deus per illa verba, diuinum non posuerit præceptum, sed solum vt naturæ conditor, naturalem ad summum indicauit obligationem.

37 Sed quæres primò, an tale præceptum solum sit cõmunitati datum, an vèro singulis; ita quod sufficiat, quod aliqui de cõmunitate matrimonio indulgeant, quantum est sufficiens pro eiusdem cõmunitatis conseruatione? Respondetur affirmatiuè: patet, nam in omni statu aliqui fuerunt, qui matrimonio non indulserunt. Nam Abel teste Epiphanio hæresi 39. fuit virgo, & tamen erat potens ad matrimonium, cum fuerit occisus anno suæ vitæ 188. vt docet Torniellus *in sacris annalibus*, ad annum 130. cū plures haberet sorores, & nepotes, vt docet idem Torniellus, & declarat illud dictum Cain post fratris occisionem, *omnis qui inuenerit me occidet me*; Et de Noe post diluuium videtur dicendum, vel quod ab actu matrimoniali absti-

nuerit,

nuerit, ob aliquem finem honestum, vel quod eius vxor mortua sit statim post diluuiū cum cap. 9. Gen. dicatur mūdus multiplicatus per solos Noe filios, vnde clare colligitur, hoc præceptum non obligare singulos, cū potuisset Noe si hoc præcepto fuisset obligatus, vel accedere ad vxorem si viua èrat, vel aliam ducere ex nepotibus suis, si mortua fuisset. Clarius id habetur in statu legis Moisaicæ, vbi plures fuerunt, qui coelibatum seruauerunt vt N.S. P. & Propheta Elias, Eliseus, & alij, vt probat S. Hierony. contra Iouinianū. S. Ambrosius lib. de Virginibus, & alij. In statu etiam legis nouæ id certum, & de fide est, cum Christus Dominus virginitatem commendauerit, & Apostolus frequēter id ipsum faciat, præsertim 1. ad Cor. 7. vbi plura in laudem virginittatis habet. Aduerte tamen, quod si tanta esset hominum paucitas, quod generi humano non esset sufficienter prouisum, nisi omnes illi vxorem ducerent, ad id naturali præcepto obligarentur, at si

id facere recusarent, à communitate, vel ab eo, qui communitatis curā haberet, cogi possent.

38 Quæres secundo, an hoc præceptum naturale, sit affirmatiuum, an negatiuum? Respondetur esse affirmatiuum, quia habet vim obligandi semper, sed non pro semper: obligat semper, quia obligat, & afficit omnes prout communitatem sunt componentes; non obligat pro semper, quia id solum habet necessitatis tempore: pro quo nota talem esse differentiam inter præceptum affirmatiuum, & negatiuum; quod negatiuum obligat nõ solum in actu primò, propter quod dicitur obligare semper, sed etiam in actu secūdo propter quod dicitur obligare pro semper; at vero præceptum affirmatiuum obligat semper in actu primo, quia semper vim habet obligandi, non tamen pro semper, quia non semper suā exercet obligationem, sed solum quando currit obligatio, vt patet in præcepto audiendi Missam. Præceptum ergo de matrimonio est affirmatiuum,

uum, quia licet semper habeat vim obligandi singulos, non tamen semper id facit, propterea obligat semper, sed non pro semper. In ordine tamen ad communitatem habet rationem præcepti negatiui, quia illam obligat semper, & pro semper, quia semper esse debent in illa vxorati, vt ex se patet.

39 Sed dices, quia si matrimonij præceptum in actu secundò communitatem obligaret, sequeretur posse communitatem aliquos cogere ad ineundum matrimonium; atqui hoc dici nequit; ergo. Minor probatur, nam cum non sit maior ratio de vno, quam de alio, sequitur quod nullum obligare poterit; tum quia nihil præcipi potest contra Euangelicam perfectionem; ergo matrimonium præcipi non potest, & si præcipiatur non obligabit, præsertim si ille esset voto adstrictus? Respondetur negando minorem; ad probationem dico, ad communitatem pertinere iudicium facere, qui debeant, & quot debeant pro ipsa conseruanda, matrimo-

nium inire, & illos cogere posse; nec eo casu præcipi aliquid contra perfectionem Euangelicam, quia hæc est de consilio, matrimonium de præcepto. Imò etiam voto adstrictis matrimonium præcipi posset, quando talis necessitatis casus veniret, & non essent alij, qui sufficienter generis humani perpetuitate prouidere possent, vt si diluuium veniret vniuersale, vt tempore Noe, & pauci, hique Religiosi saluarentur, cum aliquibus scæminis, vel etiam viris, sed non sufficienter idoneis, tunc religiosi illi ad matrimonium tenerentur.

40 Circa intencionem habendam, vt matrimonij contractus licitè fiat; noto duos esse fines matrimonij proprios, prolis videlicet generationem, & concupiscentiæ remedium, seu fornicationem vitare; in hos fines matrimonium ordinatur. Sed in primum primariò, in secundum secundariò, ex suppositione scilicet peccati Adam, ex quo carnis orta est rebellio. Propria intentio ad matrimonij contractum ineundum est

ob dictos fines illum contrahere. Neque peccatum erit post hos fines, alios extraneos addere, vt pacem, amicitiam, protectionē, diuitias, nobilitatem, &c. Difficultas solum est, an quando iste ordo peruertitur, vt si quis primariò matrimonium ineat, vt fornicationem vitet, vt pacem faciat, vt diuitias acquirat, peccatum intercedat. Ad quod breuiter satisfacio dicendo vt supra etiam dixi, vel

quis ita contrahit ob fornicationem vitandam, vt finem primarium excludat, & tunc aliqua pueritas est, ac proinde peccatum veniale, vel certè non excludit, & tunc nullum peccatum intercedit; idem de alijs extraneis finibus dicendum est; puto autè frequenter fieri matrimoniū sine illa exclusione, cum exclusione vero, vel nunquam, vel raro.

## Q V A E S T I O V.

*An matrimonium sit indissolubile.*

**4<sup>1</sup>** **D**E matrimonio vt est ciuilis contractus, præsens procedit difficultas, nam quid dicendum sit vt sacramenti annexā habet rationem, infra dicetur. Cōueniunt ergo omnes matrimoniale contractum aliquam habere naturē iure indissolubilitatem, & maiorem quam alij habeant cōtractus; alij namque contractus licet secundum se, indissolubiles sint, suam tamen habent dif-

solubilitatem, non solum per magistratum, seu per publicā potestatem, verum etiam per ipsos contrahentes, cum hi mutuo consensu possint contractum dissoluere, *per eas namque causas per quas res nascitur, dissolui potest & finali*, inquit. quibus modis obligat. tollitur. At vero matrimonium non sic, quia per mutuū contrahentiū consensum dissolui non potest, cuius rei fundamētum assignat Diuus Tho.

Thomas q. 67. art. 1. quia inquit, *matrimonium ex intentione naturæ ordinatur ad educationem prolis, non solum ad aliquod tempus, sed per totam vitam prolis: unde de lege naturæ est, quod parentes filijs thesaurizent, & filij parentum hæredes sint. Et ideo cum proles sit commune bonum viri, & uxoris, oportet eorum societatem perpetuo permanere indivisam, secundum legis naturæ dictamen, & sic inseparabilitas matrimonij est de lege naturæ.* Ex quibus patet maiorem inseparabilitatem concedere D. Thom. matrimonio, quam ceteris contractibus, licet enim ceteri contractus naturæ lege sine contrahentium consensu, à potestate priuata distrahi non possint, possunt tamen mutuo consensu. At vero matrimonium, hoc non habet, cum non possint contrahentes in illius distractionem consentire, cum inde prolis damnum sequeretur, &c. Difficultas solum est, an sit etiam indissolubile in ordine ad potestatem publicam; ita quod Princeps, v.g. vel magistratus ob nullam causam

possit dissolubilitatem facere, siue sit ratum, siue consummatum.

Prima sententia est, quod matrimonium adeo sit indissolubile iure naturæ, ut in nullo casu, & per nullam potestatem dissolui possit: Ita Scotus dist. 31. q. 1. Victoria nu. 304. Palud. dist. 27. q. 1. art. 2. & alij, præsertim illi, qui putant Pontificem non posse dispensare in matrimonio rato, de quo infra.

42 Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Matrimonium etiam consummatum, ut est purè contractus civilis, ex legitima causa dissolui potest.* Hanc conclusionem habet D. Tho. q. 57. art. 2. Sanchez. lib. 2. disput. 13. post plures quos longa manu refert. Coninchus disput. 26 dub. 2. num. 11. & est omnino vera.

Quod matrimonium dissolui possit diuina accedente dispensatione patet, nam Exod. 24. datur facultas repudij his verbis. *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam, & non inuenit gratiam ante oculos eius propter aliquam scditatem, scribet libellum repudij*

*puerum, & dabit in manu eius, & dimittet eam de domo sua: cumque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam dederitque ei libellum repudij, & dimiserit de domo sua, vel certè mortuus fuerit: non poterit eam prior maritus recipere. Et licet Matt. 19. de Iudæis dicatur, quod propter duritiem cordis eorum permiffum fit illis repudium, hoc solū dicitur, non quod reuera nõ fuerit cum illis dispensatum, sed quia illius dispensationis causa fuerit illorum pronitas ad peccandum. Vnde cum Christus Dominus dicit ab initio autem non fuit sic, respondit Iudeorum interrogationi: si licet homini dimittere uxorem suam quacunque ex causa, & per potestatem propriam, quia numquã licitum fuit talem facere dimissionẽ quacunque ex causa, & per potestatem priuatam, sed ex causa legitima, & per potestatem publicam, quod colligitur ex eodem Euangelij capite, ubi cum diceret Christus Dominus se præcipere, & statuere omnimodam ma-*

*trimonij indissolubilitatem, ratione nouæ significationis, & sacramenti super additi addidit: Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mechatur; discipuli audientes hanc nouã Matrimonij indissolubilitatẽ, tanquam de re noua, & inaudita scandalizati sunt, & dixerunt. Si ita est non expedit nubere. Ex quo colligitur, quod Matrimonium antecedenter ad eleuationem in sacramentum, seu vt purè contractus naturalis erat, separationem admitebat, non quidem potestate propria, sed communi, & sufficienti existente causa.*

43. Probatur primò conclusio. Matrimonium infidelium, etiam modo, euangelica euulgata lege, de matrimonij sacramenti indissolubilitate, dissoluitur, altero eorum ad fidem conuerso, vt infra dicetur, & docet omnes; ergo signum est non esse omnino indissolubile. Consequentia probatur. quia si esset omnino indissolubile, non

R posset

posset per simplicem conuersionem ad fidem dissolui : ergo.

44 Probatur secundò quia videtur omnino durum matrimonium cum sterili contractum non posse dissolui : cum enim in hoc casu finis principalis matrimonij non subsistat, qui est filiorum procreatio ; non videtur, quod natura, quæ matrimonium interdit propter sui perpetuitatem velit illud matrimonium sustinere, à quo hoc perpetuitatis bonum habere nō potest. Similiter, cum natura post peccatum ordinauerit matrimonium etiam ad concupiscentiæ, vel fornicationis remedium non videtur quo pacto velit illud sustinere in quo coniugum alter perpetuo laborat morbo, & valde fædo, vt lepra, &c. cum tunc per tale matrimonium concupiscentiæ remedium non ponatur.

45 Probatur tertio, quia matrimonium sacramentum, etiam solum vt ratum, est magis indissolubile, quam sit matrimonium consummatum,

quod sacramentum non est, sed purus contractus ciuilis; sed prout est sacramentum per Pontificem dissolui potest quādo est solum ratum; ergo etiam prout est contractus naturalis dissolui poterit. Maior admittitur ab omnibus scholasticis cum Magistro dist. 31. c. 1. & 2. vbi bonum sacramenti appellat indissolubilitatem matrimonij, & ab omnibus Canonistis c. *omne itaque* 27. q. 2. & alibi; & ab omnibus Theologis hoc loco : videatur Sanchez loco citato, vbi fusè hoc probat. Minor probabitur infra.

46 Probatur quartò quia, vt rectè natauit Sanchez supra, sapientissimi Echnici, præclarissimique iuris naturalis inuestigatores existimarūt licitum esse repudium : vt Romani, teste Plutarco *in problem. c. 13.* Alciato *L. licet ff. de verb. signific. & alijs*, quos refert Couar. 4. decret. 2. p. §. 4. nu. 1. Idem existimarunt sapientissimi iuriscōsulti, & volebant ex multis causis licere repudium, vt videre est *L. r. & 2. fin. ff. de diuortijs. & L. quid-*

quidquid ff. de donat. inter vir.  
& vxor. & alibi.

47 Probaturo quinto, quonia nulla ratio afferri potest, quae probet matrimonij dissolutionem, adeo esse malā, vt non possit ex aliqua causa esse bona, & licita, sine Dei speciali dispensatione; ergo aliquando licita esse poterit. Antecedens ostenditur; nam si aliqua ratio afferri posset, maximè esset prolis educatio, quia vtriusque parentis ope indigeat ad magnum tēpus; sed hæc ratio nulla est; ergo. Minorem ostendo, quia prolis educatio nō est primarius matrimonij finis; sed secundarius valde; ergo si in aliqua circumstantia, v.g. sterilitatis, finis matrimonij primarius impediatur; nil curandum erit de secundario, cum tunc non vrgeat: tum quia iste finis secundarius aliquando non est, quia proles concepta non est; tum quia dato quod esset, adhuc educationi prolis prouideri posset, quādiu educata esset: quando enim proles sufficienter sibi prouidere posset, sicut potest à parentibus emancipari, sic poterit

à parentibus relinqui, vt sibi prouideat. Confirmatur hoc argumentum, quia tantum abest, quod indissolubilitas, primario matrimonij fini, repugnet, quin potius in aliqua circumstantia multum obest, vt in casu quo vir in matrimonio cum Berta nullos habet filios, haberet autem cū Ioanna, tunc mansio cum Berta impedit filiorum propagationem; ac proinde cessabit finis indissolubilitatis matrimonij illius, & poterit ducere Ioannam. Sed dices quod in hoc, & similibus casibus solū cessat finis primarius in particulari, non in cōmuni, lex autem non cessat cessante fine in particulari, sed in cōmuni; vnde quādiu finis in cōmuni nō cessat semper sustineri debet in particulari, quia lex, etiam illos particulares ligat. Nam cōtra est. Primò quia est probabilis multorū opinio, quod cessante fine legis in particulari cesset lex, vt videre potes apud Dianā p. p. tract. 10. resol. 28. Secundò, quia licet hoc probabile non esset de lege positua, esset tamē om-



nino admittendum de lege naturali, ratio differentia defumi debet ex diuersa vtriusque legis conditione; nam in lege positua ratio immediata obligans non est ratio conuenientia, vel disconuenientia obiecti, sed est legislatoris voluntas, quae praesumitur velle suam legem tandiu obligare, quandiu eius finis manet vniuersalis, & quod nullo modo obligare cesset etiam in particulari, ex eo quod finis cesset in particulari, vnde ne homines facile sibi fingant talis finis cessationem, ad refrenandam hominum imprudentiam de tali cessatione, vult omnes ligare, etiam si finis legis in isto cesset particulari. Et ratio a priori istius praesumptionis est, quia lex humana, bonum respicit communitatis, imò & communitatem ipsam respicit in malivitatione, seu vt malum vitet; vnde parum refert, quod iste, vel ille particularis malum vitet, sine legis directione, ad hoc vt lex respectu communitatis, & membrorum eius possideat, & manuteneri debeat. At vero lex naturalis,

singulorum bonum attendit; & suam non habet obligationem ab aliqua legislatoris voluntate, sed a conuenientia, vel disconuenientia obiecti cum natura rationali, quae disconuenientia si hic cesset, omnis mali ratio cessabit. Dicitur v.g. natura quod res alterius eo inuito non surripiatur; reperitur quis in necessitate, tunc ratio dicitur hic, & nunc licitam esse talem surreptionem. Dicitur ratio quod homo priuata auctoritate non occidatur; tamen si hic, & nunc quis est iniustus inuasor, dicitur sine villo peccato occidi posse, &c. sic in nostro casu, dicitur ratio, quod pro bono proles matrimonium sustineatur, tamen si proles non habeatur, & cum alia haberi possit, dicitur quod dissoluatur. Argumenta, quae in contrarium ab aliquibus afferuntur non affero, quia solum probant absolutam matrimonij indissolubilitatem, non tamen in casu aliquo particulari, & ex publica potestate, quae solum potest, in illo aliquali naturae iure dispensare; est enim notum Principem in aliquibus dispensa-

re

re posse, in quibus particula-  
ris non potest, vt patet in ali-  
quorum cōtractuum dissolu-  
tione, quam nullus particu-

laris facere potest; vt in testa-  
mentorum mutatione, &c. de  
quibus suo loco.

## Q V A E S T I O VI.

*An polygamia naturæ iure repugnet matrimo-  
nio, vt est contractus civilis.*

48 **P**olygamia duplex est; propria, & impropria. Propria, est pluralitas virorū respectu vnius mulieris simul & pluralitas mulierum respectu vnius viri simul. Impropria est pluralitas mulierum successiuè respectu eiusdem viri, & pluralitas virorū successiuè respectu eiusdem mulieris. De hac impropria polygamia nulla est difficultas, cum omnibus notum sit, hāc non solū non repugnare matrimonio naturali, seu civili contractu, sed neque sacramento. De polygamia ergo solam propria præsens procedit quæstio. Et quantum ad polygamiam plurium virorū simul, respectu vnius mulieris: Conueniunt Theologi

iuri naturæ repugnare. Primò quia principalē destruit matrimonij finem, qui est prolem generare, quia plurium virorum accessus ad vnam mulierem, filiorum impedit generationem, vt patet in meretricibus. Secundò, quia destruit finem secundarium, qui est recta prolis educatio, cum proles incerta esset. Tertiò, quia indiuidum destruit conuictum, & pacificam societatem, quia faciliter iurgia inter viros nascerentur. Quartò, quia est contra illud *erunt duo in carne vna*. Posset tamen Deus, in hoc naturæ iure dispensare, quia non adeo hæc plurium virorum polygamia naturæ pugnat legibus, quin saltem ab eiusdem

naturæ

naturæ auctore dispēfari poffit. Pro quo, & pro fequentibus nota, quod tripliciter potest aliquid dici naturæ iuri repugnare. Primò, quando repugnat fecundum fe, & abfolutè ratione fuæ malitiæ, vt odium Dei, pollutio voluntaria, mendacium, &c. & in his nulla cadere potest difpenfatio, quia femper, & in omni loco, tempore, & circumftantia, fuam malam retinent malitiam. Secundò, quando non repugnat fecundum fe, & abfolutè, fed ratione circumftantiæ, & in his cadere potest difpenfatio, fi circumftantia illa varietur. Sic furtum, vel rei alienæ ablatio, fecundum fe, naturæ iuri nõ repugnat, fed ratione adiuncti; nempe quando Dominus eft rationabiliter inuitus, propterea Deus in hoc difpenfare potest, vt fecit cū filijs Ifrael, quando præcepit illis, vt Egypriorum vafa furriperent, cū non poffent effe rationabiliter inuiti præcipiente Domino, qui habet omnium rerum dominium. Sic, accessus Petri ad Bertam non fuâ, eft cõtra ius naturæ, quia vt-

tur re aliena, fecus fi poftea per matrimonium fiat fuâ. Tertio aliquid naturæ iuri repugnat, non ratione malitiæ obiectalis, non ratione circumftantiæ, fed ratione periculi peccandi contra ius naturæ, quo periculo præfente peccatur, quo abfente non peccatur. Hoc pofto, dico viorum polygamiam hoc tertio modo naturæ iuri aduerfari, nempe ratione periculi impediendi prolis generationē, fed huic obuiari potest, fi poft accessum primi mariti, non statim accedat fecundus, &c. Secundò etiam periculo obuiari potest, rectè nimirū prolis educationi, fi omnes in solidum conueniant de cura prolis habenda. Etiam periculo tertio obuiari potest, cū poffint effe homines pacifici, &c. & dato quod nõ effent, fed rixæ & contentiones, & iurgia effent, adhuc difpenfatio fieri poffet, cum iftæ finis non fit matrimonio essentialis.

49 Circa Polygamiam plurium mulierum respectu eiusdem viri. Prima sententia est quod nullo modo naturali iure

re repugnet. Ita Durandus 4. dist. 33. q. 1. Gerfon. 2. p. in regulis moralibus alphabeto 25. littera I. Caiet. in Gen. c. 16. Abul. 1. Reg. 8. q. 25. & cap. 29. in Matt. q. 30. & q. 33. Medina de continentia contro 1. cap. 9. Veracruz in speculo p. 2. art. 15. concl. 1. & 2. Palacius dist. 33. disput. 1. concl. 16. & tandem doctor subtilis q. 2. art. 2. & alij. Ex qua sententia sequitur Deum non dispensasse propriè cum populo Israel vt plures possent habere vxores, sed naturale ius declarasse vt peccandi occasionem auferret; vel, vt dicunt aliqui, quia licet vxorū pluralitas, de iure non esset naturali, extabat tamen de hoc præceptum diuinum, respectu saltem illius populi, per internam inspirationem intimatum, quod postea ob duritiam cordis eorum Deus abstulit; propterea dixit Christus Dominus in Euangelio, *ab initio non fuit sic*. Respectu vero Gentilium nulla facta fuit præcepti dispensatio, cum nulla fuerit respectu illorum, præcepti inti-

matio, & sic secundum hanc sententiam, Gentiles nõ peccabant plures ducendo vxores, absque vlla publicæ potestatis dispensatione, cum nulla esset naturæ prohibitio.

50 Secunda sententia tenet plurium mulierum polygamiam, adeo naturæ iuri aduersari, vt per nullam potestatem fieri possit dispensatio. Ita Aureolus apud Capreolum dist. 33. q. 1. art. 2. Victoria relect. de Matrim. & alij.

51 Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Polygamia plurium mulierum simul ita natura iuri repugnat, vt tamen in ea cadere possit dispensatio, non solum diuina, verum etiam humana; unde aliqua respublica propter bonum ciuile illius potuisset in vxorum pluralitate dispensare, quæ dispensatio tacita esse poterat*. Hanc conclusionem docet D. Thomas q. 65. art. 1. vbi in corporis fine habet: *Pluralitas ergo vxorū neque totaliter tollit, neque aequaliter impedit Matrimonij primum finem, cum vnus sufficiat pluribus vxoribus faci-*  
dan-

dandis, & educandis filijs ex his natis; sed secundarium finem, & si non totaliter tollat, tamen multum impedit, eo quod non facile potest esse pax in familia, dum non possit unus vir sufficere ad satisfaciendum pluribus vxoribus ad votum. Vbi vt vides vult D. Thomas polygamiam nullomodo tollere finem matrimonij principalē, sed solum aliquo modo secundarium, ac proinde non erit intrinsecè mala, sed erit mala solum secundo, vel tertio modo ex dictis: patet autem quod in hijs, quæ tertio modo naturæ iuri repugnant non solum à Deo, verum etiam à republica dispensari potest. Vnde Abraham duas habuit vxores, Saram, & Agar; Iacob, Rachel, Liam, Balam, & Zelpham; Helcana, Annam, & Phenennam; &c. & tamen de diuina non constat dispensatione; vel si Deus per internam dispensauit inspirationem, ideo fecit, non quia talis dispensatio à republica fieri nō potuisset, sed, vel quia talem ignorarent facultatem, vel quia vt dicebamus, fortè de

hoc diuinum à principio extabat præceptum, quod per internam inspirationem abstulit, sicut per internam inspirationem intimatum fuit: vnde postea plures ceperunt ducere vxores. Pro hac sententia videri possunt innumerari quos refert, & sequitur Sanchez lib. 7. disput. 80.

52 Probatum primò ex D. Augustino de bono coniugali c. finali, vbi expræssè docet antiquis Patribus illicitam nō fuisse vxorum pluralitatem; *Cum nec contra naturam id efficerent, ac quod non causa libidinis, sed proli multiplicanda ducebantur: neque contra legem, nec contra morem.* Et lib. 22. contra Faustum c. 47. & 48. & refertur c. obijciuntur 2. q. 4. excusat Iacob, qui quatuor duxit vxores ratione consuetudinis, dicens: *quando mos erat, crimen non erat.* Et lib. 1. de nuptijs c. 9. & lib. de bono viduitatis c. 7. ex Concilio Colonienfi probat magis matrimonio aduersari virorum pluralitatem, quam vxorum, *quod vir caput sit, ac principem in familia locum teneat, femina autem sit*

fit subdita; at dominantis principij natura, singularitatem amat, secus est de subiecti natura ut in corpore animato multi pedes sunt, unum autem caput; & gubernationi domus plures Dominos uni seruo præesse valde obstat, non tamen plures seruos uni Domino subijci. Ex quibus omnibus Augustini testimonijs clarè colligitur vxorum pluralitatem non adeo matrimonio opponi, quin, vel per principis seu reipublicæ dispensationem, vel ob morem, & cōsuetudinem non possit cohonestari: quod optimè aduertit D. Th. q. 65. art. 1. ad primum, dum dicit, vxorum pluralitatem posse consuetudine induci, quod esse non posset si vxorum pluralitas adeo esset mala, vt cohonestari non posset per publicam saltè Principis dispensationem.

53 Probatur secundò quia non videtur credibile plures nationes quæ vxorum admiserunt pluralitatem, non cognouisse hanc indecentiam, & oppositionem ad ius naturæ, si semel adeo strictum esset vt neque ex expresso, ne-

que ex tacito seipublicæ consensu, dispensari non posset; Vide Tiraquellum lib. 7. conub. vbi plures non barbaras, sed morigeratas affert nationes, quæ vxorum admiserunt pluralitatem. Vide Alex. ab Alexad. lib. 1. dierum genial. cap. 24. vbi idem refert. Vide etiam Menochium de arbitr. lib. 2. centu. 5. cas. 420. à nu. 72. Unde de Valentiniano seniore dicitur quod videns Urbem in hominum multitudine valde defecisse, publicauit legem. vt cuilibet liceret plures ducere vxores, vt refert Socrates lib. 4. suæ historiæ cap. 3. idem refert Suetonius de Iulio Cesare in eius vita c. 52. Licet Baronius ad annum 370. talem de Valentiniano neget historiam, quia Imperator iste domi forisq; castissimus fuit: quod forte dicit, quia ista lex publicata fuit quando matrimonium iam erat sacramentum, quod per nullam humanam dispensationem vxorum admittere potest pluralitatem, vt infra dicitur. Argumenta pro prima Caietani. & aliorum sen-

tentia non refero, quia nostram probant conclusionem; probant namque solum matrimonium naturæ iure excludere vxorum pluralitatē, quod nos libenter admittimus, non tamen probant adeo illā excludere quin in ea dispensatio cadere possit: & sic solum soluenda restant secundæ sententiæ argumenta, quatenus aliquo modo cum nostra media pugnare possunt sententia.

54 Primum argumentum est, quia de Matrimonij essentia, est mutua corporum traditio; atqui cum hac consistere nequit polygamia; ergo per nullam dispensationē dari potest Antecedens admittimus nos supra, & admittunt omnes. Consequentia probatur; quia implicat, quod id quod vni traditum est, simul tradatur, & alteri; ergo cum vir per primum Matrimonium suum corpus primæ tradiderit vxori, non poterit in secundo, illud idem tradere secundæ; ergo Respondetur quod de essentia Matrimonij non est suum corpus absolutē vxori tradere, sed

solum quantum sat est ad filiorum generationem, seu in ordine ad vxorem fœcundandam; atqui vt dixit D. Thomas supra, vnus vir potest plures fœcundare fœminas; ergo poterit suum corpus, quantum ad matrimonij essentiam spectat, pluribus tradere vxoribus.

55 Secundum argumentum: quia vt docet Apollolus 1. Cor. 7. *vxor non habet potestatem sui corporis, sed vir; & vir non habet potestatem sui corporis, sed vxor*: ergo vir non potest sine primæ vxoris iniuria suum corpus tradere secundæ, tertiæ, &c. Respondetur quod vir non habet sui corporis potestatem in ordine ad fœcundandā primam vxorem, sed habet in ordine ad secundam, fœcundata prima. Ad locum Apostoli dico, eum loqui de Matrimonio sacramento, in quo fit mutua corporum traditio in solidum, vt nec mulier possit pluribus viris maritari, nec vir pluribus fœminis vxorari, quia de essentia matrimonij sacramenti est, quod sint solum duo in carne  
vna,

vna, seu vt fit monogamia, non polygamia.

36 Tertium argumentum est, quia nulla potestas extra Deum potest dispensare in polygamia virorum, vt supra dicebamus; ergo neque in polygamia mulierum. Consequentia tenet ex paritate rationis; eodem enim modo se dat maritus vxori, ac vxor marito? Respondetur cōcesso Antecedenti, negando consequentiam. Magis namque valde regagnat virorum polygamia matrimonio, quam mulierum. Nam virorum polygamia repugnat aliquo modo fini principali matrimonij, & secundarijs simpliciter; quod probo, quia mulier non nisi semel in anno parere potest, quod sufficienter fiet vnus viri opera, & sic ab vno foetabitur mulier, & alij inutiles erunt, vel foetum destruent. Deinde per virorum polygamiā mutua actio- num, & officiorum vicaria communicatio impeditur, vt ex D. Augustino dicebatur. Quae omnia in foeminarum polygamia cessant, vt ex dictis liquet. Sed dices, quia po-

test facilius vni feminae satisfacere per plures viros, quam vnus vir satisfacere possit pluribus foeminis, cum per vnū actum conjugalem impotens reddatur homo ad secundum, tertium, &c. & sic fornicandi anfa daretur vxoribus illis, & rixarum occasio; tum quia vir toties debitum reddere debet, quoties vxor petit, quod fieri non posset, pluribus datis vxoribus? Respondetur quidquid sit, an vir possit pluribus vxoribus ad votum satisfacere, id tamen facere potest quantum pertinet ad illas fecundandas. Nec verum est teneri virum toties debitum reddere, quoties id vxor petit, sed quoties rationabiliter petit, vt suo loco dicetur. Vnde quod vnus vir non possit pluribus vxoribus ad votum satisfacere, solū probat vxorum polygamiā esse aliquo modo contra finem secundarium matrimonij, quatenus in concupiscentiae remedium ordinatur. Ob quam rationē diximus aliquam requiri dispensationem, vel diuinam, vt tradit Innoc. III. cap. *Gaudemus*, de diuortijs. vel dispē-



fationem humanam, vel etiã consuetudinem, vt cum Diuo Thoma dicebamus, & docet Glof. cap. cum *obijciuntur*, 32. q. 4 & textus idem docere videtur.

57 Quãrtum argumentũ, Quoniam verum nõ videtur, neque apud Iudæos, neque apud Gentiles fuisse licitum foeminarum polygamiã, quia vltra primam, aliã foeminã, concubina dicebantur; ergo non erant verã vxores? Respondetur quod tam apud Hebræos, quam apud Gentiles duo erant vxorum genera, quãdam enim ducebantur nõ solum ad liberos procreandos, sed etiam ad totius domus curam, & ad bonorũ omnium communicationem, vt modo fit, & hæ vxores dicebantur matres familias; & horũ filij hæredes relinquebantur. Aliã vero ad liberos creandos admittebantur, nõ ad domus gubernationem, nec ad bonorum communicationem, nec matres familias dicebantur, nec earum filij hæredes fiebant, sed dicebantur vernaculi, & solum aliqua munera dabantur, &

alimenta, & hæ concubinae, seu secundæ vxores dicebantur. Concubina namque dicitur à concubitu, quando vir ita cõcubit cum foemina aliqua, ac si vxor illius esset.

58 Sed quæres primò, quo tempore polygamia vsus cepit? Certum est quod post diluuiũ fuit polygamia vsus, & quod Noe sic suos docuit filios, vel ex diuina inspiratione, & dispensatione, vel etiam humana, cum tunc cognosceret necessariam esse ad humani generis propagationem, ita tradunt communiter, qui de hac scribũt materia, nam de Abraham, & sanctis Patribus dicitur, quod à suis maioribus id didicerũt. An autem fuerit etiam ante diluuium, non est ita certum, puto tamen probabile valde esse, quod polygamia maxime in vsu fuerit, & quod cepit in filiis adæ & ratio est, quia diluuium accidit anno 1656. à mũdi exordio, in quo temporis spatio, humanum genus adeo erat multiplicatum, vt ex sacra colligitur Scriptura; quod non potuit fieri, sine polygamia.

Quæ-

59 Quæres secundò, an polygamie usus à Christo Domino quoad gentiles fuerit sublarus? dico quoad Gentes, quia quoad Christianos omnino certum est, cessasse; ut constat Matth. 19 ubi & libellum repudij, quem Hebræis concesserat, & vxorum multitudinē prohibet. Vnde cap. *Gaudemus* cogit Ecclesia infidelem, siue Iudæum, siue Gentilem ad fidem conuersū dimittere omnes vxores, quas simul habebat, præter eam solam, quam primò duxit loco. Et sic merito Tridentinum sess. 24. can. 2. id ipsum, quod Christianos definit dicens; *si quis dixerit, licere Christianos plures simul habere vxores, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum; anathema sit.* Difficultas ergo solum de nō Christianis procedit, an nimiram Christi præceptum de solis fuerit Christianis, an vero de omnibus etiam non Christianis. Thomas Sanchez loco citato num. 8. ubi ut probet nostram sententiā, quod vxorum pluralitas prohibita sit iure naturæ, modo dicto, & non sola lege diuina

positiua, sic arguit: quia si sola lege Euangelica esset interdicta hæc vxorum pluralitas minimè ligaret infideles: ac proinde illis licita nunc esset; cum ante susceptum Baptisma peculiaribus populi Christiani legibus minimè astringantur. Et sic vult Sanchez, infideles non posse plures habere vxores non in virtute præcepti Christi prohibentis, cum hoc non adstringat illos, sed solum in virtute iuris naturalis, id sine dispensatione vetantis. Hæc doctrina aliquibus displicet, quia putant Christi præceptum etiam ad infideles extendi. Aliquibus placet propter rationem illius, vnde etiam nos de Eucharistia diximus non peccare infideles contra cōmunionis præceptum, cum ad illud non nisi Baptizati teneantur. Meum sit iudicium. Præcepta Christi quæ de sacramentis sunt, ut pœnitentiæ, communionis, &c. non ligant infideles, cum hæc supponant Baptismum. At vero præcepta, quæ de sacramentis non sunt, sed purè naturalia, etiam infideles ligant, vnde

vnde præceptum correptionis fraternæ, cum naturale sit, & Baptifmum non fupponat, & aliunde fit vniuerfale, ad omne hominum genus extē-

ditur. Vnde cum præcepta de non dimittenda vxore, & de non habendis pluribus vxoribus naturalia funt, etiam ad infideles extendentur.

# DISPUTATIO S E C V N D A

*De matrimonio vt est Sacramentum, & de ijs,  
quæ ad illius pertinent eſſentiam.*

**E**gimus præcedenti diſputatione de matrimonio vt purè ciuilibus contractus eſt, nō tamen egimus de omnibus, quæ ad conſtituendum matrimoniū in ratione talis contractus neceſſaria ſunt; vt quænam ſit materia, & forma illius; quænam conſenſus, & quomodo requiratur; inter quas perſonas eſſe poſſit, de antecedē-

ti illius promiſſione, quæ ſpōſalia vocātur &c. Quod ideo fecimus, quia cum iſta communia ſint ciuili matrimonio, & ſacramento debuerūt ad matrimonium ſacramentū reſeruari, & quia dignius, & quia præſentis laboris eſt, & quia ſic facilius, & clarius explicatum manebit, &c. ſit ergo.



## Q V A E S T I O I.

*An matrimonium sit legis nouæ sacramentum,  
vbi alia curiosa breui methodo  
explicantur.*

1 **P**rima sententia est Lutheri de captiuit. Babil. tit. de matrim. Caluini lib. 4. suarū institutionum, c. 19. §. 34. & eorum sectatorum, quod Matrimonium non sit verum sacramentum à Christo Domino institutum, & sic quod nihil amplius habeat post Christum, quam haberet ante illum.

2 Veritas chatholica sequenti explicatur conclusione. *Matrimonium Baptizatorum est verum & propriū nouæ legis sacramentum à Christo Domino institutum.* Hæc conclusio est de fide definita primò in Concilio Constantiensi contra Ioannem Hus, qui sacramenti rationem à Matrimonio relegabat. Habetur in Florentino Concilio in Eugenij decreto. Habetur in Tridentino sess. 24. cap. vnico, & can. 1. & sess. 7. can.

1. Habetur ex vtriusque Ecclesie consensu scilicet Ecclesie Orientalis, & Occidentalis, vt patet ex censura orientali ad Lutheranos transmissa. Habetur ex Apostolo Ephes. 5. vbi dicit de matrimonio: *Sacramentum hoc magnum est, dico autem ego in Christo, & Ecclesia.* Vbi Apostolus de Baptizatis loquitur, vt patet ex illis eiusdem capituli verbis *eratis aliquando tenebra, nunc autem lux in Domino.* & refert dictum Adæ Gen. 2. *propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adheret uxori suæ & erunt duo in carne vna.*

3 Probatur primò, quia Matrimonium ex Christi Domini institutione Matt. 19. est vnus cum vna, & indissolubile; ergo est sacramentum. Consequentia probatur, nam  
omni-

omnimoda Matrimonij indissolubilitas non potest oriri ab ipsa matrimonij natura, vt patet ex dictis disputat. præcedenti; ergo oriri debet à significatione, qua significatur vnionem Christi cum Ecclesia. Vnde D. Augustinus in lib. de bono coniugali, Matrimonij indissolubilitatem, in dictam refert significationem, nam vnio Christi cum Ecclesia, est vnus cum vna, & est indissolubilis, iuxta illam Christi promissionem: *ego vobiscum sum, vsque ad consumationem seculi.*

4 Probatursu secundo, quoniam vxorati gratia indigent sanctificante pro recta liberorum educatione, vt nimirum liberos de fide, & religione instituunt, vt dent operam vt viuam fiant Ecclesie membra, vt sic Christo, & Ecclesie assimilentur, quæ spirituales semper generant liberos, per baptismum, per Penitentiam, per Eucharistiam &c. Confirmatur, quia sine gratia matrimonium non esset remedium sufficiens contra concupiscentiam, quæ ex coniugali actu magis accen-

ditur, & etiam ob morbum coniugis: ob illius absentiam, &c. Tum quia, vt eleganter dicit D. Thom. q. 42. art. 3. numquam Deus præcipit aliquid, vel instituit, quin gratiam conferat ad illud exequendum; & sic cum Christus libellum abstulerit repudij, & polygamiam, & restrinxerit Matrimonium ad vnum cum vna, debuit illud taliter instituire quod gratiam conferret ad hoc, vt cum tali maxime restrictione obseruaretur:

Igitur Christus Dominus instituit Matrimonium in ratione Sacramenti, in quantum quod fecit, quod id quod prius ciuile tantum erat contractus, postea ad sacramenti naturam eleuaretur, quatenus ipsum ordinauit ad gratiam practicè significandam, & causandam in contrahentibus, nisi aliunde peccati obicem ponant, per quam gratiam contrahentes se se mutuo diligere, & hac mediante dilectione, mutuam repræsentarent charitatē inter Christum & Ecclesiam.

5 Sed quæres primò, quomodo.

tempore Christus Dominus Matrimoniale euexit contractum ad sacramenti rationem? Viguerius institut. cap. 16. Ledesma 2. p. 4. q. 44. art. 2. & alij volunt id fuisse factum Ioan. 2. quando Christus Dominus ad nuptias Canæ Galileæ simul cum matre iuit. Sed communis sententia est, quod Christus Dominus tunc solum nuptias approbavit, non instituit, instituit autem Matt. 19. cum eius præcepit inseparabilitatē dicendo: *quod Deus coniunxit homo non separet*. Sic Sotus dist. 26. q. 2. art. 2. & alij quos refert, & sequitur Sanchez lib. 2. disput. 4. Ex quo colligitur falsam esse sententiam Henrici VIII. Regis Angliæ, Roffensis, Catherini, & Petri Soto instit. Sacerd. lect. 2. de Matrim. quod matrimonium semper fuerit sacramentum, gratiam conferens; licet enim ad Ephes. 5. Adæ Matrimonium Sacramentū dicatur, non tamen fuit propriè tale, sed quia aliquam habebat cum sacramento similitudinem, quia signabat vnionem fiendam, vel inter

naturam diuinam, & humanam, vel vnionem Christi cū Ecclesia. Similiter nec modo matrimonium fidelis cum infideli, vel cum cathecumena etiam ex Pontificis dispensatione factum, est sacramentum, neque etiam ex parte fidelis, quia Matrimonium in vtroque coniuge est vnum numero Sacramentum, sicut est vnus numero contractus; & sic si in vno sacramentum non est, neq; in alio esse potest. Tum quia Christus Dominus eleuauit in sacramentum, integrum, & perfectum matrimonij contractum, non dimidium; ergo cum vna pars nō sit capax recipiendi sacramentum ex defectu Characteris baptismalis, sacramentum fieri non poterit.

6 Quæres secundo, an matrimonium infidelium quando ambo baptizantur fiat sacramentum gratiam causans sanctificantem? Affirmat Sanchez vbi supra disput. 9. etiam absque alio consensu: alij volunt fieri, nouo accedente consensu. Veram sententiam defendit Capreolus 4. dist. 26. & alij, quod Ma-

rimonium infidelium non fiat Sacramentum, eo ipso præcisè quo baptizantur, ut vult Sanchez; neque nouo accedente consensu, nec villo alio tempore. Probatum quod non fiat sacramentum præcisè ex eo quod baptizentur; nam numquam verum fit Sacramentum, sine materia proxima; sed hic, licet adsit materia remota nempe corpora, quæ tradantur, non tamen est materia proxima, nempe consensus; ergo non potest fieri sacramentum. Sed dices per baptismum priorem renouari consensum; nam contra est, quia baptismus, non est Matrimonialis consensus renouatiuus, cum non sit virtus illius, deinde dato quod per Baptismum consensus ille renouaretur, adhuc non posset fieri Sacramentum, quod enim ab initio non habuit, neque per nouam reuiuiscentiã, seu renouationem habere potest, non enim habet consensus à baptismo à quo renouatur, quod sit sacramentalis, sed habet ex Christi eleuatione, quando ponitur; atqui quando fuit positus hanc non

habuit eleuationem; ergo neque postea, quantumuis renouetur, cum per talem renouationem nouum non fiat matrimonium, nouus non ponatur contractus, sed sæper antiquus maneat: ex quibus patet impugnatio alterius partis, quod neque accedente consensu fiat Sacramentum, cum per talem consensus renouationem non immutetur prior contractus, nec nouus fiat contractus, eleuabilis ad sacramenti rationem.

7 Quæres tertio, an baptizati possint Matrimonium facere solum in ratione contractus ciuilibis, & non in ratione Sacramenti; Negat Sanchez lib. 2. disput. 10. Coninchus disput. 24. dub. 2. & horum ratio est, quia Christus adeo inseparabiliter rationem sacramenti addidit rationi contractus, quod implicet aliquos velle contrahere, & Sacramentum nolle facere. Unde si qui posituè rationem excludant sacramenti, quantumuis vellent contrahere, non contrahent, & sic matrimonium erit nullum. Nihilominus oppositum est verius, quod

quod Basilius Pontius defendit, & post eum alij multi: dicit ergo Pontius lib. 1. cap. 9. quod si Christiani intendant matrimonium facere, vt est ciuilis contractus, & non intendant facere sacramentum primum fiet, non secundum, ex intentionis defectu; sicut enim Christus non ita alligauit Sacramenti Baptismi rationem ablutioni, quod non possit quis puerum abluere, & sacramentum non facere, licet vera fiat ablutio, nec ex hoc, quod quis facere nolit Baptismum sacramentum, non abluit; ita per hoc quod aliqui nolint in matrimonio, rationem addere sacramenti ne adeo fiat indissolubile, Matrimonium non fiet, cum matrimonium sit materiale in hoc Sacramento, sicut ablutio in Baptismo. Bene verum est, quod isti grauius peccarent peccato sacrilegij, quia esset sacramentalem actionem irritate.

8 Quæres quartò, an non solum matrimonij contractus in sacramentum eleuetur, verum etiam vinculum ipsum? Sanchez, quem præ-

cedenti impugnauimus disputat. cum velit essentiam Matrimonij in vinculo consistere dicit non eleuari in sacramentum contractum, sed vinculum ipsum; illi vero, qui volunt matrimonij essentiam in utroque consistere, dicent, & contractum, & vinculum in sacramentum assumi. Sed vtrunque falsum est, vnde dico, *solum matrimonij contractum in sacramentum eleuari.*

9 Probatur primò, quia matrimonij essentia in sola contractus ratione consistit, vt disput. præcedenti ostendimus, vinculum vero est solum huius contractus effectus; ergo cum Christus Dominus non matrimonij effectum, sed ipsū matrimonium in sacramentū euexerit, non vinculum, sed contractus ratio, sacramentū esse debet. Secundò, quia omnia sacramenta in actione, vel fieri consistunt, excepto Eucharistiæ sacramento: cum in hoc, sacramenti ratio, non sit actio cōsecratiua, sed species panis, & vini quæ post consecratiuam manent actionem, quod ideo factum est,



quia cum hoc sacramentum sit institutum per modum cibi, & potus, debuit permanere, vt sumi posset, quoties quis eo indiget cibo, potuq; vt per illius applicationē gratia causetur, cum hæc causari non potuit, cum conficeretur. Tertiò, quia vt docet Eugenius in suo decreto: *omne sacramentum* est institutum, vt suo vsu, & applicatione ex opere operato sanctificet; sed hoc solum conuenit contractui, non vinculo; ergo contractus non vinculum est sacramentum. Maior est de fide. Minor ostenditur quoad vinculum; nam alias sequeretur, quod quoties coniuges in gratiæ statu existentes matrimonio vterentur, toties gra-

tia ex opere operato causetur, quod est absurdū, & melioris conditionis esset hoc sacramentum, quam cetera alia, & melioris conditionis essent coniugati, quam alij, quod est cōtra Apost. 1. Cor. 7. suadentem virginitatem, & matrimonium indulgentē, & permittentem. Sed dices, hoc vinculum significat coniunctionē Christi cum Ecclesia; ergo est sacramentum. Nā respōdetur, quod coniunctio Christi cum Ecclesia magis significatur per gratiā in hoc sacramento collatam, per quam mutuo se coniuges diligant, quæ mutua dilectio signat dilectionem Christi, & Ecclesiæ, quam per vinculū vt ex dictis liquet.

## Q V A E S T I O II.

*Quænam sit materia, et forma sacramenti matrimonij.*

10 **T** Ot sunt ferè Theologorum sententiæ de materia, & forma huius sacramenti, quot sunt eorum-

dem Theologorum capita. Prima sententia est, quod Sacerdotis verba, sint huius sacramenti forma, verba vero

con-

contrahentium, sint materia. Hanc sententiam sequitur Cano lib. 8. de locis Theol. c. 5 Estius in 4. dub. 26 S. 10. & 11. Siluius hic q. 42. art. 2. q. 1. Sed hæc sententia ab omnibus reicitur. Primò, quia videtur esse contra Florentinum, & Tridentinum Concilium, quatenus nec illud nec hoc sess. 24. in initio, vbi de hoc differit sacramento, nunquam de Sacerdote tanquam de ministro formam proferente mentionem faciunt: imò cap. 1. de reformatione docet matrimonia clandestina, quæ sine Sacerdotis siebant præsentia, vera fuisse sacramenta. Idem statuitur cap. *Quanto*, de diuortijs. Ratio potissima est, quia Christus Dominus eleuauit in sacramentum, matrimonium vt est naturalis contractus, ita quod eadem sit materia, & forma modo, ac prius, solum addidit sacramenti rationem, seu significationem, quæ est vltima forma respectu materiæ, & formæ contractus: vt enim de sacramentis in genere docuimus, omnia sacramenta duplici constant materia, & for-

ma, partiali scilicet, & totali, vt in Baptismo, materia partialis est ablutio, forma partialis, sunt verba: Materia totalis sunt verba, & ablutio; forma totalis, & vltimò rationem complens sacramenti, est significatio. Ita & in nostro casu, materia, & forma partialis, sunt componentia contractum matrimonialem, qui postea, in ordine ad significationem, quæ est forma totalis, materiæ habet rationem; & sic, cum materiam, & formam inquirimus huius sacramenti, non de materia, & forma totali sermo procedit, sed de materia, & forma partiali, & sic, cum verba Sacerdotis, contractum non componant matrimonialem, nequeunt esse huius sacramenti forma.

II Secunda sententia est Catharini dicentis huius sacramenti materiam esse contrahentium actus, & verba, & formam illa verba Gen. 2. & Matth. 19 *propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adheret uxori suæ, nec valet dicere, inquit ille, quod hæc verba non proficiuntur dum matrimonia per-*  
ficiuntur.

ficiuntur, quia cum sint in sacra Scriptura semper proferri censentur, cum scriptura, loqui semper censeatur. Sed hæc sententia falsa est, nec fundamentum verum, nec probabile, quia sequeretur, quod semper hoc sacramentum fieret quoties materia habilis adesset, sequeretur quod semper consecratio fieret, quoties panis, & vinum adessent, cum & verba consecrandi in scriptura contineantur, nec minus loquatur Scriptura per illa, quã per ista verba, &c. Tertia sententia est Nauar. cap. 22. Valentiæ hic disput. 1. puncto 6. & aliorum aliorum, quod materia sit consensus internus vtriusque contrahentis, & forma sint verba. Sed & hæc sententia falsa est, quia huius & omnium aliorum sacramentorum materia debet esse sensibilis; atqui illi consensus non sunt tales; ergo. Quarta sententia est, quod verba, quæ à priori proferuntur contrahente sint materia, & quæ à posteriori forma, exemplo numeri, ubi vltima vnitas est eius forma, & vnusquisque

potest esse materia, & forma, secundum quod contingit procedere, vel subsequi. Sed neque hæc sententia placet. Primum quia si simul proferantur neque materia, neque forma aderit. Secundum, quia ex hac sententia sequitur, hoc sacramentum, certam non habere materiam, & formam, sed incertam, indeterminatam, & vagam, & esse in contrahentium potestate illam determinare, imò posse facere quod id quod est materia fiat forma, & e contra, quod videtur falsum, & contra sensum Ecclesiæ, ad quã solam spectat materias, & formas sacramentorum aliquo modo determinare, quando à Christo Domino talem non habuerunt determinationem. Quinta sententia est Vasquez hic disput. 3. c. 5. post Paludanum, Adrianum, & alios quosdam, qui dicunt quod contrahentium corpora sint huius sacramenti materia, forma vero sint eorundem contrahentium verba, seu signa interiori consensu informata. Huius fundamentum sententiæ est, quia in omni contractu,

emptio-

emptionis, donationis, &c. illud est materia, quod donatur, emitur, alienatur, seu cuius dominium transfertur; forma vero sunt verba consensu informata, ergo cum in matrimonio, corpora sint quæ tradantur, illa erunt materia, & verba per quæ fit talis traditio, erunt forma. Sed hæc etiam sententia falsa est, & falso innititur fundamento; nam licet verum sit, quod in contractibus res, quæ traditur, donatur, emitur, &c. sit materia remota, non tamen proxima; cum enim contractus consistat in fieri, non in facto esse; non in re, quæ traditur; donatur, emitur, &c. sed in ipsa traditione, donatione, emptione &c. proxima materia consistere debet.

12 Sexta sententia est, quod materia proxima, huius sacramenti sit corporum traditio verbis vel nutibus facta secundum quod interiores exprimunt consensus; & forma sit mutua corporum acceptatio verbis, vel nutibus consensum, exprimantibus. Sed hæc etiam sententia falsa vide-

tur, quia rei traditio non est ipse contractus, sed effectus illius; prius namque est, quod verba consensum experimentia sint, quàm quod rei sequatur traditio; nõ enim traditio est causa consensus, sed mutus consensus est causa traditionis; nam quando rei non sequitur traditio, proprius ponitur contractus, & tamen nulla sequitur rei traditio. vt patet de emptione, & venditione, non facta traditione, vnde quando postea fit rei emptæ, vel venditæ traditio nouus non ponitur contractus, sed præcedentis contractus ponitur effectus. His reiectis.

13 Nostra sententia sequenti explicatur cõclusionem. *Verba vel nutus, seu signa exprimentia mutuum traditionis corporum consensum; sunt huius sacramenti materia; & eadem verba, &c. prout significant mutuum acceptionis corporum consensum, sunt eiusdem Sacramenti forma.* Hanc cõclusionem licet non repererim in aliquo Theologo, reperi tamen in Theologorum Principe, & omnium magistro,

stro, Doctore scilicet Angelico, hic q. 45. art. 2. in corpore ubi habet: *Materiales contractus non possunt fieri nisi sibi inuicem contrahentes, voluntatem suam verbis promant qui contractum faciunt, ideo etiam oportet, quod consensus matrimonium faciens, verbis exprimat. quod probans in argumento sed contra, dicit: Matrimonium est Sacramentum quoddam: sed in omni Sacramento reperitur aliquod sensibile signum; ergo & in matrimonio, & ita oportet ibi essentialiter verba exprimentia consensum sensibilibiter* Deinde: *in matrimonio fit contractus inter virum & mulierem; sed in quolibet contractu oportet esse expressionem verborum, quibus homines se obligent; ergo & in Matrimonio oportet esse consensum per verba expressum.* Et art. 4. in fine corporis dicit: *expressio verborum, sine interiori consensu matrimonium non facit.* Vbi ut vides DThom. nunquam ad corporum recurrit traditionem, sed semper ad verba, consensum in corporum traditionem, & acceptionem experimentia re-

currit, cum matrimonialis contractus rationem inquirat. Et sic, ex mente D. Thomae, & nostra, matrimonialis contractus, duo dicit, rationem genericam contractus, & propriam, seu specificam; ratio generica, contractibus omnibus communis, sunt verba (vel formaliter, vel equivalenter ut sunt signa, & nutus) inter eorum experimentia consensus, cum sine intentione, seu consensu nullus contrahere censetur; ratio specifica non est corporum traditio, ut patet, nec secundum se, nec prout ex mutuo procedit consensu, quia ut sic potius est effectus huius contractus, quam quid ad illius pertinens rationem, sed sunt eadem verba formaliter, vel equivalenter secundum propriam rationem specificam, id est secundum quod respiciunt consensus in mutua corporum traditionem, & receptionem, seu secundum quod specificantur a mutua corporum traditione, & receptione, & simul faciunt eam.

14 Probatur primo, quoniam illud propriam ingreditur

ditur huius sacramenti cōpositionem ad quod immediatè sequitur contrahentium obligatio, quod immediatè vinculum causat matrimoniale; sed hoc sunt verba consensu informata de mutua corporū traditione, & acceptatione, non cōsensus ipse nudus, nec verba sine consensu, nec corporum traditio &c. ergo. Maior constat, nam cum matrimonium sit contractus naturalis, in supernaturalem eleuatus significationem, aliorū contractuum naturam, & rationem habere debet: alij autem contractus in eo formaliter consistunt in quo ratio obligandi contrahentes consistit, non in obligatione ipsa, vt in omnibus contractibus est videre. Minor ostenditur; nam contrahentes non aliter se mutuo obligant, quam per verba consensibus informata, in horum namque virtute fit corporum traditio, fit vinculi matrimonialis obligatio, &c.

15 Probatur secūdò, quia illud in omnibus sacramentis habet rationem formæ, quod

materiam determinat, & cōplet; ergo etiam in matrimonio illud formæ rationem habebit, quod eius materiam habebit determinare; sed verba informata cōsensu de mutua corporum receptione determinat se ipsa vt sunt informata consensu de mutua eorundem corporum traditione; ergo verba vt informata consensu de mutua corporum receptione erunt huius sacramenti forma, cum secūdum hanc rationem habeant rationem determinatiui, & secundum quod informantur consensu de mutua corporū traditione habebunt rationē materiæ cum secundum hanc rationem habeant rationem determinabilis. Cum certum sit in alijs etiam contractibus, consensum per verba expressum, contractum non facere, quandiu acceptatio non accedit, vt patet in donatione, etiā exterius significata. Quæ omnia si rectè intelligantur rem totam explanāt, & argumentis, quæ in cōtrarium fieri possunt satisfaciunt: ideo sistimus.

GRANADA

## Q V A E S T I O III.

*An mairimonij sacramentum inter absentes  
possit celebrari.*

16 **D**Vobis modis contingere potest mairimonium inter absentes celebrari. Primò per internuncium, seu procuratorem. Secundò per epistolã, non enim alijs modis naturalibus possunt absentes mutuo contrahere: dixi, *non enim alijs modis naturalibus*, quia supernaturaliter possunt absentes contrahere si Deus alicuius consensum exterius expressum reuelaret alteri contrahenti, qui etiam exterius consentiret, dixi etiam, *exterius expressum*; quia pro modo supersedeo ab illa quaestione, an contractus fieri posset per internorum consensum reuelationem; posset etiam contractus fieri per internucium demonem, vel Angelum bonum, ut patet.

Cõueniunt Theologi omnes mairimonium prout cõtractus inter absentes fieri pos-

se, sicut, & alij contractus fieri possunt, de duobus solum dubium esse potest, nimirum an inter absentes mairimonium fieri possit ut sacramentum, & an fieri possit post Tridentinum. Prima sententia dicit mairimonium inter absentes non esse sacramentum: ita Caietanus tom. 1. opusc. tract. 12. q. 2. Cano *de locis*. lib. 8. c. 5. Secunda sententia est Ledesme de matrim. dub. 18. & aliorum, qui dicunt mairimonium validum quidem fuisse ante Tridentinum, non post.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Mairimonium, & ante, & post Tridentinum, inter absentes baptizatos debet celebratum esse verum & proprium sacramentum.* Hæc conclusio est communis inter Theologos, ut videre est apud Sanchez lib. 2. disput. 11. Quod fuerit vali-

validum, & verum sacramentum ante Tridentinum. Probatum, quia ita expressè habetur cap. *finali*, de procurat. in 6. & cap. *honorantur*, 32. q. 2. & L. *sufficit* ff. de sponsal. & L. 5. in *fin.* tit. 2. & ratio etiam est, quia contractus inter absentes esse potest; ergo etiam matrimoniū qua contractus est, ac subinde etiam qua sacramentum est, Christus namque Dominus matrimonij naturam non immutavit, sed in suo esse reliquit, ita quod, id quod prius sufficiens erat ad rationem contractus, sufficiens etiam esset ad rationem sacramenti.

17 Quod autem sit etiam validum, & verum sacramentum post Tridentinum. Patet ex usu, & praxi Ecclesiæ. Tū quia Tridentinum non irritavit cap. *final.* sed solū matrimonia irritavit clandestina, ut videre est sess. 24. c. 1. ergo si fiat matrimonium per procuratorem coram Parocho, & testibus, validum erit; quod enim præstat procurator, præstare censetur mandans; procurator namque est mandā-

tis morale instrumentum, & consensus à procuratore exhibitus est magis mandantis, quam procuratoris, cum nomine mandantis agat, & per potestatem à mandante receptam: sicut enim in naturalibus actio instrumentaria est magis causæ principalis quam instrumenti, ita & hic; unde sicut si adesset mādans fieret verum & validum matrimonium, gratiam conferens sanctificantem, ita quādo adest mandans in suo procuratore, vel mandatario. Soluuntur argumenta in contrarium.

18 Primum argumentum est quia ut clarè colligitur ex verbis, quæ communiter dicuntur *ego accipio te in meum*, vel *in meā*, importari videtur persona quæ loquitur, & ea quæ alloquitur; sed hæc stare non possunt inter absentes; ergo inter illos validū fieri nequit matrimonij sacramentū? Respondetur quod cum procurator personam representet mandantis, dū nomine illius dicit, *ego accipio te in meam*, mandantis nomine loquitur, & illa verba ex communi ho-



minum intellectu magis mandantis censentur, quam procuratoris. Exemplum clarum habemus in sacramento altaris, ubi cum Sacerdos Christi representet personam, ipsius nomine dicit: *Hoc est corpus meum: hic est calix sanguinis mei*; ubi ex omnium sensu non referuntur hæc verba ad Sacerdotem loquentem, sed ad Christum, in cuius persona loquitur.

19 Secundum argumentum: Quoniam Tridentinum supra, statuit quod contrahentes debeant matrimonij contractum inire coram Parocho, & testibus, & si aliter fiat irritum, inaneque sit; sed hoc contingit inter absentes; ergo. Nec valet dicere quod absens, præsens censeatur in suo procuratore; nam Tridentinum absolutè loquitur, & ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus? Respondetur quod Tridentinum ea irritavit matrimonia, quæ antiquo iure erant prohibita, & in Ecclesiæ foro probari non poterant, eo quod sine Parocho, & sine testibus fiebant, & sic, cum hoc matrimonium

fiat coram Parocho, & testibus ex vna parte, & ex alia antiquo iure prohibitum non esset, per Tridentinum reuocatum non fuit.

20 Tertium argumentum: quia contingere potest, quod dum procurator mandantis nomine matrimonium facit ipse mandans dormiat, vel in amentiam inciderit, ac proinde nec matrimonium fiet, nec gratia producet; ergo &c. Respondetur ex dictis de sacramentis in genere, quod ad hoc ut quis sacramentum suscipiat, non est necesse, quod suscipiendi habeat intentionem; dum actu sacramentum suscipitur, sed sufficit, quod illam habuerit, & nunquam reuocata fuerit, & quod virtualiter perdurare censeatur; atqui hæc in dormiente, & amente contingere possunt, ut patet ex dictis de Baptismo: si quis namque Baptismum petijt, potest illud suscipere etiam si dormiat, vel in amentiam incidat, & tunc gratiam, recipit sacramentalem, nisi obicem peccati habeat. Oppositum huius tenet

Pontius tom. 1. lib. 2. cap. 15.

quoad

quoad illum qui in amentia incidit, quia alterius contrahentis consensus ad hunc non se extendit.

21 Sed quæres primò, quot conditiones requirantur ad hoc ut matrimoniū per procuratorem factum validū sit? Respondetur quod quinque requiruntur, quæ colligi possunt ex cap. finali de procuratoribus in 6. Prima est ut mandatum habeat speciale ad matrimonium contrahendum, non enim sufficit mandatum generale mandantis, cum enim matrimonium sit res grauissima, speciale requirit mandatum, ita c. finali & Clemēt. non potest, de procurat. Secunda conditio est, ut procurator mandatum per se ipsum exequatur, nec possit alium substituere, nisi hoc expresse in mandato exprimat, citato cap. finali. Tertia est quod contractus tempore, mandatum non sit reuocatum, quia tunc matrimonium nullū erit etiam si mandatarium, & alterum contrahentem lateat reuocatio, nec est necesse, quod reuocatio quantum ad forum animæ sit

exterior, sed interior sufficit; cum matrimonium esse nequeat sine contrahentium consensu. Adde ex cōmuni sententia, mandatum etiam reuocari si mandans faciat aliquid mandato contrarium, per hoc namque mandans censetur, mandatum reuocare. Quarta conditio est, ut mandatum non sit ad contrahendum in communi, sed esse debet determinatum ad contrahendum, scilicet cum certa, & determinata persona; ita Leg. generali ff. de ritu nuptiarum. Vltima est, quod procurator sui mandati fines non excedat, vnde si habeat mandatum contrahendi cum certa dote, non potest cum minori, cum eius potestas sit limitata, & si id faciat, matrimonium nullum erit L. diligenter, ff. mandati.

22 Quæres secundo, an procurator possit esse foemina? Respondetur affirmatiuè, quia sexuum distinctio, in solo requiritur matrimonio, non in mandatario; vnde vna, vel plures foeminae, procuratores esse possunt, ad matrimonium contrahendum.

Quæ.

Quæres tertio, an mandatum dari debeat in scriptis? Respondetur id non esse necesse, requiritur tamen quod constare possit Parocho, & testibus, qui debent illud mandatum examinare, antequam fiat matrimonium: nec debet dari coram Parocho, & testibus. quia Parochus, & testes solum à Tridentino requiruntur, quando matrimonium initur, & sic sufficiet quod mandatum constet, vel per publicum instrumentum, vel per testes, &c.

23 Quæres quarto, an si mandans quando mandatum procuratori dedit solum consensum habuit fictum, postea absente procuratore habuit verum voluntate mutata; verum fiat matrimonium? Respondetur negativè, nisi nova accedat commissio, cum mandatarius (si nova non accedat commissio) operetur in virtute primi mandati, quod fictum erat.

24 Quæres quinto; quænam verba dici debeant à procuratore? Respondetur, quod ista; vel æquivalentia dici debeant? *Dominus N.*

*accipit te in suam, vel in uxorem, vel consentit in te, me mediante, & si procurator sit pro accipiendo viro dicet Domina N. accipit te in suum, vel in virum, vel consentis in te, me mediante.*

25 Quæres sexto, an quando procurator mandantis nomine matrimonium facit, sit ipse matrimonij minister, an mandans? Respondetur, quod mandans; vnde nec in procuratore sacramentum recipitur, nec eius verba, & consensus sunt huius sacramenti materia, sed verba, & consensus mandantis, quatenus per procuratorem innotescunt; & sic procurator, est conditio sine qua non, sacramentum fieret. Ex quibus duo inferuntur. Vnum, quod procurator dum mandantis nomine matrimonium facit, non tenetur esse in gratia, cū tunc sacramentum nec faciat, nec recipiat: alterum quod mandans tenetur esse in gratia, non quando commissionem dedit, sed quando matrimonium fit, cum tunc sacramentum & faciat, & recipiat; an autem duo peccata

ta committat, qui in mortali matrimonium init, vnum qua causat, alterum qua recipit; patet ex alibi dictis, nimirum probabile esse vnum tantum esse peccatum, quia & facere, & recipere matrimonij sacramentum, per modum vnus se habent, sicuti alibi diximus de sacerdote cōsecrante, recipiente, & ministrante sibi in missa, sacramentum.

26 Quæres septimò, an benefaciant cōtrahentes per procuratorem, quando postea in præsentia illud ratifi-

cant? ratio dubitandi est; quia hoc sacramentum non est iterabile, primò durante vinculo, & aliundè est certum de eius validitate? Respondetur benefacere contrahentes dum ratificant illud, quia licet qua sacramentum est repeti nō possit, qua tamen contractus est, repeti, & pluries reconfirmari potest; fit autem hæc repetitio ad maiorem securitatē, quia si fortè consensus non fuisset, de nouo ponetur, & tunc fiet sacramentum, cum prius non fuerit factum.

## Q V A E S T I O I V:

*Vnde matrimonij sacramenti indissolubilitas oriatur.*

37 **D**E indissolubilitate matrimonij, qua sacramentum, quæstio procedit; nam de indissolubilitate eiusdem, qua contractus naturalis est, supra egimus, de qua re duæ sunt sententiæ. Prima sententia est, matrimonij indissolubilitatē

procedere ab huius sacramenti ratione. Hanc sequuntur plures moderni.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Matrimonij indissolubilitas non oritur ab hoc sacramento quale, sed qua duplicem annexam habet significationem: scilicet*

licet significare unionem natura diuinæ cum humana in unitate suppositi Christi; & significare unionem amoris, & Charitatis Christi sponsi, & Ecclesia sponsæ. Hæc conclusio est communis in scholis, illam perpetuò docuit D. Augustinus, præsertim de bono coniugali, cap. 7. 15. 18. & 24. illam docet, & probat D. Thomas hic q. 49. art. 3. & cõmuniter omnes. Quod matrimonij indissolubilitas non oriatur præcisè à ratione sacramenti, præterquam quod communiter admittitur: sic probari potest, quia matrimonium qua sacramentum est, nihil habet indelebile; ergo secundum hanc rationem non est indissolubile, sed dissolubile, & repetibile. Consequentia constat quia ideo sacramentum Pœnitentiæ est repetibile, ac proinde dissolubile, quia nihil habet indelebile; ergo si semel matrimonium qua sacramentum, nihil habet indelebile, per frequentatam repetitionem dissolui poterit, nouumque poni, &c. Antecedens ostenditur, nam matrimonium nec

charactarè producit, nec vinculum indissolubile; ergo nihil. Quod non producat charactem constat ex Florentino, & Tridentino, vt aduertimus de Sacramentis in genere. Quod neque vinculum indissolubile, patet, quia vinculum matrimonij rati, & consumati, sunt eiusdem rationis, imò est idem prorsus numero, & tamen vinculum matrimonij rati est dissolubile, vt postea dicetur. Tum quia matrimonium ratum, & consumatũ qua sacramenta sunt, sunt eiusdem speciei; ergo solubilitas vnus, & indissolubilitas alterius à ratione sacramenti oriri non potest. Quod autem omnimoda indissolubilitas, & aliqualis, oriatur à ratione significationis, ostendo: Supponenda tamen prius duplicem, annexam habere, hoc sacramentum, significationem: vna est significare realem unionem diuinæ naturæ cum humana; altera est, significare unionem affectiuam per amorem, & charitatem Christi sponsi, & Ecclesiæ sponsæ. Prima vnio verbi cum natura

ra humana est omnino indissolubilis; quia quod Deus semel assumpsit, nunquam dimisit, nec dimittet, & hæc significatur per matrimonium consumatum, quia solum per matrimonium consumatum fiunt coniuges realiter vna caro, vt habetur cap. 2. de conuersat. coniug. & cap. lex. 27. q. 2. & cap. Agathosa, 27. q. 3. cap. Martinus, de cognat. spiritua. Matrimonium ergo consumatum est omnino indissolubile ratione huius significationis, quia nimirum significat veram, & realem vnionem, & vt ita dicam consumatam, per Incarnationis mysterium factam; Verbum namque diuinum carnē assumendo verè, & realiter factū est vna caro, cum natura humana. Secunda vnio affectiua per amorē scilicet, & charitatē inter Christum, & Ecclesiam dupliciter considerari potest: primò respectu totius Ecclesiæ, & hoc modo indissolubilis est; & significatur etiā per matrimonium consumatum. Secundò potest considerari, respectu singulorū membrorum Ecclesiæ, & hoc modo

nulli

dissolubilis est per peccatum mortale, & hæc significatur per matrimonium ratū, quod proinde dissolubile est. Ex quibus habetur omnimoda matrimonij consumati indissolubilitas, & aliqualis, sed non omnimoda matrimonij rati indissolubilitas. His explicatis probatur conclusio. Nam matrimonium cōsumatum omnino indissolubile est, vt patet ex illo Matt. 19. quod Deus coniunxit homo non separet. & 1. Cor. 7. His qui matrimonio coniuncti sunt precipio non ego sed Dominus, uxorem à viro non discedere. & Rom. 7. Mulier viuente viro alligata est legi, indissolubilitatis scilicet matrimonij; & ex alia parte matrimonium ratū dissolubile est, vt ex dicendis patebit; Atqui indissolubilitas illius omnimoda, & aliqualis istius non aliunde oriri potest quam ex dictis significationibus; ergo &c. Confirmatur quia defunctæ maritus post matrimonij cōsumationem, in aliam ducatur, fit bigamus, vt omnes tradunt, quia fit carnis diuisio, quæ in Ordine esse nequit, vbi signi-

X      ficatur

ficatur vnio vnus Christi, cū Ecclesia vna : si vero vxor moriatur ante matrimonium consumatum, & maritus superstes aliam ducat, bigamiā non contrahit, quia non fit carnis diuisio; nec tollitur significatio vnus sponsi Christi, cum vna sponsa Ecclesia, nec realis duarum naturarū vnio, diuinæ scilicet, & humanæ, in vno Christi supposito; ergo signum est totam vnus indissolubilitatem oriri ex significatione, non alterius; matrimonium namque consumatū vnionem Christi cum Ecclesia in vna carne significat, nō ratum, alioqui sicut ex vno matrimonio rato, & consumato altero, bigamia non contrahitur; ita neque ex duplici consumato contraheretur.

28 Sed quæres primò, an matrimonium consumatum possit per Pontificiam dispensationē dissolui? Aliqui Canonistæ apud Couar. 4. decret. 2. p. c. 7. §. 4. nu. 15. partem tulerunt affirmatiuam, ex valde graui, & urgente nimis causa; Vnde Henrici VIII. Regis Angliæ tempore aliquæ de hoc exierunt scripturæ, &

Henriquez lib. 1. c. 2. num. 3. refert D. Antoninum dicentē Martinum V. & Eugeniū IV. dispensasse in matrimonio consumato. Sed quidquid de hoc sit, omnino tenendum est Pontificē nullo modo dispensare posse in matrimonio consumato, ita tenet constans Theologorum omnium sententia, vt rectè probat Bellam. lib. 1. cap. 15. 16. & 17. vbi contra hæreticos matrimonij consumati omnimodā probat indissolubilitatem, & patet ex dictis; cum enim significet omnimodam vnionis Verbi diuini cum humanitate indissolubilitatem, debet ratione huius significationis, esse indissolubile.

29 Quæres secundò, an matrimonium ratum, sit Pontificia potestate dissolubile? Negant plures apud Sâchez lib. 2. disput. 14. quibus adde Pontium lib. 6. cap. 3. & Marratium Iesuitam hic disput. 6. sect. 7. Sed contraria sententia est omnino sustinenda, & ita practicatur à Pontificibus, & practicata fuit, vt testatur Caietanus to. 1. opusc. tract. 28. à Pontificibus qui ante illum

illum fuerunt. Et Nauar. in addit. ad manuale testatur Pium V. tum sanctitate, tum doctrina celebrem, ter, vel quater dispensasse. Et Henriquez de matrim. c. 8. §. 11. testatur Gregorium XIII. die vna cum 11 dispensasse, & apertè colligitur ex cap. *fin. de spons. duor.* Quod facere solent Pontifices, vel pro pace seruanda, vel pro odio tollendo, vel pro inimicitijs impediendis, vel tollendis, vel propter lepram superuenientem, vel vt vir promoueatur ad Episcopatum, vel vt quis permaneat in secundo matrimonio consummato. Ratio est, quia matrimonium ratum nõ habet annexam illam indispensablem significationem, nec de eo Christi Domini præceptũ. Matt. 19. & 1. Cor. 7. est fulminatum, sed solum de matrimonio consummato, vt docent communiter Theologi, & Canonistæ, & eo ipso quod Pontifices sanctissimi, & doctissimi id fecerunt, credere debemus, Christi Domini præceptum de solo consummato procedere, & illis fides exhibenda est, cap. *hac est fi-*

*des, 24. q. 1. & docet Innoc. in cap. quod suscepti muneris, de foro compet. & Nauar. in cap. nouit, de iudic. & in cap. fin. de simon.* Vnde mat imonium ratum indissolubile dicitur, quia non potest mutuo contrahentium consensu dissolui, & ea facilitate, qua ceteri dissoluuntur contractus, non tamen per ordinem ad Pontificiam potestatem, quã Christus Dominus Vicario suo contulit plenariam ad ea quæ bono Ecclesiæ regimini sunt necessaria, qualis est ista dispensatio, quæ sæpè expedire potest fidelium bono, & vt maxima tollantur inconuenientia. Tum quia matrimonium ratum, per solemnè, in approbata religione, professionem omnino tollitur; ergo etiam per Pontificiam potestatem tolli potest. Si enim Pontifex, vt probabilis tenet sententia, de qua suo loco, potest in voto solemnè dispensare, à fortiori dispensare poterit in matrimonio rato, cū votum solemnè, ratum tollat matrimonium: *qui enim vincit vincet te, à fortiori vincet te.*



30 Sed petes, an etiam Episcopus possit in aliquo casu raro, in quo necessitas vrget, vt si corporale, vel spirituale immineat periculum, absque vlla remedij spe, & aliunde accessus ad Pontificē sit tardus, & rarus, imò & difficilis vt est modo propter pestis periculum, & periculum in mora, sit manifestum; in matrimonio rato dispensare? Affirmatiuè respondet Baunius to. 1. tract. 12. q. 5. quod probat ex doctrina Sanchez de matrim. lib. 1. disput. 61. Barbof. de potest. Episc. p. 2. allegat. 33. & aliorum, qui dicunt, Episcopum in sua Diœcesi posse totum id quod potest Papa, nisi ab eo prohibeatur; ergo cum hanc dispensationem facere possit Papa, poterit etiam illam facere Episcopus, cum nullibi hoc sibi prohibeatur, sed contrarium est verius, cum hoc Pontifici competat ratione plenissimè potestatis sibi à Christo Domino concessæ. Vnde Bauni argumentū falsum est absolutè, verum de ijs quæ sibi competunt ratione puræ iurisdictionis. Falsum est ab-

solutè, quia in omnium sententia non currit de ijs quæ Pontifici à Christo Domino specialiter commissa sunt. Vnde potest Pontifex concedere facultatem simplici Sacerdoti conferendi Ordines etiam sacros, non tamen Episcopus, qui hanc facultatem facere non potest, neque quoad minorum ordinum collationem, vt in tract. de Ordine diximus.

31 Tum quia, nemo in generali concessione concedere censetur, quod specialiter interpellatus non concederet; atqui sic faceret Pontifex, tum quia res grauissima est, & ardua, tum quia, de tali potestate Pontificia plures dubitant doctores, posset tamen Pontifex suæ potestatis facere, si vellet, alteri delegationem. Adde non verum dicere Baunium, dum dicit hanc facultatem nullibi esse Episcopis prohibitam; nam prohibetur cap. *ex litteris*, de sponsal. & cap. *licet*, titulo eodem. An autem Pontifex possit legem ferre vniuersalè, qua statuat omnia matrimonia rata dissolui per subsequens

quens matrimonium consumatum? Respondetur negatiuè cum Sanchez supra, quia accepit Pontifex hanc potestatem à Domino in ædificationem, non in destructionem, esset autem in destructionem, si talem posset condere legem, quia multi in grauem matrimonij, coniugisque iniuriam, vt primū ratum destruerent matrimonium, secundū iniurent, & consumarent. Puto tamen Pontificem hanc posse facere dispensationem non solum cum Principibus, verū etiam cum alijs, licet cū istis maior dispensandi causa requiratur, cum in illis, etiam ipsius granditas conditionis, causam faciat facillioris dispensationis.

32 Quæres tertio, an matrimonium infidelium consumatum vno se ad fidem conuertente sit dissolubile? Conueniunt, Catholici, quod non, ex hoc enim præcisè, quod alter infidelium ad fidem conuertitur, licet ius acquirat ad illius dissolutionem pro sequentibus casibus. Ita planè colligitur ex Apost. 1. Cor. 7. vbi dicit: *Si quis frater vxo-*

*rem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo non dimittat illam.* Alioqui deterrerentur infideles, ne conuerterentur ad fidem, si eo ipso, eorum matrimonium nullum esset. Casus autem in quibus illud matrimonium resolui potest ex Christi Domini dispensatione, vt colligitur ex citato Apostoli loco, & ex cap. *si qua mulier*, sunt tres: Primus est, si infidelis nolit habitare cum fidele, sed discedere velit. Secundus si infidelis nolit cum fidele habitare, nisi cum creatoris iniuria. Tertius, si infidelis nolit cum fidele habitare nisi pertrahendo ipsum ad peccatum mortale. Ob istos casus concessit Christus D. priuilegium fidele, in fidei Christianæ fauorem, vt matrimonium dissoluat. Aduerte tamen, quod licet infidelis conuersus, non teneatur in casibus prædictis cum infidele habitare, non tamen ex hoc præcisè, quod non velit habitare, vel non habitet, matrimonij vinculum dissoluitur, sed ad hoc vt dissoluatur aliud matrimonium ex

parte

parte fidelis poni debet. Dixi aliud matrimonium, quia si fidelis religionem ingrederetur approbatam, non ideo matrimonium dissolueretur, quia privilegium Christi, quoad matrimonij dissolutionem solum concessum est in ordine ad aliud matrimonium, ut ex Apost. citato loco colligitur, licet oppositum sua non careat probabilitate.

33 Quæres quartò, an Summus Pontifex dispensare possit in matrimonio infidelium consumato, dum ambo baptizantur? Affirmatiuè respondet Sanchez lib. 2. disput. 17 post Nauar. Et ratio illius est, quia matrimonium ratum fidelium est magis indissolubile, quam sit consummatum infidelium, sed potest Pontifex dispensare in illo, ergo etiam in isto. Sed hæc doctrina mihi difficilis videtur. Nam vel Pontifex hanc facere potest dispensationem antequam illi infideles baptizentur; & hoc non, quia Pon-

tificis potestas ad eos qui foris sunt non extenditur, iuxta illud Apost. quid mihi cum his, qui foris sunt? vel postquam baptizati sunt, & neque tunc, in sententia Sanchez, de qua supra, qui putat, quod infidelium matrimonium fiat sacramentum, eo ipso quod baptizantur, in sacramento autem matrimonij consummati, nemo dispensat, nec dispensare potest ut & ipse Sanchez admittit. Talis dispensatio facilius admitti posset in sententia nostra de qua supra, qui putamus infidelium matrimonium per Baptismum non fieri sacramentum, sed manere in ratione contractus naturalis, qui à Pontifice solui potest, quando in subditis reperitur, cum ut supra docuimus, matrimonium etiam consummatum, quando non est sacramentum, sed purus contractus naturalis dissolui possit, vel à Deo, vel à potestate humana, præsertim Pontificia.

## Q V A E S T I O V.

*An matrimonium ratum per religionis professionem dissoluatur; ubi alia sciri digna resoluuntur.*

34 **C**atholica veritas sequenti explicatur conclusione. *Matrimonium ratum per solemnem in approbata religione professionem, dirimitur, siue ambo coniuges profiteantur, siue alter tantum.* Hæc conclusio est de fide, vt constat ex Tridentino sess. 24. Can. 6. vbi dicitur: *Si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius coniugis, non dirimi; anathema sit.* Et sic coniux manens in sæculo, facta ab altero solemnem professionem, potest ad secundas nuptias transire: eadem conclusio habetur c. *desponsatam*, 27. q. 2. cap. *decreta legalia* 28. q. 2. & cap. *ex publico*, de conuersat. coniug. & etiam cap. *ex parte tua*, eodem titulo. In cuius confirmationem adducunt aliqui factum D. Ioannis Euangeli-

stæ, qui à nuptijs vocatus fuit ad Apostolatam, vt tradit Beda in præmio in D. Ioannē, & alij ex alijs auctoribus, licet Baronius ad annum 31. Christi D. oppositum probet, & teneat. Possunt adduci plura exempla in huius rei confirmationem, quæ certiora sūt, vt sanctæ Theclæ apud S. Epiphaniū hæresi 78 apud D. Augustinum lib. 30. contra Faustum cap. 4. S. Macharij apud D. Hieronymum in eius vita. Duorum militum apud D. Augustinum lib. 8. confessionum cap. 6. Propterea cap. *ex parte* cap. *ex publico*, & cap. *verum* de conuers. coniugator. Dantur duo menses coniugibus ad deliberandū vtrum ingredi velint religionem, quo tempore cogi non possunt ad reddendum debitum, nam licet per matrimonium sibi mortuo, tradant corporū iura,

iura, tamen quia contrahere censentur iuxta ius commune ita determinans, propterea ante id tempus, ad talem debiti redditionem cogi non possunt; illis tamen elapsis cogi possunt.

35 Probatur cōclusio ratio ne ex dictis supra, quia scripturæ loca, & Patrum testimonia, quæ matrimonij adstruunt indissolubilitatem, de solo matrimonio consumato intelliguntur, & satis clare id colligitur ex Christi verbis Matt. 19. vbi hanc adstruit indissolubilitatem, dicit enim *erunt duo in carne una*: vbi duo ponderanda veniunt: vnum est, quod non dicit *sunt duo in carne una*: Sed erunt de futuro, vt daret intelligi, non eo ipso quod matrimonium peragitur, omnimodam habere indissolubilitatem, sed quando consumatur, quod illud *erunt* denotat: alterum est, quod dicit *erunt duo in carne una*, nam per matrimonium ratum licet fiat mutua corporū traditio, & animorum vnitas, non tamen fit vnitas carnis, nisi per seminis commixtionem.

Dixi solui matrimonium per solemnem professionem in religione approbata: vt excludantur Patres societatis quoad vota simplicia coadiutorum formatorum, & non formatorum; vt excludantur aliquæ religiones tertiariæ, & militarium, quæ solemnem non faciunt professionem, vti sunt æquites Alcantaræ; Calatrauæ, &c. Milites autem S. Ioannis Ierosolimitani, cum veram, & solemnem faciant professionem, per illam matrimonium ratum dissoluetur.

36 Sed quæres primò, quo iure solemnis professio ratum soluat matrimonium? Prima sententia tenet Religiosam professionem solo Ecclesiastico iure, ratum matrimonium dissoluere: Ita Henricus Gandauensis quodlib. 5. q. 35. & alij aliqui. Secunda sententia dicit hoc privilegium habere solemnem professionem iure diuino posituo Christi D. Hanc sequitur Sanchez. lib. 2. disput. 19.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Solemnis in approbata religione pro-*

*professio iure diuino naturali  
 matrimonium ratum resoluit.*  
 Hæc conclusio est expressa  
 D. Thomæ sententia qu. 91.  
 art. 2. in corpore, vbi habet:  
*ante carnalem copulam est in-  
 ter coniuges tantum spirituale  
 vinculum, sed postea etiam  
 inter eos vinculum carnale; &  
 ideo sicut post carnalem copu-  
 lam matrimonium soluitur per  
 mortem carnalem, ita per in-  
 gressum religionis, vinculum  
 quod est ante carnalem copu-  
 lam soluitur: quia religio est  
 quadam mors spiritualis, qua  
 aliquis sæculo moriens, vivit  
 Deo.* Vbi vt vides, refundit  
 Angelicus matrimonij rati  
 resolutionem, in professio-  
 nem, non in aliquod positiuū  
 præceptum, siue diuinum, si-  
 ue humanum, ac proinde na-  
 turaliter professio, matrimo-  
 nium ratum soluit, eius sup-  
 posita institutione, quod est  
 illud soluere iure diuino na-  
 turali. D. Thomam sequun-  
 tur innumeri vt Ricardus, &  
 Durandus dist. 27. Paludanus  
 ibidem, Bellarm. lib. 2. de mo-  
 nachis cap. 38. & alij plures  
 quos pro nostra sententia ci-

tat Sanchez, cum pro sua no-  
 minem citer.  
 37 Probatur primò con-  
 clusio ratione desumpta ex  
 citato D. Thomæ testimonio.  
 Mors naturalis, consummatum  
 naturaliter soluit matrimo-  
 nium; ergo etiam solemnium  
 votorum professio cum sit  
 mors quædam ciuilis suapte  
 natura soluere debet, ratum;  
 Antecedens constat. Con-  
 sequentia probatur; quia non  
 minus est potens mors natu-  
 ralis respectu matrimonij cō-  
 summati, quam sit totalis, &  
 absoluta mors ciuilis respec-  
 tu matrimonij rati, sed illa  
 mors naturalis naturaliter  
 matrimonium soluit consu-  
 matū; ergo hæc ciuilis, suam  
 debet facere solutionē. An-  
 tecedēs ostenditur, quia idē  
 mors naturalis matrimonium  
 soluit consummatum, cum ta-  
 men secundum se sit adeo fir-  
 mum, quia per illam alter  
 coniugum ab alterius aufertur  
 potestate, & iurisdictione,  
 & ad alterum rerum ordinem  
 transit, vnde si postea resur-  
 gat, non tenetur, nec potest  
 cum superstite coniuge co-  
 Y habi-

habitare matrimonialiter, nisi nouum fiat matrimonium; sed etiam per solemnem professionem alter cōiugum ab alterius aufertur potestate, cū ponatur sub potestate Dei, & Religionis, & in altero ponatur rerum ordine; ergo. Sed dices, solemnis professio, non destruit vinculum matrimonij consumati; quando alter coniugum seruatis seruandis in religionem ingreditur; unde si egrediretur potestate Pontificis, posset sine nouo matrimonio, cum altero uxoraliter habitare; ergo neque solemnis professio, matrimonium ratum naturaliter destruet. Deinde si matrimonium ratum esset impossibile cum professione solemnibus, deberet etiam esse impossibile matrimonium consumatum, cum sit eadē vtriusque ratio. Tum quia si esset impossibile, vel hoc esset ratione traditionis qua professus per vota solemnia se tradit Deo, & hoc non, quia ex hac traditione solum sequitur religionis obligatio, quæ compatibilis est cum

obligatione iustitiæ qua se tradidit vxori. Vel hoc esset ratione traditionis, qua se tradidit Religioni, & neque hoc, quia hæc traditio obligationem inducit obedientiæ, quæ iustitiæ obligationem compati potest. Deinde si semel aliqua esset incōpatibilitas, potius deberet matrimonium soluere professionē, seu impedire ne sequatur, & illam dirimere, quam quod professio, soluat matrimonium, & dirimat. Nā contra est, quia ideo Religiosa professio naturaliter, eius supposita institutione, matrimonium non soluit cōsumatum, & ratum soluit, quia hoc solubile est, non illud; si namq; semel solubile esset solueretur; cum enim professio ex sui natura totalē faciat sui Deo, & Religioni traditionem, naturaliter, quamlibet aliā priorē, soluere debet, & quamlibet dirimere posteriorem, dūmodo illa prior solubilis sit. Vnde patet differētia, quare matrimonium ratū non cōpatiatur cū professione solemnibus, bene consumatum, quia hoc diuersum

sum specie habet vinculum, indissolubile scilicet absolute, & dissolubile solum per mortem naturalem, illud vero habet vinculum alterius speciei, dissolubile nimirum non solum per mortem naturalem, verum etiam per civilem. Deinde contra id quod dicitur, quod impossibilitas inter professionem, & matrimonium ratum non oriatur ex traditione facta Deo, & Religioni, quia illa ex religione est, hæc ex obedientiæ voto, quæ non pugnant cum traditione iustitiæ, quæ fit uxori, sic arguo: nam dominium, quod quis tradit uxori per matrimonium ratum, imò & per consumatum, nisi hoc aliunde ex significatione, aliâ haberet indissolubilitatem, non est tantum, quin possit per solemnem professionem in Deum, & Religionem transferri; ergo. Antecedens ostenditur, nam matrimonij dominium, non est omnino vniuersale, & absolutum, sed solum in ordine ad honestam proles generationem; at vero dominium, quod de nobismet ipsis, per Religiosam professionem

Deo, & Religioni datur, est vniuersalius & fortius: vniuersalius, quia non solum priuamur corporis dominio per votum castitatis, verum etiã mentis, per votum obedientiæ, & priuamur dominio rerum externarum, per votum paupertatis; non sic dominium quod confert coniugii coniugem, cum per illud priuetur dominio solius corporis, in ordine solum ad honestam proles generationem. Est fortius, ac proinde soluens matrimonium ratum, tũ quia est ex virtute superiori, quæ continet inferioris virtutem; nã promissio facta Deo, vinculum maius est, quam promissio facta homini, licet promissio homini facta iustitiam inuoluat, & illa quæ fit Deo, solam religionem; concurrentibus tãque istis duabus promissionibus, illa quæ fit Deo, vincit illam, quæ fit homini; vt enim dicebant Apostoli *expedit magis obedire Deo, quã hominibus*. Tum etiam quia, etiam in Religiosa professione iustitiæ obligatio intercedit; nam per vota solemnia se obligat Religiosus Reli-



gioni ad illi inferuendum secundum Regulæ præscriptū, & Religio obligatur ad præstandum Religioso alimenta, & omnia necessaria, secundū eiusdem regulæ obseruantia.

38. Probatur secundò elegantè D. Thomæ testimonio loco supra citato ad primum, vbi sic habet; *ante carnalem copulam non est omnino translatum corpus vnus sub potestate alterius, sed sub conditione, nisi interea alter coniugum ad frugem melioris vite conuolat; sed per carnalem copulam completur dicta translatio, quia tunc intrat vterq; in corporalem possessionem sibi tradita potestatis. Vnde etiam ante carnalem copulam, non statim tenentur reddere debitum post matrimonium contractum per verba de presenti, sed datur ei tempus duorum mensium propter tria. Primo vt interim possit deliberare de transeundo ad religionem. Secundò, vt præparentur, quæ sunt necessaria ad solemnitatem nuptiarum. Tertiò ne vilem habeat maritus datam, quam non suspirauit dilatare. In quo testimonio multæ, & efficacissimæ con-*

tinentur rationes pro D. Thomæ, & nostra conclusione. Prima quia dominium, quod per ratum matrimoniū transfertur, non est completum, & perfectum, sed vt ita dicam viable, quod postea completur, & perficitur per copulam, est veluti dominium ad rem, non in re; assimilatur dominio illi, quod acquirit emptor in rem emptam, traditione non sequuta, quod per aliam venditionem, translatione rei facta, seu facta traditione dissolvitur. Secunda, quia per matrimoniū ratum nõ transfertur dominium absolutè, sed sub conditione, cum naturæ iure vnusquisq; quandiu fortissimo non ligatur vinculo, censentur semper & intentionem, & potestatem habere, meliorem eligendi vitam, & statum. Tertia, quia ob hoc Ecclesia statuit duorum mensium tempus, in quo coniugū nullus, tenetur reddere debitum; si enim solemnitis natura professionis, tantæ non esset efficacitatis, vt non posset suapte natura, ratū annullare matrimonium, nõ ita faciliter illud tempus constitisset

tuisset Ecclesia ; ad delibendum de religionis ingressu , statuendo quod coniugati non teneantur sibi mutuum reddere debitum . Soluuntur argumenta in oppositum .

39 Primum argumentum est, quia matrimonium ratum est indissolubile; ergo non potest ex natura rei per solemnem Religionis professionem dissolui. Consequentia ostenditur: nam si matrimonium ratum, per simplicem dissolueretur fornicationem nemo diceret esse indissolubile; ergo si semel per solemnem dissoluitur professionem, indissolubile dici non poterit? Respondetur matrimonium ratum esse quidem, & dici indissolubile, non absoluta, & omnimoda indissolubilitate, sed aliquali, nam ut est naturalis contractus non perfectus, non consumatus, facilem habet solutionem, prout adiunctam habet significationem, etiam solui potest, cum illius significatio sit signare mutuam dilectionem inter Christum Dominum, & Ecclesiam membra, quæ per lethale peccatū

tollitur potest: certè ridiculum esse videtur dicere, quod maiorem vim habeat peccatum mortale ad dissoluendum rem significatam, nempe unionem amoris, inter Christum, & Ecclesiam membra; quam habeat professionis vinculum ad tollendam ipsam significationem. Nec illud quod dicit Sanchez de fornicatione ad rem videtur, cum aliud sit matrimonij rati dissolutionem professionis vinculo tribuere, quam fornicationi, cum hæc nullum afferat vinculum superius, imò nullum, ut facit Religiosa professio, imò hinc fortissimum desumere possumus argumentum contra illud auctorem, nam si fornicatio dat ius separationis à toro in matrimonio consumato, multo magis dabit ius separationis vinculi matrimonij rati; Religiosa professio, cum ferè sit tantæ indissolubilitatis separatio à toro in matrimonio consumato, quantæ est separatio vinculi, in matrimonio rato; ergo si fornicatio habet vim ponendi separationem à toro in matrimonio consumato; religiosa professio vim habe-

habebit, totalem ponendi separationem, in matrimonio rato,

40. Secundum Sanchez argumentum. Votum solenne, attentæ rei natura, est nullum, quando post matrimonium ratum emittitur; ergo si tenet, & matrimonium ratum dissolvit; solum erit ex Christi D. privilegio, Religiosæ professioni adiuncto. Antecedens probat, quia iure naturæ, res vni tradita, alteri tradi non potest, & si tradatur, traditio nulla est, ergo cum per matrimonium ratum mutua fiat corporum traditio, naturæ iure non poterit eorundem corporum traditio fieri Deo, & religioni? Respondetur ex D. Thoma in testimonio supra allegato, quod *ante carnalem copulam non est omnino translatum corpus, sed sub conditione &c. sed per carnalem copulam completur dicta translatio, & sic per D. Thom. dum fit aliquis corporum translatio in matrimonio rato, relinquitur locus ut rescindi possit, ut fiat totalis, & adequata translatio Deo, & Religioni per*

solemnium votorum emissionem. Imo dato, quod totalis fieret corporum translatio, adhuc naturæ iure rescinderetur, per translationem factam ipsi naturæ auctori, supposita huius translationis institutione; secundum namque naturæ intentionem est, quod vinculum inferius per superius destruat, præsertim quando tale superius vinculum est ipsi naturæ auctori factum; certè natura magis inclinatur ad manutenendam translationem suo auctori factam, quam factam creaturæ.

41. Tertium argumentum Religiosa professio, non dissolvit alios contractus, minus obligantes, quam matrimonium ratum; ergo neque ipsum ratum dissolvit matrimonium. Consequentia tenet ex rationis paritate; Antecedens ostenditur, nam tenetur professus solvere debita in sæculo contracta; tenetur venditionem factam sustinere, &c. Respondetur concedendo Antecedens, & negando Consequentiam. Ratio discriminis est, quia alij contractus religionis vinculo non

non repugnant; at vero corporis traditio facta vxori repugnat cum traditione facta Deo, & Religioni, vt ex dictis liquet.

42 Quartum argumentū; quia vota simplicia societatis sunt mors spiritualis, cum per illa emittens verus fiat Religiosus, & sæculo moriatur, & tamen ex natura rei ratum non resoluunt matrimonium; ergo neque id faciet Religiosa professio, etiā si sit mors spiritualis? Respondetur magnam esse differentiam inter mortem spiritualem, quam vota faciunt simplicia, & illam quam faciunt vota solemnia. Illa enim iuris positiuū est, hæc iuris naturæ. Iesuitæ sunt veri Religiosi per vota simplicia, sed iuris positiuū; Qui solemniter profitentur sunt veri Religiosi, sed iuris naturæ, facta Religiosi status institutione, & Ecclesiæ approbatione. Vota simplicia non faciunt omnimodam sui translationem in Deum, & in Religionem, cum dimitti possint vouentes, & dimittantur, & exeant. At vero vo-

ta solemnia totalem faciunt sui translationem in Deum, & in Religionē, taliter quod nec dimitti, nec exire possint vouentes. Per vota simplicia, homo corporis vsu priuatur, in ordine ad tales, vel tales actus, non corporis Dominio; at per vota solemnia priuatur homo etiam corporis dominio, vt non sit amplius suus, sed Dei, sed Religionis. Propterea dicitur, quod per vota simplicia offert homo Deo arboris fructus, arbore sibi retenta; at vero per vota solemnia offert homo Deo & fructus, & arborem ipsam, nihil sibi retinendo.

43 Sed quæres primò, an matrimonium ratum dissoluatur per Ordinis sacri, vel etiam Episcopatus susceptionem? Respondetur negatiuè, quia licet sacro insignitus Ordine speciali modo Deo dicatur, & Episcopus teneatur esse perfectus, non tamen per Ordinem sacrum, & Episcopatū fit sui in Deum vel in Religionem translatio, & sic non est per quod fiat matrimonij rati resolutio.

Quæ-

1144 Quæres secundo, quâ-  
do nam censeatur matrimo-  
nium consumatum, vt non  
dissoluetur per solemnem Re-  
ligionis professionem, nec  
pontificia dissolui possit au-  
toritate? Respondetur pri-  
mò non fieri matrimonij con-  
sumationem, si semen intra  
vas non recipiatur, consuma-  
tio enim vt docet D. Thomas  
supra non fit nisi per carnis  
commixtionem, quæ tunc tẽ-  
poris non fit. Vndè etiam si  
sponsus penetret vas sponsæ,  
si non seminat, matrimonium  
non consumat: non deberet  
tamen talis sponsus, sic suam  
desforans sponsam, ad reli-  
gionem admitti, præsertim si  
dolosè id fecit, secus si bona  
fide, vt quia ob debilitatem  
seminare non potuit, vel quia  
alius dum copulam haberet  
superuenit, & se ab illa re-  
traxit, vel quia sic à Deo in-  
spiratus, vt Religionem in-  
grediatur, se retraxit, & con-  
sumare noluit; tunc enim nul-  
la sponsæ irrogatur iniuria,  
cum iure vtatur suo, & bona  
fide processerit? Responde-  
tur secundo, quod si semen

aliqua arte intra vas recipia-  
tur sine sponsi penetratione,  
probabilius est, quod matri-  
monium consumetur, quia  
tunc vera fit carnis commix-  
tio, licet oppositum sua non  
careat probabilitate, quia  
tunc temporis talis commix-  
tio voluntaria non videatur,  
cum non fiat vasis penetra-  
tio cum fieri posset? Respon-  
detur tertio, probabilius esse,  
quod ad hoc, vt fiat matri-  
monij consumatio, quod suf-  
ficiat viri seminatio, cum hæc  
secundum Philosophos, ad  
generationem ponendâ suf-  
ficiat, cum velint contra me-  
dicos foeminam non actiue,  
sed passiuè solum ad genera-  
tionem concurrere; quia ta-  
men probabilis est medico-  
rum opinio, quod foemina  
actiue concurrat, vel si solum  
passiuè, eius tamen requira-  
tur semen, vt viri semen fo-  
ueat, vt conseruet, vt ma-  
teriam præbeat generationis,  
ideo probabile est non fieri  
matrimonij consumationem,  
nisi vtriusque coniugis sequa-  
tur seminatio. Videatur San-  
chez lib. 2. disput. 2 l. n. 11.

Q V A E S T I O VI.

*An copula intra bimestre vi extorta taliter matrimonium consumet, ut neutri sponso liceat sine alterius consensu ad religionem transire.*

45 **C**ertum est copulam quantalibet vi extortam matrimonium ratum consummare, cum per illam coniuges vna efficiantur caro, per seminum commixtionem. Certum etiam est, sponsum, vim sponsæ inferentem, non posse inuita sponsa ad religionem transire, cum & matrimonium consumatum sit, & iniuriam sponsæ intulerit, cum qua ad religionem accedere non valet. Vnde tota difficultas ad sponsam vim possam reuocatur, an nimirum possit viro violatore cōtradicante ad religionem transire. Sententiam affirmatiuam tenet Sanchez l. 2. disput. 22. num 6. vbi plures refert.

46 Nostra sententia sequenti explicatur cōclusionē.

*Sponsa, vi intra bimestre, oppressa, non potest oppressore marito inuito, ad religionem auolare.*

Pro hac cōclusionē plures affert idem Sanchez, quibus addo Basilium Pontium de matrim. cap. 10.

Probatur primo, quoniam iura omnia clamant neutri coniugi licere sine alterius consensu religionem ingredi, matrimonio consumato; ergo id non licet. Antecedens constat ex cap. *Ad Apostolicam*, ex cap. *quidam*, de conuers. coniugat. ex cap. *qui sunt* & cap. *Agatosa*, 27. q. 2. vbi etiam Iustiniani Lex reprobatur *C. de Episc. & Cler.* quæ facultatem omnibus dabat coniugatis sine vlla exceptione, vt ad vitam transire possent monachalem. Cōsequentiā tenet, quia vbi lex

non distinguit nec nos distinguere debemus, nisi turpitudosequatur: per quæ explosa manet Sanchezij responsio, quod iura intelligi debeant de matrimonio sine alterius iniuria cōsumato, nam si hæc responsio valeret, non bene Ecclesia Iustiniani legem irritasset, sed debuisset illam temperare, vt non procederet de illis coniugatis, qui ex mutuo consensu matrimoniū consumarunt, secus quando alterius intercessit iniuria, & secundum hoc Iustiniani lex adhuc in suo maneret robore. Vnde *cap. final. 55. distinc.* determinatur, non prodesse quod oculus violēter sit erutus, quominus eo orbatus sit irregularis; ita non proderit quod sponsa sit vi oppressa, vt ad Religionem auolare possit.

47 Probatursécundo, quia contingere potest, quod ex ea copula proles nascatur; non videtur autem conueniens in monasterio hoc fieri, nec ibi prolem educari; ergo. Respondet Sanchez hoc esse per accidens, & sic si proles matris ope non egeat ad sui

educationem, poterit eadem mater in monasterium ingredi. Nam contra est, quia non est per accidens, quod ex copula maritali proles sequatur, nec est per accidens, quod proles egeat matris ope, sed est per se, & solum oppositū (vt liquet) est per accidens, iura autem non attendunt ad id quod per accidens euenit, sed ad id quod per se; vnde absolute, & per se prohibitum erit consumato matrimonio etiam inuitè, quod sponsa iniuriam passa sine alterius consensu religionē ingrediatur.

48 Probatursertio, quia oblatio Deo facta de rebus alienis, oblatio non est, sed rapina, nec Deus acceptat illam, nisi offeratur saltem cum Domini cōsensu; sed per matrimoniū cōsumationem corpus vxoris fit perfectè viri, & e contra; ergo licet in illa corporis translatione aliqua intercesserit vxoris, v.g. iniuria, adhuc eius corpus nō est suum, sed mariti, ac proinde non poterit sine eiusdem mariti venia facere sui corporis donationem Deo,

&

& religioni, cum non suum, sed quod mariti est donet.

49 Primum argumentum pro prima sententia est, quia sponsus sponsæ grauem intulit iniuriam extorquendo copulam ante bimestre, quod sibi conceditur *cap. ex publico de conuers. coniugat.* nō enim solum iniuste petit, qui petit indebitum, verum etiam, qui petit ante tempus debitum. *§. plus autem*, instit. de actio. Ergo sponsa vim passa, per religionis ingressum poterit sibi iniuriam vindicare, alioqui si ingredi non posset sine violatoris licentia, dolus suo patrocineretur auctori, & posset per illum alterius bonum impedire, & tamen nec dolus suo debet patrocinari auctori, nec reus culpæ, debet ex ea commodum reportare, *cap. ad nostram*, de emption. & vendit. & *cap. tua*, de clericis non resident & *cap. fides*, de rescriptis. Nēc beneficiū iuris auferendum est à fœmina, quæ dissentit, *cap. indultus*, de reg. iur. in 6. ergo &c. Respondetur concedendo Antecedens, & negando consequentiam. Primò, quia

nullus, sine publica auctoritate, potest sibi illatam vindicare iniuriam; ergo etiam si fœmina vim passa, ante bimestre, grauem sit passa iniuriam, tamen non potest, priuata auctoritate, illam vindicare, priuando maritum sui corporis dominio, quod perfectè acquisiuit per matrimonij consumationem. Secundò, quia dato, quod talis iniuriæ vindicatio alias fieri posset, in casu tamen isto fieri non potest, contra iura oppositum statuentia. Vnde fœmina per matrimonij consumationem, etiam vi factam, ius omne amittit ad religionis ingressum. Nec reus culpæ incommodum ex ea reportat, sed ex lege sic statuentem. Nec delictum suo patrocinator auctori, sed hoc ex legis oritur dispositione, vt ex dictis liquet.

50 Secundum argumentum. Vxor potest virum deserere, & religionem intrare, propter viri hæresim, adulterium, &c. ergo etiam propter hanc iniuriam, cum non sit maior ratio de illis, quam de ista. Respondetur negan-



do consequentiam, quia pro illis habet vxor iura pro se clamantia, pro ista contra se; vnde nihil contra nos, sed de antecedenti suo loco. Ex quibus patet, quod si sponsa vi oppressa ante bimestre non potest sine viri consensu in religionem intrare, à fortiori non poterit si copula non vi, sed solo metu, etiam graui, extorta sit: hoc etiam est cōtra Sanchez vbi supra, patet tamen ex dictis.

51 Sed quæres primò, an peccet maritus, vi, vel metu graui copulam à propria extorquens vxore? Respondetur quod si id fiat bimestre transacto nullo modo peccat, si pacificè vxor consentire nolit, ad id namque maritus ius habet. Sed dices, quia nullus rem suam vi recuperare potest, sed debet iudicis implorare auxilium; ergo similiter maritus non poterit vi rem suam petere, sed debet iudicis auxilium implorare. Nam respondetur diuersam esse rationem, nam rei Dominus, licet dominium habeat rei suæ, & possit illam à fure repetere, non

tamen vim illi faciendo, nisi in furti continenti, secus quando fur iam in tuto rem posuit, quia in furem, rei Dominus ius non habet; sed in rem ipsam; At vero vxor est ipsa res mariti, supra quam habet potestatem ratione subiectionis, & sic potest illam propria apprehendere potestate, sicut potest Dominus rei, rem suam vbicunque est apprehendere; hinc oritur potestas mariti percutiendi, & puniendi vxorem delinquentem, moderate tamen, attenda etiam personæ conditione. Si vero maritus copulam ab vxore extorqueat vi, vel metu intra bimestre, mortaliter peccat, cum sit iuris sponsæ violator, & destructor; proinde ab externo foro puniri poterit.

52 Quæres secundò, an sponsa intra bimestre à sponso oppressa, possit semen expellere? Plura hic dicit Sanchez, quæ mihi falsa videntur. Primum est, quod foemina, quæ ab alio per vim opprimitur, in continenti potest semen expellere, quod duplici probat ratione. Prima

ma est, quia sicut Dominus potest in cōtinenti furem percutere, vt rem suam recuperet, & talis percussio defensa reputatur: ita defensa reputabitur cum statim ac semen acceptum est, expellitur, secus quando iam in tuto positum est, vt etiam de fure dicitur; tunc enim & furis percussio, & seminis expulsio intrinsecè mala est. Secunda est, quia foemina vim passa potest virile membrū semper extrahere, cum illius mansionem iatra pati non teneatur, etiam si ex tali extractione seminis extra vas sequatur effusio, ergo similiter poterit semen expellere quamdiu pacificam non obtinet possessionem. Secundum quod dicit Sanchez est, quod talem emissionem non possit facere sponsa vi intra bimistre à proprio sponso oppressa, quia iniuria est multo leuior, nec infamiam patitur, nec damnum est adeo graue. Tertium quod dicit est quod nec hoc facere possit sponsa solo graui metu oppressa, quia illa copula, & voluntaria fuit, & cum pec-

cato admissa. Sed hæc omnia vt dixi mihi falsa videntur; & quidem primum, quia turpissimum videtur semen effusum, & iam intra vas receptum expellere, non enim contra semen iusta potest esse defensio ipsum in continenti expellendo, cum semen nullum inuadat, nec inuadere possit, cum alium non habeat vsum, nisi in ordine ad generationem: habet quidē mulier ius defensionis contra virum inuadentem, sicut habet contra furem surripientem, non tamen talē ius habet contra semen, cum hoc nocens non censeatur, sed innocens; sicuti si fur aliquo vteretur innocente, ad rem surripieudā. Tum quia mulier per talem seminis receptionem iam copulam consumauit; ergo etiam si hoc cum aliqua iniuria factum sit semen tamen ipsum per quod talis facta est consumatio in continenti expelli non potest cum iam ad suum finem peruentum sit; Tum etiam quia nullum videtur motuum co-honestadi illam seminis eiectionem; cum enim sit intrinsecè

secè mala, sicuti mendacium odium Dei, &c. nulla circumstantia posita, honestari poterit, ita enim se habet feminis effusio, sicuti voluntaria pollutio, vnde sicuti hæc nunquam honestari potest, nec illa; & si semel illa posset honestari, quia inuadit, etiam voluntaria pollutio cohonestari poterit non solum quando semen mortuum, seu corruptum inuadit, verum etiam quando viuum, & prolificum est, dum est decisum, & in vasis reclusum, & hominem maximè sua mordacitate molestat. Puto tamen non peccare foeminam, si dum reluctatur, semen emitteret, cum hoc esset per accidens, & præter illius intentionem; similiter non peccabit si extrahendo virile (quod facere semper conari debet) pollutio extra vas sequatur, quia nec ipsa hoc intendit, nec per se ex sua sequitur actione, &c. Nec duo alia quæ dicit placent, quia licet vera sint, vt patet ex dictis, tamen non benè negantur à Sanchez supposito primo, nam quod minor sit iniuria hic, quam in

primo casu, nihil facit, si semel ratio illius bona est, quia defensionis ius non solù currit quando maxima est iniuria, verum etiam quando nõ est ita grandis, vt omnes tradunt.

53 Quæres tertio quorsum bimestre, cap. *ex publico*, de conuersat. coniugat. matrimonium contrahentibus cõcedatur? Respondetur ex D. Thoma q. 61. art. 2. ad 1. quod triplici ex capite. *Primo vt interim deliberare possint de transeundo ad religionem. Secundo vt præparentur quæ sunt necessaria ad solemnitatem nuptiarum. Tertio, ne vilem habeat maritus datam, quam non suspirauit dilatam.* Vnde duobus transactis mēsisibus si religionis non habeant deliberationem, cogi poterunt ad reddendum debitum.

54 Quæres quarto, an hoc bimestre possit à iudice prorogari, vel restringi? Respondetur hoc bimestre arbitrium esse, ideo à iudice, causa cognita prorogari, vel coarctari poterit, & ratio est, quia licet terminus à lege præ-

præscriptus seruari debeat, quando talis terminus absolute ponitur, & est veluti forma, & de rei essentia, tamen oppositum fieri potest quando iudicis ministerium debet interuenire; cum enim iudex non sit supra, sed sub lege, non potest terminum legis variare, nisi id sibi à lege concedatur, vt in nostro casu contingit. vt constat ex dicto capite *ex publico*. Non sic nouitiatus tempus, integrum namq; requirit annum, quia tale tempus vt forma præscribitur: quomodo autem computetur annus bisextilis, diximus de sacramento Ordinis, quod nimirum licet probabile sit diè additum non computari, oppositum tamen sit tenendum, cum Ecclesia annum præscribens, de anno currenti intelligatur; idem de duobus istis mensibus dicendum est, quod nimirum de mensibus currentibus intelligantur.

55 Quæres quintò, an si transacto bimestre nondum matrimonium est consummatum, liceat sponsis sine alterius venia in religionem intrare? Respondetur affirmatiuè, quia

licet peccare possint debitum non reddendo, tamen quando matrimonium non est consummatum licitum est ad religionem transire. Duorum namque mensium spatium datur non vt finiat tempus ingrediendi religionem, sed vt alterius habeat petendi debitum, & ne vterius matrimonij consummatio protrahatur,

56 Quæres sextò, quomodo probetur matrimonium non fuisse consummatum? Respondetur si sponsa ad sponsi domum traducta non fuit, & non constat simul habitasse, præsumi potest matrimonium non consummasse, vnde illis credendum est, si autem sponsa traducta est, vel cum sponso habitauit, vel vidua est, & tunc illis creditur iuramentum præstantibus, si vero virgo erat, per matronas visitari debet, vt de eius testentur integritate.

57 Quæres septimò, an quando vxor, viro consentiente, religionem ingreditur, & ipse etiã ingredi debeat, sufficiat quod D. Ioannis Ierosolymitani religionem ingrediatur?

diatur? Negat Sanchez lib. 7. disp. 32. quia licet eius religionis professio solemnitas sit, eius tamen religiosi in sæculo manent cum incontinentiæ periculo. Sed melior esse videtur Pötij opinio lib. 9. c. 12.

quod id fieri possit, quia textus ingressum requirunt religionis, & professionem solemnem, non autem solitudinem, vel ut ingrediens in loco maneat recluso. Vnde idem Pontius de praxi testatur.

# DISPUTATIO TERTIA

*De intentione, seu consensu ad matrimonium requisito, deque huius sacramenti ministro.*

**I**N magno matrimonij sacramento plura reperiuntur cōsideratione digna. Primò namque verba, vel signa reperiuntur; quibus contrahentes paciscantur, de mutua corporum traditione, quæ verba, ne euanida sint, debent internā exprimere intentionem, de tali mutua corporum traditione faciendā. Secundò mutuum corporum dominium, ad inuicem translatum. Tertiò radicalis quædam obligatio, de his, quæ ad prolis

pertinent procreationem. Quartò reperitur quoddam mutuum ius, ortum ex mutuo corporū dominio. Quintò reperitur etiam mutua proxima obligatio in his quæ ad prolis pertinent generationē. Vltimo reperitur vsus, seu copula coniugalis. Omnia hæc in matrimonij contractu reperiuntur, & primum est veluti aliorum causa; verba namque consensu informata, matrimonij contractum efficiūt, ex quo mutua corporum iura sequatur eorundemque corporum

porum translatio, veluti primarius eiusdem contractus effectus; hinc sequitur mutua obligatio radicalis ad ea, quae ad proles pertinent generationem; hinc proxima; hinc matrimonij vsus, &c. Quia ergo omnia ista ab interno

oriuntur consensu, ideo de illo cum D. Thoma q. 45. & infra sumus disputaturi, quia eo explicato cetera facile explicabuntur, licet ratione connexionis materiae aliqua etiam de alijs tangantur. Sit ergo.

## Q V A E S T I O I.

*An intentio, seu internus consensus sit causa efficiens matrimonij.*

Et vtrum sine illo possit matrimonium consistere.

**D**E matrimonio dupliciter loqui possumus vel vt est naturalis contractus. vel vt est sacramentum, & ad vtrunque consensus requiritur; vt contractus est, consensus requiritur, vt statuitur cap. *sufficiat* 27. q. 2. cap. *cum apud*, & cap. *tuae*, de sponsal. & cap. *tuas* de sponsa duorum, & *L. nuptias* ff. de regulis iuris, cum enim matrimonium contractus sit, & alij contractus non nisi medio perficiantur con-

sensu, cum contractus sit pactum quoddam, & pactum sit idem quod duorum, vel plurium placitum, seu consensus *l. 1. ff. de pactis, & instit. de empt. & vendit.* sequitur quod etiam matrimonium, vt contractus civilis est non nisi medio perfici possit consensu. Hoc idem probat D. Thomas tū Chrysostomi testimonio, dicentis, *matrimonium non facit coitus, sed voluntas*; tum ratione sequenti: *Vnus non accipit pote-*

statem in eo, quod est liberè alterius, nisi per eius consensum; sed per matrimonium accipit uterque coniugum potestatem in corpus alterius, ut patet 1. Cor. 7. cum prius uterque liberam potestatem sui corporis haberet; ergo consensus facit matrimonium. Similiter, ut matrimonium sacramentum est, consensum requirit, ut statuit Florentinum in decreto Eugenij, & patet ex dictis à nobis de sacram. in genere.

3 His positis. Sánchez lib. 2. disput. 25. duo dicit. Primum, quod consensus sit de essentia matrimonij & ut contractus, & ut sacramentum est. Secundum, quod sit causa efficiens matrimonij, prout matrimonium est cõiunctio maritalis. Ut meam exponam sententiam. Dico primò, *consensus non est de essentia matrimonij qua sacramentum est, sed solum est conditio sine qua non, ab ipso sacramento connotata.* patet ex dictis de sacramentis in genere. Nam sacramentum cum sit signum sensibile, debet habere partes componentes sensibiles, atqui consensus non est sic,

nisi ratione verborum, vel signorum externorum; ergo. Deinde si consensus pertineret essentialiter ad sacramentationem, vel pertineret, ut materia, vel ut forma; neutro modo pertinet, ergo. Maior constat, quia partes essentielles sũt solum materia, & forma. Ob id supra ex D. Thoma probauimus materiam & formam huius sacramenti, nõ esse consensum, sed esse verba consensum connotantia, seu, quod idem reddit, consensu informata. Minor ex supradictis constat.

4 Dico secundò, *consensus non est de essentia matrimonij qua contractus civilis est, sicut neque de aliorum contractuum essentia est,* patet ex modo dictis, si enim consensus nõ est de essentia matrimonij ut sacramentum est, neque erit ut contractus est, ratio namque contractus de essentia sacramenti est, cum sit illius materia, cui ex Christi Domini institutione vltima aduenit forma, quæ est significatio; vnde licet consensus omnino requiratur, non tamen ut pars componens, sed ut conditio requi-

requisita, & omnino supposita. Deinde quia contractus est quoddam pactum, homines autem non dicuntur pacisci per consensus internos, sed per verba, vel signa externa signantia, seu connotantia internos paciscentium consensus; ergo. Dico tertio *matrimonium ut est contractus naturalis, non est causa efficiens, sed materialis eiusdem, ut est sacramentum.* Res clara est, nam ut alibi diximus matrimonij sacramentū coalescit ex significatione tantquam ex forma, & ex contractu tanquam ex materia, id autem quod est rei causa materialis, & essentialis, non potest esse efficiens, cum hæc extrinseca sit, illa intrinseca. Dico quarto, *matrimonium, & prout est contractus, & prout est sacramentum est causa efficiens coniunctionis, seu vinculi inde sequuti & aliorum effectuum supra enumeratorum.* Hæc est plana D. Thomæ sententia loco citato in corpore, & colligitur apertè ex dictis.

§ Circa secundū in quæstionis titulo propositum. Di-

co primò, *matrimonium quæ ratione contractus civilis est, neque per diuinam potentiam, sine consensu poni potest;* cum enim de contractus ratione sit, quod liberè fiat, sequitur quod nisi consensus adfit, contractus civilis non erit; Tum quia matrimonium est contractus in quo fit mutua corporum traditio, non quomodocunque, sed per mutuam animorum coniunctionem; ergo. Dico secundo, *matrimonium prout est sacramentum per diuinam potentiam, poni potest sine contrahentium consensu:* vnde si qui matrimonium contrahant sine consensu, seu intentione sacramenti, imò cum intentione contraria adhuc Deus potest sacramentum facere, eleuando matrimoniale contractum in signum gratiæ practicum, & in signum vnionis Verbi cū natura humana, & Christi cum Ecclesia per charitatem. Dico tertio, *potest Deus sine viri, & mulieris consensu mutuam facere illorum corporum traditionem, ut scilicet vir potestate diuina*



ius habeat in corpus mulieris; & mulier in corpus viri sine alterutrius consensu, idē dico de vinculo inde sequuto, & de alijs effectibus supra in disputationis principio recensitis. Hæc conclusio est contra Sanchez disput. 16. qui cū putet matrimonium in vinculo consistere, vult non posse hoc vinculum à Deo per absolutam potentiam poni; alioqui matrimonium à Deo sine coniugatorum consensu poneretur; Probatur conclusio primò, quia vt tradunt Philosophi, Deus se solo facere potest quidquid facit medijs causis secundis, in puro causæ efficientis genere; atqui mutuam corporum traditionem, & vinculum corporum facit medijs causis secundis, in puro causæ efficientis genere; ergo illa se solo facere potest. Argumentum clarum est, non enim video quid causæ materialis, vel formalis in illorum causalitate inuoluatur, ratione cuius non possint illi effectus esse à solo Deo. Secundò, quia licet Deus nō possit se solo po-

nerere voti obligationem in aliquo, qua fiat totalis illius traditio Deo, & religioni, cum votū sit personalis obligatio, quam quis sibi imponit; tamen ipsam traditionem Deo, & religioni potest Deus se solo facere; cū enim Deus absolutum habeat nostrorum corporum dominium, potest illud in quem voluerit transferre. Tertiò, quia ideo coniuges possunt sibi inuicē sua corpora tradere, & se matrimoniali vinculo ligare, quia habēt suorum corporum dominium; atqui non minus, imò magis illud habet Deus; ergo, &c. Soluuntur argumenta in contrarium.

6 Primum argumentum est, quia de ratione matrimonij est, quod adsit mutua animorum coniunctio, sed hæc est consensuum unio; ergo sine cōsensu matrimonium esse non potest? Respondetur hoc argumentum nil aliud probare, nisi quod matrimonium qua ratione liberum affert contractum nequeat esse sine voluntatis consensu, non tamē probat, quod Deus

non

non possit mutuam facere corporum traditionem, & huic addere sacramenti ratione, & alios effectus, pro proli generatione, necessarios.

7 Secundum argumentū; quia matrimonium consistit in coniugatorum vinculo, atqui hoc vinculum à Deo solo poni non potest; ergo neque matrimonium. Minor probatur; nam vinculum matrimoniale est relatio realis, sed hæc poni nō potest in aliquo sine sua ratione fundādi, quæ est mutus contrahentium consensus; ergo? Respondetur hoc argumentum plura falsa continere. Primum, quod matrimonium in vinculo consistat matrimoniali, quod quam falsum sit supra ostendimus; cum matrimonium sit essentialiter contractus, non obligatio, seu vinculum ex contractu procedens. Secundum quod ratio proxima fundandi vinculi relationem; sit consensus, nam hæc ratio fundandi est mutua corporum traditio, non consensus interior, & sic, cum possit Deus se solo hanc mutuam facere traditionem ab

illa suapte natura vinculi resultabit relatio. Deinde falsum est vinculum matrimoniale esse relationem, cum sit mutua radicalis obligatio, correspondens mutuo corporum dominio, quo coniuges mutuo manent colligati, & obligati in ordine ad carnalem commixtionem; & sic cum Deus ob supremū quod habet dominium in homines, possit foeminae, tradere corporis viri dominium, in ordine ad carnalem commixtionem & e contra, poterit etiam ponere mutuam radicalem obligationem, quæ est vinculum quo coniuges mutuo manent obligati in ordine ad eādem carnalem commixtionem.

8 Sed quæres primò, an Deus aliquos in matrimonium coniunxerit sine illorum consensu? Affirmant aliqui aq̄d Sanchez loco cito, volunt enim Adam, & Euam à Deo immediatè in matrimonium fuisse coniunctos, quippe cum de illorum consensu nil in scriptura habeatur expressum: quod enim Adam exprefactus dixit:

Hoc

Hoc nunc os, ex ossibus meis. Prophetico spiritu dictū volunt sancti Patres, de Christo scilicet & Ecclesia. Similiter volunt hoc contigisse in Officij coniugio ex parte mulierum fornicariarum, quas Deus Officij tradidit sine illarum consensu. Sed probabilius videtur oppositū, quod defendit Soto dist. 27. q. 1. art. 2. & alij, quia non videtur conueniens, quod matrimonium Adæ, & Eux, quod erat primum, & exemplar omnium aliorum, sine eorum consensu factum fuerit: facilius admitti posset Officij matrimonium, sine mulierum illarum consensu, factum fuisse.

9 Quæres secundò, an Pōtifer summus, possit in aliquo casu contrahentium cōsensus supplere? Certum est non posse Pontificem supplere consensum pro matrimonio faciendo, qua ratione sacramentum est; cum non possit facere Pontifex, quod quis aliquod recipiat sacramentū, sine illius consensu; vt patet ex Florentino in Eugenij decreto. Vnde solum difficultas esse potest de matrimonio

qua contractus ciuilibis est, & quidem inter Catholicos vt si quis haberet quidem intentionem faciendi sacramentū, non tamen haberet consensum in contractum matrimoniale, an nimirum posset Ecclesia potestate absoluta supplere illum consensum, vt poni posset sacramentum, cum hoc sine illo non ponatur. Similiter si daretur casus, quo Ecclesia dominium haberet ciuile, in aliquo infidelium loco, in quo aliqui illorum, sine interno contrahunt consensu, an tunc Ecclesia ob potestatem quam haberet ciuilem in illos, posset statuere illorum matrimoniorum validitatem, supplente ipsa illorum consensuum defectum. Et videbitur alicui id fieri posse, sicut posset princeps secularis; vt enim patet in alijs contractibus, multoties princeps ex legitima causa supplet consensuum defectū, ita posset in hoc; ac proinde idem dicendum esset de Ecclesia. Certè si hoc princeps secularis infidelis facere potest, non est hoc Ecclesie denegandum, supposito quod iuris-

jurisdictionem haberet Ecclesia in illos infideles, & fortè expediret sic facere, quando instruerentur de consensuum positione; vel si sic contraherent, vt facile possent separari, vt enim matrimonium poneretur validum, & sine culpa, & cogi possent ad cohabitandum, & posset Ecclesia, vel etiam princeps supplere illorum consensum.

10 Quæres tertio, an possit quis cogi, vt in matrimo-

nium consentiat? Respondetur affirmatiuè quâdo id publico expediret bono, & hoc tum à principe sæculari; tum ab Ecclesia, quia licet Ecclesia potestatem non habeat directam in corpora, habet tamen indirectam; vnde cum tunc temporis Ecclesia, bonū, honestumque, & reipublicæ præciperet necessarium, sub mortalis reatu exequi deberet,

## Q V A E S T I O II.

*An matrimonium fieri debeat per consensum  
verbis expressum. Vbi alia curiosa  
resoluntur.*

11 **E**X dictis præcedenti quæstione patet, ad matrimonium, consensum requiri vtriusque contrahentis, vt definiuit Eugenius in suo fidei decreto, nec sufficit quod sit simplex quædã velleitas, sed debet esse actus voluntatis absolutus, & efficax vt significatur cap. *114* 26 de spõsibus; vnde nõ sufficit quod

ex quacunque procedat deliberatione, sed ex plena, & perfecta, & tali, quæ sufficeret ad peccatum mortale, cū enim ille consensus sit dominiij propriij corporis translatiuus, in ordine ad honestam proli generationem, & grauissimę inductiuus obligationis, perfectus esse debet. Vnde amentes, ebrij, dormientes,

res, & pueri, quandiu perfectum nō assequuntur rationis vsum, matrimonij cōtractum celebrare non possunt.

12. Patet etiam ex dictis, consensum internum debere esse signo aliquo externo manifestatum; Tum quia matrimonium contractus civilis est; Tum quia materia, & forma sacramenti, sensibilis esse debet. Difficultas solum est, an in his, qui loqui possunt, consensus per verba exprimi debeant, an signa, vel nutus sufficiant.

Prima sententia est quod in his qui loqui possunt, verba requirantur, nec sufficiant signa. Ita Ricardus dist. 27. art. 1. q. 1. Bartolus L. Nuptias. vnic. ff. de regul. iur. non iure naturæ, nec diuino, sed Ecclesiastico cap. tua. citato.

13. Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Non est necesse in his qui loqui possunt consensus exprimi per verba, sed sufficit quod per signa, vel nutus exprimantur.* Ita habetur in Eugenij decreto §. septimum sacram. vbi dicitur, quod causa illius efficiens sit consensus mutuus

*regulariter verbis expressus; Ly. enim regulariter, denotat posse etiam fieri sine verbis; & ratio est, quia id est necessarium ad matrimonij positionem, quod est necessarium ad contractum ponendum; Atqui contractus sine verbis poni potest; ergo nec c. sua, aliquid determinatur, sed solum dicitur, verba esse necessaria vt matrimonium clarius constet Ecclesiæ.*

14. Sed quæres primò, an peccent venialiter contra hentes suos non exprimentes consensus verbis, cum id fieri potest? Affirmat Sanchez lib. 2. disput. 31. & post illum Coninchus disput. 24. dub. 9. Sed melius negat Pontius lib. 2. c. 7. & ratio est, quia cū nulla sit iuris naturæ obligatio, nulla iuris diuini, nulla Ecclesiæ, vt & ipse Sanchez admittit, nullum debet esse peccatum, cum & contractus alij, ita perfici possint.

15. Quæres secundò, an sufficiat ad valorem matrimonij, quod parentes ipsi respondeant pro filijs præsentibus, & tacentibus? Respondetur quod quantum ad forum

rum pertinet externum matrimonium sic celebratum validum præsumitur. Ita colligunt Doctores ex cap. unico, de sponsalibus impuberum in 6. quia tunc currit regula, *qui tacet consentire videtur*. Quia tamen contingere potest, quod puella taceat, vel ob verecundiam, vel ex timore; si re vera, verum non habeat consensum, matrimonium in foro animæ nullum est; unde puto debere Parochum, puellæ, vel pueri consensum explorare ( quia solum pro istis licitum est alijs respondere ( vt statuit Tridentinum dum dicit. *sess. 24 cap. 1. de reform. ubi Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto &c. dixi, solum pro istis, nempe pro puella, & puero, licitum est alijs respondere, quia si semel responsum parentum est sufficiens ad reddendum sensibilem, & externum, consensum internum puellæ, & pueri, etiam sufficiet responsum Tutoris Curatoris, & cuiuscunque alterius, etiam si ad ipsum illorum cura non pertineat; imò*

puto extranei responsum pro puella, vel puero, facilius facere præsumptionē de consensu illorum si taceant, cum liberius istis respondere possint, quam parentibus, ob timorem, vel reuerentiam illorum. Igitur matrimonij cōtractus validè cōtrahitur non tantum verbis, verum, scriptura, signis, nutibus, & etiam taciturnitate ipsa, dummodo saltem per alterius responsum contrahentis consensus exprimat, licet præceptum, vel saltem consilium sit exquire ipsorum cōtrahentium, vt docet Tridentinum. Ad- dit Rebellus l. 2. q. 10. sect. 1. etiam validè contrahi subar- hatione, idest annuli tradi- tione, quia tunc puella an- nullum recipiens, & non con- tradicens; sufficienter per ta- lem liberam annuli receptio- nem, internum manifestat consensum. Aduerte tamen cum Diana de *jacram. resul. 294.* quod dato esse Concilij præceptum, quod Parochus contrahentes interroget de eorum consensu, non peccare mortaliter, sed solum ve- nialiter, si id non præster

quando aliunde sibi constat de contrahentium consensu.

16 Quæres tertio, an qui falso iudicat se esse inhabilem ad matrimonium contrahendum, possit sufficientem exprimere consensum ad illius valorem, & verum facere matrimonium? certum est secundum omnes, quod ille, qui putat taliter esse inhabilem vt conseruet formidinem de opposito, validum facere posse matrimonium, cum tunc possit sufficientem habere consensum de sui corporis traditione, si habilis est, vt formido dicat. Difficultas est, quando quis ita est certus in sua imaginatione licet alias errat, quod nullam habeat de opposito formidinem? Sanchez l. 2. disput. 22. dicit verum fieri matrimonium, quia potest habere consensum *se fortè possem*. Sed non video quomodo possit quis habere consensum efficacem, & absolutum, qualiter ad matrimonium exigitur, dum taliter certus est de matrimonij nullitate, ratione impedimenti quod ex errore habere putat, quod neque

habet formidinem de opposito? de eo namque quod impossibile putatur, sine vlla prorsus formidine, efficax voluntas haberi nequit. Unde dicendum est, eo casu matrimonium nullum esse, ex defectu requisiti consensus. Sed dices, quia hæreticus validum confert Baptismū etiāsi pro certo teneat non esse sacramentum; ergo etiam coniugandus licet pro certo teneat sibi adesse dirimens impedimentum, poterit validum efficere matrimonium, si alias cetera adsint requisita. Nam respondetur diuersam esse rationem, nam etiāsi hæreticus putet ex errore, etiam sine formidine Baptismum non esse sacramentum, potest cum hoc errore intendere facere quod fecit Christus, vel quod facit Ecclesia, vel quod faciunt Christiani, quod ad baptismi valorem est sufficiens, quia in eo obiecto scilicet quod Christus fecit, vel instituit, aut quod Ecclesia facit, vel Christiani faciunt, confusè voluntas illud efficiendi sacramentum continetur. Non sic, qui absque for-

fermidine putat sibi matrimonium fore inualidum, nam qui sic credit, non ponit ali- quod obiectum, in quo con- fusè contineatur volūtas ista *accipio te in meum, vel meam*

17 Quæres quartò, an ad validum ponendum consen- sum, pro valido conficiendo matrimonio requiratur, quod vnus consensus aliquam ha- beat cum alterius coniugis consensu simultatem? Cer- tum est sufficere simultatem moralem, non physicam re- quiri, alioqui per procurato- rem, matrimonium fieri non posset, quod supra reproba- uimus; quanta autem tem- poris distantia requiratur ad hoc vt consensus sufficientem habeant moralem simulta- tem, & quanta, vt non ha- beant illam, disputatur. Nam Sanchez lib. 2. disp. 32. & alij apud ipsum determina- tam requirunt distantiam: di- uersimodè tamen, nam San- chez, iuxta prudentis arbi- trium. Sotus septenium re- quirit; Henriquez, bienium, Ledesma, vnum annum, extra quod tēpus si alterutrius con- sensus ponatur, matrimonium

non fit, cum tunc consensus sufficientem non habeant si- multatem; & intra quod tem- pus validum fiet matrimo- nium, cum intra illud suffi- cientem, habeant consensus illi, simultatem. Nihilominus probabilius puto nullam re- quiri temporis distantiam de- terminatam ad hoc vt con- sensus sufficientem habeant simultatem, vnde si quis ho- die suum ponat consensum actualem, si non reuocat illum positiuè, sufficientem faciet cum alio actuali con- sensu vnionem, quocunque tempore ponatur. Ratio cla- ra est, quia ad ponendū con- tractum matrimoniale non requiritur actualis intentio dum fit, nec virtualis illius perseuerantia, sed sufficit ha- bitualis, id est sufficit intentio aliquando posita, & nūquam reuocata, vt patet in ceteris contractibus, nam vt quis rē suam vendat, non est necesse, quod dum actualis fit vendi- tio, actualis adsit intentio, vel virtualis, quatenus illa actua- lis in aliqua sui virtute perse- ueret, vt in motione, transla- tione, &c. sed sufficit quod



aliquādo talem habuerit intentionem, & nunquam reuocauerit illam; ergo &c. Cōfirmatur, quia actualis, vel virtualis intentio tunc solum requiritur, quando operans, operationem alterius nomine ponit, vel etiam proprio; at vero quando intentio non est factiua realis operationis, nō est necesse, quod actu, vel virtute existat; at matrimonialis intentio, seu consensus, non est factiuus alicuius operationis, sed solum translatiuus dominij; ergo non requiritur quod actu, vel virtute existat. Maior probatur, & simul explicatur; nam ideo in sacramentotum ministro, & in Sacerdote sacrificante, saltem virtualis requiritur intentio, quia illa intentio realem ponere debet operationē, realis autem operatio poni non potest ab aliqua causa, nisi saltē virtute existat; debet namque minister sacramenti ponere abluionem nomine Christi; debet verba proferre, in persona Christi; debet actionem sacrificatiuam ponere in persona eiusdem Christi, & tanquam illius instrumenta,

patet autem quod hæ actiones poni nō possunt, nisi eius causa, quæ est intentio in sua saltem virtute existat, vt de sacram. in genere explicuimus. Item non potest homo aliquam aliam ponere actionem, quæ ab aliqua causetur intentione, nisi illa saltem in sua virtute existat. At vero quando intentio non debet ponere actionem aliquam, vel aliquid, quod suo indigeat influxu, non est necesse quod in se, vel in sua existat virtute. Ob id loco citato cū communi sentētia docuimus ad sacrificij valorem applicandum nō requiri intentionem actualem, vel virtualem, sed sufficere habitualement, cū in tali valoris applicatione nihil ponatur, quod præcedentis intentionis indigeat influxu. Cum ergo id ipsum in nostro casu contingat, id ipsum erit asserendum. Sed dices quod licet dicta saluari possint quātum ad matrimonium vt ciuilis cōtractus est, non tamen, vt est sacramentum, cum ad hoc conficiendum saltem virtualis requiratur intentio? Respondetur primò

primò concedendo argumētum, vnde quando post longum tempus poni debet alterius consensus, licet alter non debeat suum renouare, secundum quod in matrimoniale tendit contractum; renouari tamē debet vt sacramentum faciat? Respondetur secundò, quod licet in alijs sacramentis requiratur intentionis praesentia saltem virtualis, quia inibi aliqua datur actio, quae intentionis eget influxu, hic tamen non datur, cum hic ipse contractus assumatur ad sacramenti rationē; & cum cōtractus sufficienter fiat, etiam si vnus consensus ab alterius distet, & cum ponitur vnus, alter saltem habitualiter manet, ideo si tunc contractus sufficienter ponitur, etiam sacramentum ponetur.

18 Ex hac doctrina inferitur primo, quod si matrimonium fuit inualidum siue ex parte vnus contrahentis, siue ex parte vtriusque, vt reualidetur, requiritur quod nouus ponatur consensus, signo aliquo externo expressus, nec sufficit quod internus ponatur

consensus: praesertim quando ambo fictè consenserunt, quia ille externus consensus fictus, iam praeteritus, non potest praesentem consensum internum sensibilem reddere. Est contra aliquos oppositum non improbabiler oppinantes, qui putant praesentē consensum internum reddi sensibilem per consensum externum praeteritum, licet aliàs nullum, cum censeatur adhuc habitualiter permanere, nec sit posituè retractatus.

19 Inferitur secundò, quod quando matrimonium fuit nullum ratione v.g. impedimenti dirimentis, vel ratione consensus, non est necesse vt reualidetur quod vir v.g. qui scit matrimonij nullitatem, moneat vxorem, vt sic vterque nouum ponat consensum, sed sufficit, quod id faciat cōiux nullitatis conscius, licet oppositum sit verius, & suadendum, quando id commode fieri potest. Ratio est, quia in nullitatis ignaro, adhuc censeatur habitualiter cōsensus perseuerare, qui licet quando primò positus fuit esset nullus, ratione v.g. im-

pedi-

pedimenti dirimentis, quod ignorabat, modo tamen est sufficiens, vt verum fiat matrimonium, posito nouo scientis nullitatem consensu, ablato per dispensationem impedimento. Idem putarem si vterque esset nullitatis conscius, sed vterque putaret talem nullitatem ab altero ignorari. Optimum tamen cōsiliū est, quod eo casu extorqueat nullitatis conscius, consensū, si fieri potest, nouum, & absolutū ab altero nullitatis ignaro, vel media copula, vel alio modo, dicendo mutuo *ego te accipio in coniugem*, quod si hoc haberi nequeat, sufficiet copula affectu maritali habita, quamuis alter nullitatem ignoret, copula namque videtur sufficiens signum coniugalis consensus. Sed dices nemo consentire censetur in id, quod ignorat; vnde nulliter professus nunquam professionem ratificare censetur, quandiu nullitatem ignorat professionis; ergo coniux nullitatis ignarus nunquā cōsentire censetur, quouis modo cōsensus extorqueatur? Respondeatur hoc argumentum pro-

bare, quod solus consensus de nouo positus non sit sufficiens ad reualidandum matrimonium, cum non sit absolutus, & efficax, non tamen probat quod per illum non possit aliquo modo ad presentiam reuocari consensus preteritus, absolutus, & efficax, si fortē sufficienter non perseveraret. Vnde sicut nulliter professus sciēs suam nullitatem, quia v.g. profitendi non habuit intentionem, potest validam ponere professionem, propriam, nouam, & verum ponendo consensum, absque eo quod noua ponatur religionis acceptatio, quia antiqua habitualiter saltem perdurare censetur. Ita in nostro casu, conscius nullitatis, validum ponere potest matrimonium, suum ponendo consensum, cum vterius coniugis cōsensus adhuc perseveraret, presentim, si ad presentiam reuocetur medio illo consensu nouo conditionato, vel media copula affectu maritali extorta.

20 Quæres quintò, an ad reualidandū matrimonij contractum nullum, coram Parocho

cho, & testibus celebratum, necessarium sit quod fiat coram Parocho, & testibus ut prius? Distinguendum videtur, vel enim matrimonij nullitas publica est, vel occulta; si publica, videtur dicendum necesse esse, quod talis revalidatio in Ecclesiæ facie fiat, idest coram Parocho, & testibus; cum enim prior contractus fuerit publicè nullus, debet secundus fieri publicè validus, & eius validitas debet Ecclesiæ constare. Si vero prius matrimonium coram Parocho, & testibus celebratum, fuit occultè nullum, ob occultū impedimentum, necesse non est, ut illius reuali-

dario fiat coram Parocho, & testibus, cum sufficienter censeantur Tridentini præcepto satisfacisse per prius matrimonium. Nec Tridentinum censetur hoc matrimonium annullare, cum sola ea annullauerit matrimonia clandestina, quæ antiquo iure prohibebantur, in quibus scilicet poterant coniuges se deserre, & cum alijs contrahere, nec posset illis Ecclesia resistere, cum in eius facie facta non essent. At non sic hoc matrimonium cū ex eo nulla ex dictis sequantur absurda, cum possit Ecclesia sic contrahentibus resistere, &c.

### Q V A E S T I O III.

*Quodnam esse debeat consensus obiectum.*

21 **P**ures hæretici, ut videre est apud Castrum v. nuptia, hæc est i. matrimonij negant honestatem propter detrimenta, quæ ipsū consequuntur. Matrimonium namque perpetua consequitur seruitus, ut dixit Apost.

1. Cor. 7. *alligatus es uxori, noli quare solutionem*, ubi Apostolus vinculum matrimoniale, alligationem vocat, quasi quod cōiuges veluti duo animalia sibi inuicem colligentur, non pro aliquo determinato tempore, sed pro sem-

per

per: *noli querere solutionem.*

Matrimonium quoad illius  
vsum absorptio sequitur ra-  
tionis, ratione voluptatis ani-  
malis in eo reperta. Matri-  
monium sequitur nimia soli-  
citus alteri placendi coniugi,  
nimium desiderium ha-  
bendi prolem, educandi il-  
lam, & thesaurizandi illi, quæ  
ab Apostolo citato loco, men-  
tis diuisio vocatur. Sed de-  
bebant aduertere hæretici,  
quod licet tria dicta mala,  
matrimonium sequantur, im-  
pediri tamen possunt, vel saltè  
moderari, taliter quod mala  
non sint, tribus scilicet bo-  
nis, quæ idem sequuntur ma-  
trimonium; quæ à D. Thom.  
post Magistrum enumeran-  
tur, & explicantur hic q. 49  
per totam, sunt autem bo-  
num sacramenti, bonum pro-  
lis, & bonum fidelitatis. Bo-  
num sacramenti, tollit ma-  
lum seruitutis, gratiam con-  
ferendo, qua se mutuo coniuges  
diligant, & vinculi tolle-  
rent perpetuitatem. Bonum  
prolis, quæ ad diuinum cul-  
tum generatur, & educatur,  
malum compensat voluptatis,  
quæ in maritali vsu sen-

titur, & si aliquis mentis ex-  
cessus eo in actu contingit,  
eodem bono compensatur:  
bonum similiter fidelitatis,  
qua coniuges se se mutuo ad-  
reddendum debitum obli-  
gantur, & ad negandum cor-  
pus cuiunque alteri, malum  
nimix compensat sollicitudi-  
nis placendi coniugi, habenda  
prolis, educanda, thesauri-  
zandi, &c. In his omnibus  
consentiunt Theologi.

22 Difficultas est, an hæc  
tria bona intendi debeant à  
matrimonium contrahenti-  
bus. Dico primò. *Debent  
contrahentes intendere, seu con-  
sentire in mutuum corporum  
translationem.* Ratio est, quia  
mutua corporum translatio,  
est primarius matrimonij ef-  
fectus, ad quem matrimo-  
nium per se primò ordinatur;  
vnde si quis positivè nollet  
in hanc translationem con-  
sentire, sed vellet sui corpo-  
ris dominium retinere, vt al-  
teri tradere illud posset, ma-  
trimonium non faceret; non  
debet tamen ex necessitate  
hæc mutua corporum trās-  
latio explicite intendi, sed suf-  
ficit quod positivè non ex-  
cluda-

cludatur, quia tunc censetur eius intentio, virtualiter contineri, in contrahendi intentione. Dico secundò, *neceſſe eſſe contrahentes bonum intendere ſacramenti, ut faciant illud.* Ratio eſt, quia ſacramentum non ponitur, niſi intendatur, non eſt tamen neceſſe ſacramenti rationem expræſſè intendere, ſed ſufficit, quod virtualiter, quatenus contrahentes contrahere intendunt, ſecundum Eccleſiæ morem, vel ſecundum quod alij faciunt catholici, vel ſecundum quod Deus inſtituit: quod ſi aliqui poſitiue rationem excluderent ſacramenti, & aliundè ſufficientem haberent cõtrahendi intentionem, matrimonium facerent, qua contractus, non qua ſacramentum eſt; magnum tamen cõmitterent ſacrilegium, ut ſupra notauimus. Dico tertio *neceſſe non eſſe, quod contrahentes bonum prolis intendant.* Ratio eſt, quia prolis generatio non eſt de eſſentia matrimonij, ſed effectus purè ſecundarius, qui poteſt poſitiue excludi, ut ſupra aduertimus;

an autem debeat prolis bonū intendi, ſaltem implicite, patet ex dictis ſupra, quod ſic, eo namque ipſo quod conſenſus in mutuam tendit corporum traditionem, implicite tendit in copulam, & in prolis generationem, quæ implicita intentio ſtare poteſt cum explicita intentione de copula non habenda, & de non habenda prole. Dico quartò, *ad matrimonij valorem, neceſſe non eſt, quod contrahentes bonum intendant fidelitatis.* Vnde ſi qui cõtraherent animo non ſeruandi fidelitatem, matrimonium quidem facerent, grauiter tamen peccarent. Ratio eſt, quia matrimonij valori non nocet, niſi intentio cum eo incompoſibilis; atqui intentio non ſeruandæ fidelitatis, non eſt incompoſibilis cum matrimonij valore; ergo. Minor oſtenditur; nã ad matrimonij valorem ſufficit intentio tradendi ius corporis; atqui cum hac intentione ſtare poteſt illa, non ſeruandæ fidelitatis; ergo: ſed de his infra magis, dum de conditionato agemus conſenſu. Ex his patet obiectū con-

sensus necessarium, esse mutuaam corporum traditionem. An autem licitum sit matrimonium facere ob alios fines

magis extrinsecos, vt ob diuitias, ob pulchritudinem, &c. patet ex dictis disput. 1.

## Q V A E S T I O I V.

*An matrimonialis consensus debeat esse manifestus, Vbi de proclamationibus, & benedictionibus agitur.*

23 **N**on est huius quaestionis sensus, an consensus esse debeat manifestus, hoc est sensibilis, patet enim ex dictis hoc esse necesse, cum enim matrimonium, & sit contractus, & sacramentum, & ad vtrunque consensus sensibilitas requiratur, patenter sequitur, matrimoniale consensus debere esse in hoc sensu manifestum. Sensus ergo praesentis quaestionis est, an contrahentium consensus debeat esse manifestus non solum contrahentibus, verum etiam alijs; quod dupliciter contingere potest. Primò medijs proclamationibus, seu denunciationibus, seu publicatio-

nibus, quas facit Parochus antequam ad matrimonium deueniatur. Secundò quando celebratur ad Parochi, & testium praesentiam. Modo de primò, postea de secundò dicetur. Pro quo nota, Concilium Tridentinum sess. 24. cap. 1. sequentia de proclamationibus, seu denunciationibus statuere. *Pracipit, vt in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festis, in Ecclesia inter missarum solemnias publicè denunciatur, inter quos matrimonium sit contrahendū, & post pauca. Quod si aliquando probabilis sit suspicio, matrimonium malitiosè impe-*

impediri posse, si tot processerint denunciationes: tunc, vel una tantum denunciatio fiat; vel saltem Parocho, & duobus, vel tribus testibus presentibus matrimonium celebretur; deinde ante illius consummationem, denunciationes in Ecclesia fiât, ut si aliqua subsunt impedimēta facilius detegantur, nisi Ordinarius ipse expedire iudicauerit, ut prædictæ denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ, & iudicio sancta synodus relinquit. Harum denunciationum finis est, ut si sint aliqua impedimenta inter contrahentes, detegantur. Sed ut Cōcilij statutum exactius percipiatur, & difficultates, quæ ex illo nascuntur intelligantur.

24 Quæres primò, an quando contrahentes, duarum sūt Parochiarum, debeant denunciationes in vtraque Parochia fieri? Respondetur affirmatiuè; & ratio est quia impedimenta mulieris multoties non cognoscuntur in Parochia viri, & e contra; sed petes; an denunciationes faciendæ sint in illa Parochia in qua diu commorati sunt contra-

hentes, an in illa in qua breui commorantur. Casus iste frequenter rusticis accidit, dū migrât ab vno loco in alium, etiam distantē. Basilius Pontius lib. 5. c. 30. putat sufficere quod fiant in illa Parochia in qua de presenti commorantur, etiam si breui ibi commoretur. Sed oppositum est verius, & magis ad Tridentini mentem, ut impedimenta sic facilius, si sint, detegantur, cum enim in loco vbi contrahētes diu morati sunt cognoscantur, etiam impedimenta si adsint detegi poterunt.

25 Quæres secundò, an denunciationes per Parochū fieri debeant, an vero fieri possint etiam per alium de venia Parochi, ratio dubitandi est, quia Concilium videtur solū Parochū ad id munus deputare. Quia tamen praxis est in oppositum, ideo dico sufficere quod denunciationes fiant ab alio de Parochi venia. Ratio est quia Tridentinum renouat cap. *fn.* extra de clandest. dispensat. & in illo dicitur, quod denunciationes per presbyteros fiant, nomine autem presbyterorum nō



solum Parochus, verum etiã alij sacerdotes veniunt. Vnde & isti de Parochi venia tales facere poterunt denunciations.

26 Quæres tertio, an de necessitate fieri debeant denunciations in Ecclesia, & inter missarum solemnias? Affirmat Pontius lib. 5. cap. 30. & magis conformiter ad Concilium. Videtur tamen probabilis sententia Sanchez, quem refert, & sequitur Villalobos, quibus adde Laymanum quos refert, & sequitur Diana p. 3. tract. 4. resol. 236. quod etiam extra Ecclesiam fieri possint, dummodo, & locus sit aptus, & populi adfit concursus, vt sic factum ad multorum perueniat notitiã, sic enim licet verba non obseruentur Concilij, eius tamẽ perfectissima obseruatur intentio, vt scilicet factum sciat, & impedimenta, si quæ sint, detegantur.

37 Quæres quarto, an dictæ denunciations fieri possint tribus diebus festis continuis, vt tribus diebus festis Paschæ, vel Pentecostes? Respondetur negatiuè, sed

debet aliquod interuallum inter vnã, & alteram denunciationem, intercedere, vt vnus, vel duorum dierum: si tamen in illis tribus diebus festis, magnus esset populi concursus, qui postea in alijs festis non erit, permitti possent fieri. Similiter, possent etiam fieri tales denunciations in diebus ferialibus, si in illis maior esset populi concursus; item in festis deuotionis. Ob eandem rationem non esset peccatum mortale illas non facere tribus festis non interpolatis, vt si fiat vna hac die Dominica & alia fiat post 15. dies, &c.

28. Quæres quinto, an peccet mortaliter Parochus, qui vnã relinqueret ex dictis denunciationibus? Affirmat Pontius vbi supra. Sed probabilis est sententia negatiua Sanchez apud Dianam loco citato, vbi diligentissimè alios pro ea refert, & sequitur. Ratio est, quia tertia pars materiæ præceptæ, ex probabilis sententia, materia leuis est; sed in hoc casu vna proclamatio, est tertia pars materiæ præceptæ; ergo si re-

lin-

linquatur, materia levis relinquatur, ac subinde mortale peccatum non erit. Hoc præsertim verum habet quando nō est morale periculum, aliquod subesse impedimentum. Aduertunt hic Theologi, & benè peccare mortaliter, non solum Parochum proclamationes omittentem, verum etiam contrahentes, qui eas sua sponse omittunt, cum à Tridentino grauiter prohibeatur matrimoniū fieri sine illis. Similiter grauiter peccant contrahentes, qui legitimè contraxerunt sine denunciationibus, si matrimonium consumunt sine illis, cum id à Cōcilio prohibeatur.

29 *Quæres sextò* quinam possint in denunciationibus dispensare? Cōueniunt Theologi posse Episcopum, & eius Vicarium, cum hi Ordinarij nomine veniant, cuius prudentiæ, & iudicio Concilium dispensandi concedit facultatem. Difficultas est de illis, qui Episcopalem habent facultatem, vt sunt quidam commēdatarij, Abbates, &c.

Affirmat Sanchez. Negat Pontius, qui apud Dianam supra resol. 37. Cardinalium refert declarationem, quæ si vera est, illistandum est. Aduerte tamen, quod quando contrahentes sunt duarum diœcesum, non est necesse, quod vterque Ordinarius dispenses, sed sufficiet vnus, siue sit spōsi, siue spōsæ, & pro vtroque dispēsare poterit. Poterit etiam Episcopus, vel eius Vicarius dispensandi facultatem alteri delegare, cum nullibi id prohibeatur.

30 *Quæres septimò*, quænam sint causæ licitæ dispensationis? Respondetur esse sequentes. Prima quando matrimonium creditur iniuste impediendum, vel per maleficium, vel per parentes, & etiam per factiones. Secunda quando contrahentium sequeretur infamia, vt quando viuentes in concubinato, publicè habentur vt cōiuges. Tertia, quando matrimonium differri non potest, vt quando vir est in mortis periculo, aut statim debet longum suscipere iter, & alium-

aliunde expedit matrimo-  
nium fieri, vt proles legiti-  
metur. Quarta, quando ex-  
pedit aliquos statim contra-  
here, vt sunt concubinarij,  
qui si non statim matrimo-  
nium fiat, mutabitur animus.  
Quinta, quando vicinum est  
tempus, quo nuptiæ prohibē-  
tur. Sexta, quando senes  
contrahunt, & alij quibus  
pudet nuptias publicari. Sep-  
tima quando magnates con-  
trahunt, cum in his sit no-  
tius genus, & ratione huius  
omne periculum cesset. Octa-  
ua, quando id suadet notabi-  
li sponforum vtilitate, vel  
commoditate.

31 Quæres octauò, an  
Episcopus in his casibus dis-  
pensare teneatur? Respon-  
detur affirmatiuè, præsertim  
in primis quinque causis, & in  
octaua; in alijs potest, sed  
non tenetur. Quæres nonò,  
an in aliquo casu possit Pa-  
rochus in denunciationibus dis-  
pensare? Respondetur affir-  
matiue, quando vrgeret ne-  
cessitas, & non esset facilis  
aditus ad Episcopum, pro fa-  
cultate obtinenda: vt si vir  
sit in periculo mortis, & ma-

trimonium cum concubina  
fieri deberet ad legitimam  
dam prolem, & aditus non  
patet ad Episcopum, & aliun-  
dè periculum esset in mora:  
idem dicerem, quando in  
casu dicto, vel alio simili gra-  
ui, Episcopus noller veniam  
concedere, vt matrimonium  
sine denunciationibus cele-  
bretur, posset ad illius cele-  
brationem deueniri: necessi-  
tas enim non habet legem,  
præsertim cum denunciatio-  
nes sint extra matrimonij es-  
sentiam. Possunt denucia-  
tiones fieri temporibus pro-  
hibitis nuprias celebrandi, S.  
Congregat. 18. Decëb. 1589.

32 Quæres decimò, an  
sciens matrimonij impedi-  
mentum, teneatur illud re-  
uelare? Respondetur affir-  
matiue, ratio est, quia vnus-  
quisque tenetur peccatum  
proximi impedire, non im-  
pediret autem, si impedimē-  
tum non denunciaret, quia  
sic contrahentes in continua  
manerent fornicatione. Tum  
quia, est Concilij præceptum,  
cui omnino est parendum.  
Hoc tamen præceptum, &  
hæc obligatio nõ currit quã-  
do

do scienti, magnum proueneret, ex tali denunciatione, incommodum, vel populi scandalum oriretur, vel contrahentium infamia.

33 Sed dices nemo tenetur denunciare, quod non potest probare, sed qui solus nouit impedimentum non potest illud probare; ergo neque denunciare tenebitur? Respondetur namque, quod ut infra dicetur, matrimonij impedimentum, etiam per vnum testem, probari potest. Vnde parum refert, quod sciatur secretò, vel non sciatur, cum nullum obliget secretum, præter sacramentalis confessionis. Debet etiam Parochus per se ipsum de impedimentis, inter contrahentes inquirere, ipsos contrahentes interrogare, cui respondere tenetur veritatem, cum in hac re ius habeat interrogandi, & si aliquod discooperiat impedimentum certum, statim cessare debet à proclamationibus, quod si non fit ita certum, Episcopum consulat, qui quod faciendum sit, determinabit.

34 Denunciationibus peccatis, si nullum denunciatur impedimentum statuit idem Concilium quod; ad celebrationem matrimonij in facie Ecclesie procedatur. Vbi Parochus, viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat ego vos in matrimonium coniungo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; vel alijs utatur verbis, iuxta receptum vniuscuiusque Prouincie ritum. Postea statuit benedictionis ritum; dicens: Statuitque benedictionem à proprio Parocho fieri, neque à quoquã, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alij sacerdoti concedi posse: quod si quis Parochus, vel alius sacerdos, siue Regularis, siue secularis sit, etiam si id sibi ex privilegio, vel innumerabili consuetudine licere contendat, alterius Parochie sponso sine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tam diu suspensus maneat, quã diu ab Ordinario eius Parochi qui matrimonio interesse debebat,

bat, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluetur, Tandem statuit sancta Synodus, quod Parochus librum habeat in quo coniugum, testiumque nomina, diemque locumque contracti matrimonij scribat. Postea hortatur coniuges, vt antequam contrahant, vel saldem triduo ante matrimonij confirmationem, sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ sacramentum piè, deuotèque accedant.

35 Circa quæ obserua primò, non esse peccatum mortale benedictiones omittere, quod patet primò ex cap. *Nostrates*, 30. q. 5. vbi Papa Nicolaus insinuat posse sine peccato omitti. Secundò ex Tridentino mox citato, quatenus solum hortatur coniuges has benedi-

ctiones accipere. Locorum tamen consuetudo seruanda est. Obserua secundò, quod secundum ius commune cui non derogat concilium, solum primæ benedicuntur nuptiæ, vnde si sponsus, vel sponsa aliam habuerunt benedictionem, non debent de nouo benedici; ita habetur c. *Via*, 3. de nuptijs secundis; solemnes namque Ecclesiæ benedictiones iisdem rebus secundò non conferuntur. In aliquibus tamen locis consuetudo est, vt nuptiæ benedicantur, quando sponsa primò nubit, etiam si vir alias benedictus fuerit; in aliquibus etiam vsus obtinuit, quod semper nuptiæ benedicantur; quoties vnus sponforum, alias benedictus non fuit, qui mores obseruari possunt, & debent. Nauar. c. 22, nu. 83. & alij



Q V A E S T I O V.

*An Pater possit cogere filium, ut consensura  
præbeat in matrimonium: ubi alia cu-  
riosa.*

36 **C**oncoris catholico-  
rum sententia est,  
quod filiorum matrimonium,  
quando ad contrahendum  
sufficientem habent habilita-  
tem, validum, ratumque sit.  
Tridentinum sess. 24. cap. 1.  
dicite. *Sancta Synodus anat-  
hemate damnat qui falsè affir-  
mant, matrimonia à filiis sa-  
milias sine consensu parentum  
contracta irrita esse, & pa-  
rentes ea rata, vel irrita sa-  
cere posse: nihilominus sancta  
Dei Ecclesia ex iustissimis cau-  
sis illa semper detestata est, at-  
que prohibuit.* Idem cauetur  
cap. *sufficiat*, 47. q. 2. cap. *tuæ  
fraternitati*, & alibi.

Probatur ex cap. 28 Gene.  
ubi Esau inuitis parentibus  
vxores duxit. Item ex c. 38.  
ubi Iudas ante 20. suæ ætatis  
annum concupiscentia du-  
ctus citra Patris voluntatem  
mulierem duxit Cananæa.

Item Tobie 7. *Tobia filius,  
vxorem duxit, eius inscijs pa-  
rentibus.* Vnde Clemens III.  
cap. *cum virum*, extra de Re-  
gular. docet puellam atate  
nubilem, quia liberum ha-  
bet arbitrium non posse co-  
gi voluntatem sequi paren-  
tum, in sui electione propo-  
siti. Et Lucius III. cap. *cum  
causa*, extra de raptoribus,  
idem confirmat. Et ratio  
etiam est, quia filiorum ma-  
trimonium iure nullo irri-  
tatur, ergo validum est. An-  
tecedens ostenditur, quia iu-  
re naturæ vnusquisque est  
suz Dominus voluntatis, in  
ijs quæ ad status concernunt  
electionem. Propterea Gen.  
24. explorata fuit Rebecca  
voluntas à parentibus, & fra-  
tribus, vt matrimonio con-  
iungeretur: *Vocemus, inquit,  
puellam, & quæramus ipsius  
voluntatem.*

37 Certū etiam, est apud catholicos, peccare grauius filios, quando absque legitima causa matrimonium contrahunt absque parentū consensu. Imò fieri potest, quod ex suppositione, quod filius velit matrimonium inire, teneatur illam in uxorem accipere, quam eius pater exoptat. Ratio est, quia filij parentibus obedire tenentur, in rebus iustis, præsertim si magni sint momenti; ergo cum matrimonium sit res grauissima, & aliundè etiam maximi sit momenti, quia illud matrimonium, quod suadent parentes, deseruiet ad graues componendas inimicitias, ad stabiliendam familiam; ad alendos ipsos parentes, ratione bonæ dotis, &c. ergo ad id tenentur. Non peccabunt tamen, si ex iusta causa filij à parentum recedant voluntate, vt quia volunt, filium mulierem accipere deformem, quia bonam, & pinguem affert dotē; quod solet non infrequenter accidere, cum magno filiorum merore, cum teneantur per totam vitam stomachari cum

illa, idem quando id suadent parentes propter fines non adeo vrgentes, tunc enim filij legitimam habent excusationem parentum detrectando imperium, cum agatur de statu totius vitæ, in quo deligendo iniuste vrgeri non possunt.

38 Est etiam certum, posse parentes moderata cogere coactione suos filios vt matrimonium illud ineant ad quod promissione, vel alia ex causa tenentur, secus quando non tenentur, & nolunt matrimonij statum eligere, sed meliorem, vt cælibatus, aut religionis: contra namque rationem est, filium cogere, cum sui iuris sit ad eligendum statum, vt deteriorem eligat, cum vult meliorem eligere. Vnde parentes illi, maxima digni sunt reprehensione, qui nimis proprios vrgent filios vt matrimonium ineant, cum à Deo ad religionis statum vocentur, *sunt enim cæci, & duces cæcorum;* Simili etiam coactione, moderata scilicet, ac paterna; possunt cogere filios, vt illos retrahant à matrimonio ipsi  
in-

indigno ; maximè namque incumbit parentibus , filiorum bono prospicere , & à malo illos auocare , cum filiorum bonum , parentum bonum censeatur ; & filiorum malum , eorundem parentum malum iudicetur ; ad matrimonium autem ordinariè expediens , cogi non debent filij , etiam leui coactione . Difficultas præsens est , an Pater possit cogere filium , vel filiam ad illud ineundum matrimonium , quod pater ipse promissit .

39 Procedit hæc difficultas ex suppositione , quod filius , meliorem non eligat statum , tunc nec Pater , nec filius tenetur stare promissis , cum in matrimonij promissione inuoluta semper intelligatur intentio , dummodo in melius status non mutetur . Procedit etiam , ex suppositione , quod matrimonium à patre promissum , non sit filio indignum , & indecorum , quia tunc certum apud omnes est , non teneri filium patri obedire . His positis .

Prima sententia tenet , teneri tunc filium matrimonium

facere , quod pater promissit . Naua.c.14.num.15 Rebellus 9.14.sect.2. Bellarm.lib.1.de matrim.cap.19.& alij .

40 Nostra sententia sequenti explicatur conclusione . *Non tenetur filius matrimonium facere , ex sola patris promissione .* Dixi ex sola patris promissione , quia si aliunde maximum proueniret familiaræ bonum ex tali matrimonio , vel maximum auerteretur malum , & nullum filio proueniret incommodum , ad illud teneretur ; & sic conclusio procedit de matrimonio ex sola patris promissione , dictis circumstantijs præcis . Hanc conclusionem sic explicatam docet Sanchez lib.4. disput.23. Coninchus disput.28. dubio 5. & alij .

Probatur : matrimonium , vt ex supra dictis liquet , est quædam perpetua seruitus ; ergo nullus potest ad illam obligari . Consequentia ostenditur , quia videtur nimis durum , hominem natura liberum , ad perpetuam cogi posse seruitutem . Vt enim in materia iustitiæ dicitur , non



potest pater proprium vendere filium; nisi in casu extremæ necessitatis; ergo neque poterit pater ex vi solius promissionis, filium perpetuæ tradere seruituti. Tum quia, cōiugium, indissolubilem affert vitæ societatem, perpetuo, eoque mutuo amore conglutinatum; ergo non debet eius obligatio ab aliena procedere voluntatis promissione. Quæ doctrina currit etiã respectu huius, vel illius matrimonij, nempe cum Berta, vel Ioanna, imò magis cum determinata, cum magis filij restringatur libertas, vt ex se liquet.

41 Primum primæ sententiæ argumentum est, quia id videtur statutum cap. 1. de despons. impub. vbi dicitur. *Postquam filius ad perfectam aetate peruenierit, omnino debet hoc implere.* Hoc est matrimonium à patre promissum? Respondetur cum Glos. ibidẽ, quod *Ly omnino debet*, intelligi debeat, nõ de debito præcepti, & obligationis, sed solum de debito honestatis.

42 Secundum argumentum; quia parentum est, non

filiorum, matrimonia parari, & certè indecorum valde esset, præsertim filiarum, quod sibi vellet nuptias parare. Vnde id in veteri testamento obseruatum videtur, quod nimirum parentes filiorum coniugia pararent, &c. etiam filijs ipsis in consultis, vt constat Gen. 24. & 48. & Deuter. 7. Exod. 34. 1. Cor. 7. filiorum matrimonia in parentibus commendantur. Et in Concilio Aurelianensi cap. 4. & refertur, 36. q. 1. cap. de raptor. dicitur; *Puellam raptam reddendam esse patri, etiam si ipsa raptori consenserit?* Respondetur verum esse ad parentes pertinere nuptias proprijs parare filijs, non tamen tenentur illis obedire, sicuti quando parant cœlibatum, vel religionem, cum filij quoad statum electionum, non sint parentum, sed sui. Ad illud ex Aurelianensi Concilio infra dicitur, cum de impedimento raptus agetur. Pro modo tamen dico, quod ideo puella etiam raptori consentiens, est parentibus restituenda, quia non solum post Tridentinum; matrimonium inter raptorem

prorem, & raptam est nullū, verum etiam in aliquibus Ecclesijs ante Tridentinum pro nullo reputabatur, vt patet ex citato Concilio, & ex Meldensi, relato 36. q. 2.

43 Sed quæres primò, an parentes, qui iniusta, & mortali vrgent coactione proprios filios, vt matrimonium inéant, anathematis pœnam, seu excommunicationem incurrant, quæ habetur in Tridentino sess. 24. cap. 9. Respōdetur quod non. Ratio est, quia Concilium de solis loquitur magistratibus, & temporalibus dominis, qui in exteriori foro iurisdictione polent. Vnde si alij prinati aliquos ad matrimonium compellant, excommunicationis censura non innodantur; & sic nec Parochus, nec Episcopus compellētes ad matrimonia, cum iurisdictionem non habeant temporalem, in dictam non incidunt excommunicationem. Imò neque Rex, & Imperator, quia licet temporalem habeant iurisdictionē, speciali tamen nota digni sunt; vnde si non exprimantur, non censurantur, vt notat

Sanchez lib. 4. disput. 22. Ob id aliquando pro specialibus casibus nominantur vt in eodem Tridentino sess. 22. c. 11. & in Bulla cœnæ, &c.

44 Quæres secundò, an filius peccet mortaliter, si non ducat dignam, quam pater vult, sed aliam æquè dignam ducat? Respondetur negatiuè: ita Trullench. in decal. tom. 1. lib. 4. c. 1. dub. 1. nu. 13. Ratio est, quia licet filius teneatur patrem consulere, si commodè fieri potest; & valdè dedebeat filium inconsulto patre, matrimonium facere; tamen patris consilium sequi non tenetur, dummodo dignam ducat, secus si vellet ducere indignam. Habet quidem pater ius dirigendi filiū in suis actionibus, & filius illi obedire tenetur in rebus licitis, & honestis; tamē quoad naturalem generandi facultatem, quam filius habet, non est patris, sed suus, cum, & illa generandi facultas patris nō sit, sed filij ipsius.

45 Quæres tertio, an filius etiam magnatis possit sine villo peccato parentibus iniustis ducere fœminam gene-

re inferiorem, sed diuitem, eo quod patet non vult ipsū alere secundum proprium statū, vt per mulieris dotem, melius viuere possit? Respondetur affirmatiuè, ratio est, quia tūc

filius sufficientē ad id faciendum hebet rationem, vt nimirum secundum suæ personæ conditionem viuere valeat.

## Q V A E S T I O VI.

*An Pater possit filium exheredare, vel quia noluit præbere consensum, vt duceret illam, quam volebat, vel quia eo inuito matrimonium fecit.*

46 **N**on possunt parentes ex hoc præcisè quod filius, vel filia noluit cōsensum præbere, vt duceret illam, vel illum, quem, vel quam pater volebat, filios exheredare, id enim nullo iure cautum video; sicut video cautum, quod possit exhereditatio fieri quando filij parētibus inuitis matrimonium faciunt. De filio hæc statuuntur per L. nō tantum, §. si emācipatus 2. de bonorum possessione, vbi quæ sequuntur habentur: *nam et si tam ignominiosam duxerit uxorem filius,*

*vt dedecore sit tam ipse, quam patri, mulierem talem habere, &c. possit auus suo iure uti, eumque exheredare.* De filia hæc statuuntur auth. *sed si post*. C. de inoffic. testam. *Sed si post viginti quinque annos te differente filiam marito copulare, ea in suum corpus peceauerit, vel sine consensu tuo marito se (liberè tamen) copulauerit, eam exheredare non potes.* Vbi ad hoc vt exheredari possit, requiritur, quod filia, parētibus inuitis, ante annum 25. marito copuletur, post annū vero 25. exheredari non potest, quia

quia præsumitur pater negligens fuisse in filiam aliquo copulando marito : ponit etiam textus aliam causam ob quã filia exhæredari possit ante annum 25. quando ante id tempus in suum corpus peccauit; quod habet verũ quando mater castè viuít, secus si inhonestè; nisi quando mater testari vult, iam sit emòdata: & ratio est, quia tũc mater pari turpitudinis vitio laborat *L. in arenam* 11. C. de inofficiosis testam. non sic cõtingit in patre, quia iste potest talem filiam sic in proprium corpus peccantem exhæredare, etiam si ille eodem vitio laboret; & ratio est, quia hoc vitium non sic vituperatur in viris, sicut in fœminis: Igitur secundum leges ciuiles, possunt parètes filios exhæredare, quando vxores inuitis recipiunt parentibus, vt dedecore sit, tum illis, quam parentibus, illas habere. Filias autem tunc exhæredare possunt quando ante annum 25. inuitis parentibus nubũt. Modo difficultas est, an iste leges, post Tridentinum præsertim, seruari possint: Sunt

duæ sententiæ probabiles. Prima est has leges iure canonico præsertim Tridentini abrogatas esse. Hanc sententiam sequitur Sanchez lib. 4. disput. 25. num. 2. vbi plures pro ea congerit.

47 Nostra sententia sequenti explicatur cõclusione. *Dictæ leges canonico iure abrogatæ non sunt.* Hanc sententiam sequuntur innumerĩ prudentiæ iuris doctores, & canonistæ quos longa manu refert idem Sanchez ibidem nu. 1. Et ex Theologis Sotus dist. 29. q. 1. ar. 4. ad 4. Viguierius lib. instit. c. 19. §. 7. Ledesma de *matrim.* dub. 24. Molina tom. 1. de iust. tract. 2. disput. 176. & alij magis communiter. Probatur primò. Parentes sunt suorum domini bonorum; ergo possunt illis filios priuare in pœnam talis culpæ; ac proinde illos, modis dictis nubentes, exhæredare poterunt. Antecedens supponitur. Cõsequentia probatur, quia ideo filij possunt inuitis parentibus vallydè matrimonium contrahere, & etiã sine vllò peccato, quando æquè dignam accipiunt, vt

q. præcedenti §. *quæres* 2. dictum est, quia ipsi filij quoad potentiam generatiuam sunt sui, & quoad dispositionem illius; sed non minus sui sunt parentes quoad bonorū suorum dispositionem; ergo in pœnam transgressionis sui præcepti, poterunt filios proprijs bonis priuare. Nō enim meliorem modum habēt parentes refrenandi nimiā aliquando suorum filiorum audaciam, quam terrorem incutiendo de priuandis illis hæreditate. Nec potētiores facere possunt parentes grauissimæ illatæ iniuriæ vindictam, quam filios sic inobedientes hæreditate priuare. Vnde puto prædictas leges non tam esse statuentes, quam declarātes quid in dictis inobedientiæ casibus facere possint parentes. Et sic cum nihil statuunt contra ius canonicum, sed naturæ ius declarent, abrogatæ esse non possunt.

48 Probatur secūdò, quia licet Princeps sæculares nihil statuere possint cōtra, vel præter matrimonium, qua sacramentum est, non videtur

tamen improbabile, quod aliqua statuere possint de eodem, qua contractus quidam ciuilis est, præsertim quando tale statutum non est contra matrimonij libertatem, sed in fauorem ipsius; atqui hoc in præsentem contingit; ergo Minor probatur, quia ad matrimonij libertatem nō spectat, quod cum peccato fiat, & cū maxima parentum iniuria, sed matrimonij libertas tunc maximè est, quādo sine peccato est; vt patet de libertate creata, non enim posse peccare ad hominis pertinet libertatem, sed ad defectum illius, & ex hoc, quod in visione beata peccandi auferatur potestas, libertas non auferitur, sed perficitur. Similiter ex hoc quod Deus pœnam peccātibus taxet, libertatem non tollit, vel contra hominis libertatem facit, sed potius occasionem præbet, modo perfectiori libertatem exercendi; scilicet operando sine peccato, & præcepta obseruando. Similiter in præsentem, ex hoc quod lex ciuilis pœnam statuatur exheredationis, ne matrimonia fiant cum

maxi-

maxima parentum iniuria, sequitur, quod aliquid contra matrimonij libertatē non statuatur, sed potius eius libertas stabiliatur.

49 Probatur tertio, quia lege naturæ, parentes solum tenentur filijs alimenta præbere, non autem illos hæredes instituere; ergo leges civiles, matrimonij non tollunt libertatem dū statuunt, quod filij ex hæredari possint, quando inuitis nubunt parētibus. Antecedens patet *L. fin. C. de Codicil. l. cum adopt. C. de adoptionibus, & alibi.* Vnde in iure alimenta debita dicuntur, secus legitima, secus hæreditas, quia illa dantur etiā parentibus uiuis, hæc de necessitate dari non debent, sed secundum leges dari debent à parentibus dum discedunt. Consequentia probatur, quia non videtur contra matrimonij libertatem, quod in la potestas, quæ in fauorem matrimonij, & filiorum legitimā, & hereditatem statuit, illa eadem, propter eorundem filiorum culpam, oppositam decernat; ergo.

50 Sed: obijcies primò,

quia cap. tuam, de ordine cognit. & cap. causam 2. qui filij sint legitimi, & cap. 1. de sponsal. definitur, quod cognoscere de matrimonio, & condere leges de illo, ad potestatem non spectat sæcularem; ergo. Respondetur ex dictis, quod ille leges non tollunt matrimonij libertatem, sed ponunt. Dicit etiam potest canones prohibere, quod lex sæcularis nihil statuatur contra matrimonium, quia sacramentum est, non tamen qua contractus est. Sed prior responsio est melior, & de hac secunda suo loco dicetur.

51 Obijcies secundo Quia Ecclesia cap. Gemma, de sponsal. annullat penam in sponsalibus appositam, & hoc non ob aliam rationem, nisi quia vult, quod adhuc sponsalibus factis, matrimonium maneat omnino liberum; atqui illa pena dicta, matrimonij tollit libertatem; ergo, &c. Respondetur quod Ecclesia sicuti prohibuit hoc, potuit etiam prohibere illud; de facto tamen non prohibuit; nullum namque reperitur ius, in quo parentibus, talis prohibeatur

E c filio.

filiorum, exhereditatio. Adde quod exhereditatio facilius admitti potest, quam pœna sponsalium; nam illa à peccato auocat, ne scilicet grauissima fiat parentibus iniuria; non sic illa pœna sponsalibus adiecta, cum possit inducere ad matrimonium faciendum; quando illud facere sit peccatum.

52 Sed quæres primò, an pater teneatur dotare filiam, eo inuito, ante annum 25. nubentem? Respondetur negatiuè. ratio est, quia quoties possunt parètes filiam exhæredare, possunt etiam eam dote priuare, vt enim docet Euerard. in topicis, loco ab alimentis ad dotem; valet argumentari ab alimentis ad dotem; atqui quoties parentes possunt filium, vel filiam exhæredare, non tenentur ad alimenta; ergo neque ad dotem. Couar. cum multis 4. decret. 2. par. c. 8. §. 6. nu. 17. est ergo multorū sententia, quod quoties parètes possunt filios exhæredare, possint illis alimenta non præbere, quibus autem alimenta negari possunt, etiam dos negari potest.

Sed detur, quod parètes non possint alimenta filijs denegare, eo casu, quo possunt illos exhæredare, adhuc tamen valde probabile est, quod possint dote priuare, cū argumētum ab hereditate, ad dotem sit magis concludens, quam ab hereditate ad alimenta, & ecōrra. Videatur Montalius l. 10. tit. 1. par. 4. Rosalla v. *hereditas* Angelus v. *dos*. Syluest. eodem verbo, Tabiena, & Armilla, ibidem.

53 Quæres secundò, an leges ciuiles pœnam secundò intra annum nubentibus imponentes, iure annullentur caonico? Pro quo nota, in iure ciuili plures pœnas imponi mulieribus secundò nubentibus intra annum luctus. Prima est, quod sic nubentes sint infames l. 1. & 2. C. de secund. nupt. Secūda quod mulier sic nubens vltra tertiam suorum bonorum partem nō possit dare in dotem. Tertia quod vltra eandem tertiam bonorum partem non possit marito relinquere. Quarta quod sit incapax omnium suorum premiarum voluntatum legatorum, & sit expertus bonorum  
omnium

omnium mortis causa relicto-  
rum. Quinta, vt relicta à ma-  
rito in eius suprema volunta-  
te amittat. Sexta vt hæredi-  
tates legitimas sibi ciuili iure  
ab intestato competentes, &  
item honorarias sibi delatas,  
vel relictas, non possit ultra  
tertium gradum vindicare:  
hæ sunt pænæ iure ciuili sta-  
tutæ contra mulierem intra  
annum luctus nubentem. Et  
de his quæritur an canonico  
iure sint sublatae. Goffrid. in  
l. 1. C. de secundis nupt. dicit  
has leges sublatas non esse.  
Nam sicut Ecclesia pœnam  
posuit secundò nubentibus,  
ne nimirum benedicantur, ita  
potuit lex ciuilis dictas pœ-  
nas foeminis secundò nuben-  
tibus imponere. Sed opposi-  
ta sententia quod tales leges  
sint sublatae est magis pia, &  
tenenda, Abb. cap. *fn.* Couar.  
4. decret. c. 3. 2. par. §. 9. nu. 6.  
Nec fundamentum oppositi  
probat, quia secundæ nuptiæ  
non benedicuntur in pœnam,  
sed quia vt docet Magister d.  
42. solemnes benedictiones  
rerum & personarum, vt sunt  
Ecclesiæ consecratio, Altaris,  
& Virginû, exorcismus, cate-

chismus, Ordines, & huius  
generis cetera, iterari nõ de-  
bent, ne vilipendântur; & quia  
benedictio data in primis nu-  
ptijs non perit, vnde benedi-  
ci non debent, altera persona  
benedicta. cap. *Capellansum*, &  
cap. *vir autem*, de secundis  
nupt. vbi ob hoc, sacerdos,  
secundas benedicens nuptias,  
suspenditur. Aduerte tamen,  
quod leges ciuiles, quæ libe-  
rorum respiciunt fauorem,  
non nubentium odium, per ius  
canonicum sublatae non sunt,  
L. *cum foemina*, C. de secundis  
nuptijs, latè Couar. vbi supra.  
Vndè etiam pater, & mater,  
ea quæ consequuntur ex bo-  
nis filij primi matrimonij de-  
cedentis, per auth. *defuncto*.  
C. ad Tert. §. *consequetas*, de  
hæredit. ab intest. cum hodie  
succedant illis in proprietate  
cum alijs filijs, glos. in L. *foe-  
minæ*. Bart. C. de secund. nupt.  
& L. *matre quæ defuncto* C. ad  
Tert. tenentur reseruare alijs  
filijs eiusdem matrimonij, nec  
possunt ea alienare, si ab in-  
testato successerunt, secus si ex  
testamêto, vt quilibet extra-  
neus, auth. *ex testam.* C. de se-  
cundis nuptijs §. *huic nos*. Hæc



tamen intelligi debent, quādo filius ex priori coniuge ea bona percepisset, secus si ab extraneo. Pater tamen qui habet vsumfructum in bonis aduentijs filij, & maternis *L. cum oportet, C. de bon. quæ lib. & l. i. C. de bonis mater.* eo non priuatur, si ad secūdas transeat nuptias *L. fin. C. de*

bon. mater. similiter donatio propter nuptias filijs non debetur, nec donationes reciproca, nec dos, quæ mortuo marito ad vxorē reddit, quæritur prioris matrimonij filijs. *L. si liberis, C. de donat. ante nupt. & L. 3. S. fin. de minor. & L. quod autē, S. si vir. de donat. inter vir. & vxor.*

## Q V A E S T I O VII.

*An consensus clandestinus iure Ecclesiastico sit irritus. Vbi alia traduntur ad hanc materiam intelligendam necessaria.*

94 **S**uppono primò, consensum clandestinū, idest factum in absentia Parochi, & testium, seu matrimonium clandestinum, naturæ iure esse validum. Ita Tridentinum sess. 24. cap. 1. vbi dicitur: *Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata, & vera esse matrimonia, quandiu Ecclesia ea irrita non fecit, &c.* & ratio est, quia ad hoc vt consensus matrimonialis sit validus

naturæ iure, sufficit mutua corporū traditio, & acceptatio, libero cōsensu facta; atqui totum hoc reperitur in matrimoniali consensu clandestino; ergo.

55 Suppono secundò, cōsensum matrimonialem clandestinum non esse eodem naturæ iure illicitum, si præcisè spectetur. Ita D. Thom. q. 44. art. 5. Caietanus tom. 1. opus. tract. 12. q. 2. Sotus d. 28. q. 1. art. 2. Ratio est, quia consensus clandestinus iure naturæ  
non

non prohibetur; ergo naturæ iure non est illicitus. Antecedens patet, nam naturæ ius non prohibet, nisi quæ intrinsecè mala sunt; at non sic cōsensus matrimonialis clādestinus, cum solum ratione adiuncti malus esse possit, ut ostendit D. Thomas; ergo.

56 Suppono tertio, matrimonia clandestina, seu consensus matrimoniales clādestinos fuisse quidē ante Tridentinum prohibita, & mala, non tamen irrita, ita Tridentinum citatum. Vnde ubi Cōcilium Tridentinum non est receptum, matrimonia clandestina non sunt irrita, sed solum prohibita, unde peccāt mortaliter sic contrahentes, matrimonium tamen nullum non est. Illa prohibuit S. Euaristus Papa epist. ad Episcopos Africa, Innoc. III. in Cōcilio Lateranensi, & alij Pontifices.

57 Sed petes, an possit dari casus, in quo qui contrahunt clandestinè, ubi Tridentinum non est receptum, non peccent? Respondetur affirmatiuè: ita Caietanus loco citato, & ratio est, quia quo-

ties aliquid faciendum vetatur solum ratione incommodorum inde sequentium, tunc illis cessantibus, & posita causa sufficienti ad illud faciendum, illud licitè fieri potest, quia tunc ex legis præsumptione sic faciens excusari potest. Vnde ante Tridentinum, & modo ubi non est receptum, excusarentur illi, qui cōmuniter habentur coniugati, & non sunt, & si velent contrahere coram Parocho, & testibus publicarētur, & infamarentur, possent sine vlllo peccato clandestinè contrahere, cum leges humanæ prohibentes, non prohibeant cum infamia, vel alio graui contrahentium incommodo. His positis.

Prima sententia est, Ecclesiam non potuisse clandestina irritare matrimonia. Ita plures hæretici, quorum fundamenta postea referentur, & soluentur.

58 Nōstra sententia sequenti explicatur conclusione. *Ecclesia de facto matrimonia irritauit clandestina: taliter quod, matrimonium factū sine presentia Parochi, vel alterius*

rius Sacerdotis de eius commissi-  
sione, & duobus, vel tribus te-  
stibus sit nullum, & irritum.  
Ita Tridentinum sess. 24. c. 1.  
de reformat. vbi dicitur: *Qui  
aliter quam presente Parocho,  
vel alio sacerdote de ipsius Pa-  
rochi, seu Ordinarij licentia,  
& duobus, vel tribus testibus  
matrimonium contrahere at-  
tentabunt, eos sancta Synodus  
ad sic contrahendum omnino  
inhabiles reddit, & huiusmodi  
contractus irritos, & nullos ef-  
se decernit prout eos presenti  
decreto irritos facit, & annul-  
lat. Insuper Parochum, vel  
alium sacerdotem, qui cum mi-  
nori testium numero, & testes,  
qui sine Parocho, vel sacerdote  
huiusmodi contractui interfue-  
rint, nec non ipsos contrahen-  
tes grauius arbitrio Ordina-  
rij puniri precipit.* Pro quo  
aduerte, contractum dupli-  
citer posse irritari; Primò in-  
directè inhabilitando perso-  
nas ad contrahendum. Sec-  
undò directè annullando, &  
cassando immediatè ipsum  
contractum. His duobus mo-  
dis, Ecclesia, matrimonium  
irritauit clandestinum, indi-  
rectè, inhabilitando scilicet

contrahentes, illis verbis,  
eos ad sic contrahendum inha-  
biles reddit; & directè, annul-  
lando, & cassando ipsum ma-  
trimonij contractum, illis  
verbis, eiusmodi contractus  
irritos ac nullos esse decernit  
prout eos presenti decreto irri-  
tos facit, & annullat. Ex qui-  
bus verbis colliges Ecclesiã  
non irritasse matrimonium  
clandestinum, qua sacramen-  
tum, nisi indirectè faciendo  
quod illa materia quæ alias  
erat sufficiens ad sacramen-  
tum ponendum, modo non  
sit: quomodo autem Eccle-  
sia possit sacramentorum ma-  
terias, & formas variare, de  
sacram. in genere diximus.  
Quod Ecclesia potuerit ma-  
trimonij contractum irritare  
vtrouque modo.

59 Probatur, quia quid-  
quid humanæ subest potesta-  
ti Ecclesiæ, potest ab eadem  
Ecclesia variari, prout magis  
expedire videbitur eiusdem  
Ecclesiæ gubernationi; sed  
matrimonium, qua humanus  
contractus est, Ecclesiæ su-  
best potestati; ergo ab illa  
variari poterit, secundum  
quod magis Ecclesiæ bono

expediet. Si enim ciuilis res publica potest ciuiles irritare contractus, tum personas inhabilitando, tum illos immediatè cassando; non debet hoc Ecclesiae potestati denegari, cum maior, fortiorque sit. Vnde videmus Ecclesiam alios irritasse contractus, vt religiosam professionem ante annum 16. & non expleto nouitiatus anno. Trident. sess. 25. de Regul. cap. 16. Simoniacam beneficiorum commutationem, cap. cum olim, & cap. *questum*, de rerum permutatione. Similiter Ecclesia impedimenta aliqua induxit matrimonium irritantia, vt infra dicetur; ergo: soluuntur argumenta in contrarium.

60 Primum argumentum est, Ecclesia non potest ius naturæ variare; sed matrimonium clandestinum naturæ iure est validum, vt diximus; ergo non potest ab Ecclesia variari, vel mutari, & multò magis annullari; cum enim consensus clandestinus sufficiens sit naturæ iure ad significandum mutuum corporum traditionem, ab Ecclesia irri-

tari non poterit? Respondetur supponendo cum D. Thoma 1. 2. q. 94. art. 5. ad 3. quod dupliciter aliquid dicitur esse de iure naturæ, positiuè, scilicet, & negatiuè, seu permissiuè, illud est de iure naturæ positiuè, quod ratio naturalis dicitur esse absolutè faciendum, vel fugiendum, bonum, vel malum; & in hoc iure naturæ primario variatio esse non potest. Illud vero est de iure naturæ negatiuè, quando natura, vel ratio non dicitur, vel præcipit contrarium fieri, vt est rerum possessio, quæ dicitur de iure naturæ, quia natura contrarium non prohibuit; similiter contractus emptionis, venditionis, & cuiuscumque iuris translatio, de iure naturæ dicitur, licet positiuè sint de iure gentium: & in istis variatio esse potest, vel gentium iure, vel humano, vt videre est in exemplis allatis. Matrimonij ergo contractus dicitur de iure naturæ hoc secundo modo, ac proinde suæ subest mutationi per legem humanam, præsertim Ecclesiasticam,

61 Secundum argumen-  
tum : Quoniam contractus  
annullatio, & idem est de  
cuiuscunque actus annulla-  
tione, poena est ; sed hæc  
non incurritur ante iudicis  
sententiam, ergo nec huius  
annullatio contractus ; quod  
autem annullatio contractus  
poena sit, patet ex cap. *si reli-  
giosus*, de electione in 6. vbi  
dicitur : *& in poenam presump-  
tionis illius, electio eadem,*  
*viribus valetur.* Vbi ut vi-  
des priuatio electionis, quæ  
contractus quidam est, poena  
vocatur. Vide Bart. *L. turpia*,  
ff. de Legat. 1. Responde-  
tur, quod licet aliquando  
contractus annulletur in pœ-  
nam delicti contrahentium.  
Matrimonium tamen clande-  
stinum in pœnam non annul-  
latur, sed propter defectum  
solemnitatis præscriptæ : pro  
quo aduerte, contractum du-  
pliciter annullari posse, vel  
in odium transgredientis le-  
gis prohibitionem ; & tunc  
annullatio poena est, cum in  
delicti ponatur punitio ;  
cum poena teste D. Aug. &  
refertur cap. *pœnis*. de pœni-  
tencia dist. 3. sit *Laeso puniens*,

*& vindicans quod quisque cõ-  
misit.* Vel certè inducitur  
ob defectum solemnitatis nõ  
obseruatæ, quia scilicet cer-  
ta traditur forma, & solem-  
nitas ad ponendum contra-  
ctum, vel actum, qua non  
seruata annullatur. Matrimo-  
nialis ergo contractus ab  
Ecclesia annullatur, non in  
odium contrahentium, sed  
quia formam non obseruant,  
quam illa nouo Tridentini  
iure præscribit.

62 Sed quæres primò, an  
matrimonium clandestinum  
licet nullum sit, & irritum  
vbi viget Tridentinum, va-  
leat tamen saltem vt sponsa-  
lia ? Sunt duæ sententiæ ex-  
tremæ. Prima est Henriquez  
lib. 11. c. 15. & aliorum dicen-  
sium valere vt sponsalia, &  
afferunt sacre Congregatio-  
nis declarationem : & pro-  
bant etiam quia matrimonia  
impuberum nulla sunt, & ir-  
rita, & tamen in sponsalia  
transeunt, vt habetur cap. *uni-  
co*, de despenfat. impub. San-  
chez vero lib. 1. disput. 20 &  
alij dicunt non transire, &  
aliam afferunt Sacre Con-  
gregat. declarationem. Et

rationem assignant, quia dictum matrimonium iure naturæ non est, nec obligat ut contractus sponsalium, quia verba de præsentibus, non continent, nec afferunt obligationem de futuro; neque iure positivo quia nullum est; & hoc adeo verum putant tale matrimonium in sponsalia non transire, vt etiam si impubes illud iuramento confirmarent non transeat. Mihi media via incedendum videtur, per quam illæ duæ sibi que contrariæ S. Congregat. declarationes, concordari possunt: dico ergo, quod illud matrimonium per se, & ratione sui, sponsalium obligationem nõ inducit, vt probat secundæ sententiæ ratio, & sacre Congregat. declaratio; Aliunde tamen talis induci potest sponsalium obligatio, vt si sponsus sponsam violauit, & aliter sponsæ fama conseruari non possit, nisi illam in vxorem ducendo. tunc tale matrimonium in sponsalia transire videtur; ratio etiam reddi potest, quia tunc sic contrahentes, videntur se mutuo dare, & accipere

re totum illud, quod sibi dare, & accipere possunt; ergo cum tunc saltem pro tuenda sponsæ fama possint sibi dare ius remotum in corpora, illud sibi dare censentur.

63. Quæres secundò, an matrimonium clandestinum possit esse (vbi Tridentinum est receptum) aliquando validum? Affirmat Amicus apud Dianam p. 10 tract. resol. 15. in tribus casibus. Primus, quãdo Parochus haberi simpliciter non potest. Secundus, quando Parochus haberi quidem potest, sed cum maximo, vel Parochi, vel contrahentium periculo Tertius quando maxima vrget contrahendi necessitas. Pro primis duobus, sacre Congregat. affert declarationem ad Episcopum Tricaric. Vnde in terris præsertim infidelium vbi Parochus non est, vel haberi non potest, sine magno vel Parochi, vel contrahentium periculo, fieri poterit. Debet tamen eo casu seruari Tridentinum quoad reliqua adhibendo scilicet duos, vel tres testes, & de hoc nulla potest esse diffi-

cultas supposita EE. Cardina-  
 lium declaratione, quia cre-  
 dibile valde est quod Conci-  
 lium cum ista limitatione il-  
 lud decretum cōdiderit, cum  
 ab eius interpretibus id ha-  
 beamus. Maius dubium est  
 de tertio casu, quando scili-  
 cet maxima vrget contrahen-  
 di necessitas, vt si quis esset  
 in mortis p̄riculo, & Pa-  
 rochus vel non est, vel habe-  
 ri non potest, quia periculum  
 est in mora, & aliunde si con-  
 cubinam non ducat & maxi-  
 ma sequetur infamia, & pro-  
 lis illegitimitas, ratione cuius  
 plura sequantur incommoda,  
 v.g. si ciuitas, vel oppidum ad  
 hæreticos esset deuoluendum,  
 &c. Hunc casum cum maiori  
 amplitudine admittit Vera-  
 crux in Apendic. dub. 4. Vega  
 lib. 3. cap. 36. & Martinus de  
 S. Ioan. apud Dianam supra.  
 Sed mihi videtur verius opo-  
 positum, præsertim cum ne-  
 mini liceat Concilij mentem  
 in re grauissima interpretari,  
 & aliunde Concilij determi-  
 natio sit adeo clara. Vnde  
 falsò dicunt aliqui quod vbi  
 Concilium est receptum, &  
 illius statutum contrahentes

ignorant, non solum à pec-  
 cato ob ignorantiam excu-  
 sentur, verum etiam matri-  
 monium validum sit; nam  
 ignorantia excusat quidem à  
 peccato, sed non facit actum  
 esse validum, quando neces-  
 saria non ponuntur solemn-  
 itates.

64 Quæres tertio, an si  
 quis animo contrahendi ma-  
 trimonium, etiam clandestine,  
 vadat ad locum vbi Con-  
 cilium non est receptum, va-  
 lidè contrahat? Responde-  
 tur affirmatiuè, est commu-  
 nis: ratio est, quia contra-  
 ctus sortitur forū loci, in quo  
 celebratur, non in quo cele-  
 brans demoratur, cap. *ultim.*  
*de foro cōpet.* & *L. si fundus*  
*ff. de euictionibus*; & id natu-  
 ralis dicitur ratio, quod vnus-  
 quisque viuat secundum le-  
 ges loci in quo moratur. Idem  
 dicendum est de Christianis  
 habitantibus in terris infide-  
 lium, natis in locis vbi Tri-  
 dentinum obseruatur, nam  
 in illis locis, vel Parochus  
 haberi non potest, vel si ha-  
 beri potest in illis sunt terris,  
 vbi Concilij lege non ligatur.

65 Quæres tertio, an va-  
 lidum

lidum sit matrimonium coram Parocho non specialiter vocato, sed casu transeunte. Hic casus paucis ab hinc annis in quadam Longobardiæ ciuitate contigit, expectarunt contrahentes cum duobus testibus, quod Parochus ante ianuam suæ domus transiret, & tunc matrimonium celebrarunt; de quo matrimonio dubitatum fuit an validum fuerit, & decisum fuit affirmatiuè; sicut etiam in alia facti contingentia decisum fuit Mediolani, & Romæ, vt testatur Bossius *de matrim.* c. 3. Quia tamen pro parte contraria aliquæ afferuntur Cardinalium declarationes, vt videre est apud Farinacium, dicendum est illas intelligi debere quando Parochus casu præsens, non intellexit, vel potuit suspicari rem non ageretur, Bossius supra.

66 Quæres quartò, an sit validum matrimonium, quando nec Parochus, nec testes contrahentiũ consensus percipiunt per se, sed solum per interpretem? Respondetur affirmatiuè. Ratio est, quia id quod est sufficiens vt con-

trahentes suos percipiant consensus, est etiam sufficiens vt à Parocho, & testibus percipiantur; sed cõtrahentes sufficienter, sibi mutuos, per interpretem, manifestant consensus; ergo per eundem interpretem, sufficienter manifestari poterunt Parocho, & testibus. Confirmatur, quia interpretes non ponit in numero cum contrahentibus, sed eius censetur instrumentum, & organum; ergo quod per illum manifestatur, manifestari dicetur per contrahentes.

67 Quæres quintò, an ille, qui Parochus non est, pro eo tamen habetur, validè matrimonio assistat? Conueniunt omnes, quod quando in Parocho, est communis error, & titulus coloratus, tunc valida ponat acta: explico. Parochus beneficium obtinuit Parochiale, sed inualidè, quia excommunicatus; vel irregularis erat; vel si validè, eo tamen postea priuatus fuit, vel à iure, vel per sententiam, sed adhuc beneficium retinet; & ex alia parte est error cõmunis vul-



gi putantis ipsum verum Parochum esse. Tunc certum est eius acta valida esse, ac proinde matrimonium cui assistit validum erit, si cetera adsint, iuxta legem *Barbarius Philippus* ff. de offic. Præt. & c. *insanis* 3. q. 7. Cuius ratio est, quia ius propter vitanda scandala, & inconuenientia graui, quæ ex actu nullitate oriri possunt, potestatem, & iurisdictionem tribuit illis, qui communiter illam habere probabiliter censentur. Et sic ille Parochus tunc temporis & validè matrimonio assistit, & validè absoluit, &c. Secus esset in casu quo Parochus ille haberet solum titulum, tunc enim eius acta valida non essent, cum communiter non habeatur vt Parochus, nec tunc scandala oriri possunt, nec inconuenientia; licet aliqui non omnino improbabiler admittant hoc respectu illorum, qui bona fide ad illum accedunt. adest namque tunc in Parocho titulus, adest error, non quidem communis, sed huius vel illius particularis, & licet in hoc publica non orian-

tur scandala, & inconuenientia; oriuntur tamen priuata; unde secundum hanc sententiam si quis habeat Parochi titulum, sed nullum, & communiter non habeatur vt Parochus, habetur tamen ab isto, qui bona fide accedit, ad Poenitentiae sacramentum petendum, vel vt suo assistat matrimonio, ne isti actus cum graui petentis damno nulli sint, pia mater Ecclesia illos sustinet, sufficientem conferendo iurisdictionem. Si vero in Parocho communis error detur, sed non titulus, quia est intrusus, probabilis sententia est, eius acta esse sustinenda. Ita Pontius hic lib. 5. cap. 20. & alij plures, & ratio est, quia si præscriptio, & consuetudo iurisdictionem tribuunt, à fortiori illam tribuere debet communis populi error, cum consuetudinem contineat, & præscriptionem *arg. tex. in Auth. de Tabellionibus*, seu nouella 44. cap. 1. *fn.* vbi etiam pro hac sententia dicitur: *Documentis propter utilitatem contrahentium non infirmandis: quippe utilitati publicè maxime*

*mè expedit, ne gesta ab eo, qui communiter potens existimatur, inualida sint, cum Respublica defectum supplere possit.* Confirmatur, quia motuum vitandi scandali, & inconuenientia, quod à lege intenditur, ita habetur quando simul cum communi errore adest titulus coloratus, ac quando communis error sine tali titulo datur; ergo idem est asserendum, & sic patet ad dubium propositum.

68 Quæres sextò, an matrimonium validum sit, cui assistit sacerdos de venia Parochi, sed illa licentia dolo, vel metu extorta est? Circa licentiam dolo, vel mendacio obtentam, nota; dupliciter dolum, vel mendacium posse se habere circa istam licentiam. Primò, vt verferetur circa substantiam illius, seu sit illius causa finalis, vt si quis petat à Parocho nomine Cardinalis alicuius, vel principis, seu magnatis, vt licentiam faciat tali sacerdoti assistendi matrimonio, & hoc à petente fingatur, vt sic à Parocho talem licentiam

obtineat, quam sine hoc dolo, vel mendacio non obtinisset, quia Parochus ob solam Cardinalis reuerentiam illam licentiam dedit, ita quod falsa Cardinalis existimatio talem licentiam petentis, sit vnica, & totalis causa finalis, & totum motuum concessionis; & tunc patet illam licentiam esse nullam, cum causa finalis illam concedendi, non subsistat, & sic deest sufficiens consensus, cum Parochus illam licentiam faciat ob illam causam, quæ cum non sit, nec consensus in illam licentiam erit. Secundò dolus, vel mendacium potest esse solum causa impulsiva, & tunc licentia dolo, vel mendacio extorta valida erit, quia autem hoc semper supponitur, quia non est credibile quod Parochus velit suam licentiam irritam esse, & nullum esse matrimonium ex illa factum; propterea directè respondendo ad dubium propositum dico absolutè tale matrimonium esse validum.

## Q V A E S T I O V I I I :

*Resoluntur aliquae difficultates de assistentia  
Parochi, & testium, ut validus ponatur  
matrimonialis consensus.*

69 **N**E nimia quaestio-  
nis praecedentis lon-  
gitudine, lectorem taedio af-  
ficerem, placuit illam diuide-  
re, & aliquas difficultates ad  
praesentem quaestionem trans-  
ferre. Prima ergo difficultas  
est, an quilibet Parochus pos-  
sit matrimonio assistere? Re-  
spondetur quod non, sed solū  
Parochus domicilij contra-  
hentium, vel quasi domicilij.  
Domiciliū contrahitur, quan-  
do quis in tali habitat loco,  
vel habitare incipit animo  
perpetuo ibi manendi, ut in  
tractatu de Ordine explicui-  
mus; & Parochus istius domi-  
cilij in omnium sententia va-  
lidè matrimonio assistit. Quasi  
domicilium contrahitur, quā-  
do quis in aliquo loco incipit  
habitare animo manendi per  
anni medietatem, plus, mi-  
nus, & Parochus istius quasi  
domicilij ex communiori sē-

tētia validè matrimonio assi-  
stit. Et quia quis habere po-  
test domicilium in vno loco,  
& quasi domicilium in alio,  
vtriusque Parochi assistentia  
ad matrimonium faciendum  
sufficiet. Aduerte tamen, ab  
aliquibus nō iudicari impro-  
babilem, sed probabilissimā  
Pontij lib. 5. cap. 7. Sa v. Paro-  
chus nu. 2. & aliorum senten-  
tiam; quod ad hoc ut quis  
Parochus matrimonio assi-  
stat, modica sufficiat habita-  
tio. Vnde qui extra proprium  
domicilium minori tempore,  
quā requiratur ad quasi do-  
micilium manet, tunc cense-  
tur manere tanquam hospes,  
quā habet animum cito re-  
deundi, tamen in ordine ad  
matrimonium ibi contrahen-  
dum, sufficiet illius loci Paro-  
chus. Imò secundum Pontiiū  
sufficiet ille Parochus, quo  
quis se diuertit recreationis  
causa:

causa: Vnde secundum hanc sententia si vir, & mulier Romani vadant causa recreationis Viterbium poterunt in illa Parochia in qua hospitantur matrimonium facere. Imò si vir, & mulier Parochiæ Sanctæ Susannæ, vel vir, qui est de Parochia Sanctæ Susannæ, & mulier, quæ est Parochiæ S. Laurentij in Lucina vadant ad Sanctum Petrum causa recreationis, vel deuotionis, ibi poterunt matrimonium facere, assistente D. Petri Parocho. Et ratio est, quia S. Petri Parochus, censetur contrahentium proprius, ratione subiectionis ad illum. Mihi tamen hæc sententia reicienda videtur, cum non solum sit contra praxim omnium Ecclesiarum, verum etiam quia Concilij verba nimis extorquet, cum velit Concilium proprii Parochi assistentiam; in omnium autem sententia, Parochus Sancti Petri, non est proprius pastor viri, & mulieris habitantium in Parochia Sanctæ Susannæ, & solū recreationis, vel deuotionis causa ad Sanctum Petrum vadunt. Puto tamen probabilem Sā-

chez lib. 3. disput. 19. & aliorum sententiam, qui dicunt, quod quando contrahentes sunt duarum Paræciarum v.g. vir est de Paræcia Sanctæ Susannæ. & mulier est de Paræcia S. Laurentij in Lucina & matrimonium celebratur in Parochia S. Susannæ, possit assistere, & sufficiat, vel Parochus Sanctæ Susannæ, vel Parochus S. Laurëtij in Lucina. Licet optimum consilium sit, quod sēper assistat Parochus illius Paræciæ vbi matrimonium celebratur, quia licet in eo casu assistat proprius Parochus vnius contrahentium, quod est sufficiens, tamen æquitas requirere videtur ne Parochus suum Parochianum sequatur ad matrimonium in aliena Parochia ad faciendum; vel certè ad maiorem pacem componendam & faciendam inter Parochos, vterq; Parochus assistere poterit.

70 Secunda difficultas, an Parochus, vt valide matrimonio assistat, debeat esse sacerdos? Respondetur negatiuè, est communis sententia. Ratio est, quia matrimonium

monium sufficienter Ecclesie constare potest per Parochum non sacerdotem; & colligi videtur ex Concilij verbis dum dicit, *Qui alio quam presente Parocho, vel alio sacerdote: vbi alio non denotat in persona cui adiungitur similem qualitatem; alioqui dum Luc. 23. dicitur. Ducebantur autem, & alij duo nequam cum eo.* similis qualitas supponeretur in Christo, quod est hæreticum. Et licet antiquo iure Parochus, qui matrimonio licitè debebat assistere, vt patet ex 30. q. 5. deberet esse sacerdos, modo tamen non sic, cum tale ius per Tridentinum sublatum censeatur. Vnde modo Parochus nondum sacerdos, & validè, & licitè matrimonio assistere potest. Nō sic ille, qui ex Parochi venia assistere debet, nam Tridentinum expressè vult illum debere esse sacerdotem.

71 Tertia difficultas, an Parochus excommunicatus non toleratus, quia est iam denunciatus, vel est publicus clerici percussor, qui nulla potest tergiuersatione suū

crimen celare, possit matrimonio assistere, & alteri licentiam concedere? Respondetur affirmatiuè, est cōmunis Theologorum sententia, & ratio est, quia neque assistentia, neque concessio assistendi sunt actus iurisdictionis; ac proinde non priuatur per excommunicationem; non enim Parochus assistit vt iudex, sed vt testis, & spectator, vt possit de eo testificari Ecclesie; nec licentia concessio est actus potestatis Parochi, sed facultatis sibi à Tridentino concessæ. Vnde Parochus excommunicatus non toleratus, non solum validè assistit, verum etiam licitè, quia licet tunc communicet, excusatur tamen à peccato communicationis, ratione matrimonialis assistentiæ, Quod si Parochus ab Episcopo prohibeatur assistere, illicitè, validè tamen assistet. Aduertè hic quod hanc assistendi licentiam, potest facere omnis Parochus, etiam ille, qui non est verus Parochus, quia est intrusus, vel est titulo priuatus, ex communi tamen errore Parochus

repu-

putatur. Similiter & assistere, & assistendi licentiam concedere potest Parochus amovibilis, quia Concilium absolute loquitur, & ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.

72 Quarta difficultas, an alij præter Parochum possint matrimonio assistere, & assistendi licentiam concedere? Responderetur affirmatiue, & sunt Pontifex pro tota Ecclesia, & Episcopus pro sua diocesi. Abbates item Ecclesiarum nulli Episcopo subiectarum, quia isti sunt respectu Ecclesiarum illarum Ordinarij. Item Capitulum sede vacante, cum succedat Episcopo in ordinaria iurisdictione, cui potestas assistendi matrimonio, & illam delegandi annexa est. Similiter Legatus à latere in sua delegationis Provincia, quia in ea est Ordinarius, ex cap. 2. de offic. delegat. in 6. Tandem Cardinales in propriarum titulis Ecclesiarum, ubi sunt Ordinarij, imò & immediati Parochi: de Archiepiscopo dico, solum in duobus casibus, in tota Provincia & assistere posse matri-

monio, & veniam assistendi concedere. Primus, dum provinciam visitat, quia eo tempore iurisdictionem habet ordinariam: & secundus quando suffraganeus non vult maritaliter aliquos coniungere, & ad ipsum via appellationis recurrunt. Extra hos duos casus nec assistere, nec assistendi veniam concedere potest suorum subditis suffraganeorum. De Vicario Generali Episcopi dubitat Ledesma q. 45 art. 3. par. 3. dub. 4. nisi specialem ab Episcopo habeat de hoc commissionem, sed dicendum est, & assistere posse, & licentiam assistendi concedere Ratio est, quia Vicarius Generalis cum vnam faciat cum Episcopo personam, vnumque tribunal cap. Romana, de Appellat. in 6. potest id exequi, quod potest Episcopus, nisi specialiter ei vetetur, vnde nomine Ordinarij venit.

73 Quinta difficultas, an Curatus Ecclesie maioris, seu matricis, seu cathedralis possit assistere matrimonijs totius diocesis! Hic vnum certum est, & practicitur, quod

Archipresbyter, vel Parochus Ecclesiæ maioris, non vadat ad alias Parochias, ad matrimonialiter coniungendos parochianos illarum, neque etiam propriæ Parochiæ; cum hos in propria debeat coniungere Parochia, non in aliena. Id de quo paucis ab hinc annis dubitatum fuit est ob casum occurrentem, an quando Parochiani alicuius Parochiæ nolunt matrimonio coniungi à proprio Parocho ob inimicitias cum illo, nec volunt humiliari petendo veniam, ut alteri Sacerdoti assistendi facultatem faciat, possint ire ad Ecclesiam maiorem, & ab illius Curato matrimonialiter coniungi. Plures non improbabiler affirmabāt, quia sicuti possunt omnes de civitate satisfacere Ecclesiæ præcepto de communione Paschali, communicando in Cathedrali, quia illa est communis dioecesanorum omnium mater, & illius Archipresbyter, est superior respectu omnium Parochorum totius diocesis, ita cæsetur proprius parochianorum, aliarum Parochiarum Parochus. Nihilomi-

nus oppositum est certius, & usu practicatur, nam Cathedralis Parochus solum Cathedralis eiusdem parochianos coniungit, non alios.

74 Sexta difficultas, qualis licentia requiratur in Sacerdote ut validè assistat matrimonio? Dico primò non requiri licentiam specialem, sed sufficere generalem, illam scilicet, qua Parochus, alicui sacerdoti facultatem concedit Parochi officium exarcèdi; nam Tridentinum hac licentia videtur esse contentum, cum aliam specialem non requirat, neque est necesse licentiam siue generalem, siue specialem esse scripto datam, sed sufficit, quod verbis largiatur, ut omnes tradunt. Sed dices quod ea quæ speciali nota sunt digna, non censentur in generali concessione concessa; sed licentia assistendi matrimonio est speciali nota digna; ergo non censentur concessa in illa generali concessione? Respondetur namque, quod ea quæ speciali nota sunt digna, tunc censentur ommissa, & non concedi in generali concessione, quã-  
do

do in illa generali concessio-  
ne non censentur cōcedi spe-  
cialiter, vel modo æquivalēti  
speciali, at in nostro casu cō-  
cessio assistendi matrimonio,  
censetur vel specialiter, vel  
modo æquivalenti speciali  
concessa, cum hæc in illa ge-  
nerali includatur, cum non  
possit quis parochi officium  
absolute exercere, nisi etiam  
matrimonio assistat. An vero  
sufficiat illa licentia, qua Pa-  
rochus alicui dicit face doti,  
*do tibi facultatem omnia sacra-  
menta in mea Parochia mini-  
strandi*; Negat Coninchus  
& alij, quia assistere matri-  
monio, non est sacramenta  
administrare; sed sacramen-  
to assistere. Sed verius affir-  
mat Pontius cap. 29. Quia li-  
cet assistere matrimonio non  
sit sacramentum ministrare,  
tamen ex communi loquen-  
di modo, illa Parochi assistē-  
tia censetur sacramēti admi-  
nistratio, nec in licentijs con-  
cedendis, cū sint fauores, de-  
bemus ad difficultates Theo-  
logicas, neq; ad illarum for-  
malitates attendere, sed ad  
communem loquendi modū.  
Aduertunt Sanchez, Basilius,

Coninchus, & alij hoc loco,  
sufficere licentiam tacitam,  
seu ratihibitionem de præ-  
senti, qua Parochus videt sa-  
cerdotem aliquem matrimo-  
nio assistere, & cum possit lo-  
qui, non loquitur, quia eo  
casu talis taciturnitas videtur  
sufficiens signum externum  
voluntatis, seu licentiæ Pa-  
rochi.

75 Septima difficultas,  
quis sit proprius vagabundo-  
rum Parochus? Vagabundi  
dicuntur qui nullum firmum  
habent domicilium, ac subin-  
de nullum firmum, ac certū  
Parochum. Sanchez lib. 3. di-  
sput. 25. & alij dicunt, quod  
cum vagabundi nec propriū  
habeant domicilium, nec Pa-  
rochum, possunt matrimonio  
coniungi per quemlibet Pa-  
rochum. Alij volunt debere  
id fieri à Parocho cathedra-  
lis Ecclesiæ, quia iste cense-  
tur proprius vagabundorum  
Parochus. Mihi tamen verior  
videtur Petri Soti lib. 5. de  
consententia, quod vagabū-  
dorū parochus à quo & alia,  
& hoc sacramentum vagabū-  
di recipiant, sit ille, in cuius  
parochia tunc demorantur,



vel hospitantur. Hoc firmat  
 praxis, nam cum isti ægrotāt  
 non à quolibet Parocho sa-  
 cramenta recipiunt, sed ab il-  
 lo in cuius parochia moran-  
 tur. Si enim vt dicit Sa verbo  
 Parochus 2. illi qui vagabū-  
 di non sunt, sed alibi propriū  
 habent domicilium, ibi debēt  
 sacramenta recipere, vbi ha-  
 bitant, & vt recipiant matri-  
 monium modica ibi sufficiat  
 habitatio; multo magis id di-  
 ci debet de vagabundis. Ad-  
 uertere tamen debet Paro-  
 chus, quod antequam illorū  
 assistat matrimonio, debet de  
 illis maximam facere inqui-  
 sitionem de re, statu, & con-  
 ditione illorum, deinde rem  
 Ordinario deferre, & ab illo  
 assistendi licentiam obtinere,  
 ne fraus intercedat, vt aliquā.  
 do obseruauī. Videatur Tri-  
 dentinum sess. 24. cap. 7.

76 Octaua difficultas, an  
 validè matrimonio assistat sa-  
 cerdos, qui assistendi licentiā  
 habēt, illam tamen ignorat?  
 Certum est secundum omnes  
 ferè Theologos, quod sacer-  
 dos cui licentia concessa est,  
 non tamen nomine suo peti-  
 ta, & obtenta, sed à Parocho

sive sua spontè, siue ab alio  
 rogato, non possit, quandiu  
 eam ignorat, validè matri-  
 monio assistere, quia tunc li-  
 cet licentia data sit, non est  
 tamè acquisita, cum nec ipse  
 acceptauerit illam, nec alius  
 ipsius nomine. Difficultas pre-  
 sens est, an quando sacerdos  
 licentiam habet suo nomine  
 petitam, v.g. per nuncium, vel  
 epistolam, & concessam, &  
 ab eodem nuncio, vel ab alio  
 suo nomine acceptatam, hoc  
 tamen ignorat sacerdos, an  
 tunc si assistat sic, validè assi-  
 stat? Affirmat probabiliter  
 Sanchez disput. 36. Conin-  
 chus 27. dub. 3. quia vt docet  
 Syluester v. priuilegiū, & alij  
 plures, vsus priuilegij, vel cō-  
 cessionis, vel dispensationis  
 eo casu valet; ergo etiam in  
 hoc casu talis vsus valebit,  
 talis namq; licentia tunc non  
 solum est data, verum etiam  
 acceptata, & acquisita ipsi pe-  
 tenti per nuncium, vel epi-  
 stolam rescribentis. Meum  
 sit iudicium; talis sacerdos sic  
 assistens per licentiam sic ac-  
 quisitam, quandiu eius noti-  
 tiam non habet, validè, sed  
 non licitè assistit, nisi ex ali-  
 qua

qua circumstantia excusetur, quia v. g. periculum est in mora, eo quod si responsio expectetur, infirmus morietur; unde tunc poterit matrimonio assistere, quando iudicabit nuncium, vel epistolam peruenisse, & parochum licentiam concessisse. Quapropter iudicavi ex hac doctrina, quædam prouincialem cuiusdem religionis, non potuisse punire Priorem, qui vsus est Generalis dispensatione, antequam eius notitiam haberet, non tamen antequam concederetur. Obserua hic vnum quod, nimirum licentia semel data ad assistendum matrimonio, potest ad libitum concedentis reuocari, non censetur tamen sufficienter reuocata, quandiu reuocatio non intimatur, siue per nuncium, siue per epistolam, nec sufficit aliunde nosse talem reuocationem; quod pro alijs similibus reuocationibus obseruari debet. Videatur Sanchez, Coninchus, & alij hoc loco.

77 Nona difficultas, an sufficiat licentia per vim & metum extorta? Diximus quæstione præcedenti, & ex-

plicuimus, Parochum dolo, & fraude matrimonio assistentem, imò etiam vi, validè assistere, quia Tridentinum assistentiam non requirit humanam, qua scilicet liberè, & voluntariè assistat, sed talem requirit assistentiam, quæ sufficiat ad testificandum de matrimonio; assistentia autem coacta, tum Parochi, tum testium sufficere potest ad testificandum, cum coactio, vis, & metus, non tollant (vt suppono) aduertentiam. Modo quæritur, an idem dicendum sit de licentia Parochi: num scilicet vi, metu, dolo, fraudè, &c. concessa sit valida? Aliqui volunt non sufficere, & rationem assignant, quia talis licentiæ concessio, est quædam liberalis donatio, sed donatio non liberalis, sed vi extorta est inualida; ergo etiam illa licentiæ concessio. Nihilominus verior est Sanchez & aliorum sententia, quod valeat. Ratio opposita est, quia illa licentiæ concessio, non est alicuius rei donatio, quæ fiat illi cui licentia datur, sed est quædam facultatis

tis concessio ad assistendum matrimonio, de cuius facultatis cōessione non est; quod liberaliter detur, vt est de donationis ratione, sed sufficit, quod quoquomodo detur.

78 Decima difficultas, qualis conditionis debeant esse illi duo, vel tres testes, qui ex Concilij dispositione ad matrimonij valorem requiruntur? Aliqui volunt debere esse omni exceptione maiores, hoc est omni defectu carentes, & tales quales à iure ad testificandum requiruntur, vt enim ad testificandum de matrimonio soluendo testes maiores requiruntur, vt constat *ex cap. 1. de Consanguinitate*, idem requiratur ad matrimonium faciendum, cum non minor requiratur solemnitas in matrimonio faciundo, quam in eo soluendo. Nihilominus vera sententia tenet, non requiri, quod testes sint omni exceptione maiores, sed sufficiet quæcunque persona vsu rationis prædita, siue masculus sit, siue foemina; siue vir, siue puer, &c. Et ratio est, quia

iure nullo hoc cauetur, non Tridentini vt patet, neque alio antiquiore, vt constat. Nec ratio opposita probat, maior nãque solemnitas requiritur ad matrimonium soluendum, quam ad ei assistendum, vt etiam patet de alijs negotijs assistentibus, præsertim cum simus in materia adeo fauorabili, qualis est matrimonij celebratio, cui iura omnia deferunt.

79 Vndecima difficultas, quam intentionem, & attentionem habere debeant Parochus, & testes matrimonio assistentes: Sanchez disput. 39. n. 5. vult quod ad assistendum matrimonio in Parocho, & testibus actualis requiratur intentio, & attentio. Sed distinguendum est; si de intentione loquamur, dico in assistentibus nullam requiri intentionem, neque habitualem; imò validum esse matrimonium, si assistentes non solum non habeant assistendi intentionem, sed etiam si contrariam habeant. Ratio patet ex dictis, quia solum id requiritur in assistentibus ex Tridentino, quod est sufficiens

ficiens ad testificandum de matrimonio, cui assistunt; at qui ad hoc nulla requiritur intentio; ergo. Minor patet, nam quis potest testificari de re quam nullo modo intendit, sed fieri obseruat; propterea diximus difficultate 9. valere licentiam assistendi, etiam per vim extortam. Vnde qui videt fieri homicidium potest de illo testificari, etiam si non solum non intendat, verum etiam si nollet vlllo modo fieri. Non sic contrahentes, nam in his saltem virtualis, vel habitualis intentio requiritur, vt disput. 4. dicitur.

80 Quod si loquamur de attentione, quæ est aduertentia intellectus, dico requiri actualement, qua, medio aliquo sensu aduertit quid fiat vt testificari possint, licet enim in sacramentis conficiendis virtualis sufficiat attentio, hic tamen actualis requiritur, cum assistentes debeant taliter attendere vt testificari valeant, quod cum sola attentione virtuali fieri nequit, qui enim virtualiter solum attendit, & actualiter

est distractus, nescit quid fiat, & perinde est, ac si absens esset. Vnde sicuti in sacerdote confessionem audiente, non sufficit attentio virtualis, sed actualis requiritur, quia vt iudex assistit, vt iudicare valeat; ita quia Parochus, & testes assistunt vt testificari possint, actualement habere debent attentionem; an autem hoc idem de contrahentibus dicendum sit, de sponsalibus dicitur.

81 Duodecima difficultas, quibus poenis puniri debeat Parochus, qui matrimonio sine alijs testibus assistit? Tridentini iure sess. 24. cap. 1. disponitur Parochum, vel alium sacerdotem, absque alijs testibus assistentem grauius puniri debere Ordinarij arbitrio, idem dicit de testibus, qui sine Parocho, vel alio sacerdote de parochiæ matrimonio assistunt. Iure tamen antiquo, vt patet cap. *fin.* de Clandest. desponsat. parochus, vel alius sacerdos assistens matrimonio clandestino, idest sine alijs testibus, triennio ab officio suspenditur, quæ suspensio non est

est ipso facto, cum verbo utatur illo *suspendatur*. De qua dubitatur, an per Tridentinum cessauerit, Aliqui namque volunt non cessasse. Verius tamen, & rationabilius dicendum est, cessasse. Ratio est, quia quando in lege noua mitior imponitur poena, quam esset in lege antiquiori, praesertim quando delictum est factum minori poena dignum, cum minus sit reipublicae perniciosum, poena antiqua cessare censetur; atqui hoc in nostro casu contingit, nam in canone citato poena triennis suspensionis imponebatur, modo nulla determinata, sed Ordinarij arbitrio determinanda; delictum modo minus est perniciosum, quia matrimonium est nullum, tunc autem validum erat, & plura inconuenientia ab illo sequi poterat; ergo, &c. Statuit etiam idem Tridentinum eodem cap. i. quod parochus, vel alius sa-

cerdos etiam regularis, qui ausus fuerit alienos coniungere parochianos, absque proprii licentia, & similiter illos benedicere; ipso iure suspensus maneat, donec ab Ordinario parochi proprii, absoluetur. Ex quo iure colligitur corrigi, & cassari excommunicationis poenam, contra religiosos matrimonia solemnizantes Clem. i. de priuilegijs, quod etiam sacra Cardinalium Congregatio declarauit teste Hurtado disput. 5. diffie. 17. & alij.

82 Decimatertia difficultas, quas poenas incurrant contrahentes clandestinè, hoc est sine parochio, & testibus. vel cum solo parochio, vel cum solis testibus? Respondetur ex Tridentino supra, sic contrahentes grauiet puniri debere Ordinarij arbitrio. In aliquibus dicecesibus ipso facto excommunicationis poena fulminatur.



Q V A E S T I O IX.

*An consensus matrimonialis ex metu, vel coactione factus, sit validus.*

83 **T**imor, metus, vis, & coactio quātum ad praesens attinet in idem recidunt; cum enim nulla creatura, humanam cogere possit voluntatem, & facere quod cōsensum ponat vi absoluta, absolutaque coactione, sed solum vel exterius vim inferendo, compellendo, percutiēdo, vel minando, seu timorem incutiendo, sequitur idem esse consensum maritalem poni ex timore, vel metu, vi, & coactione; & sic, quod dicetur de metu, dictum intelligi debet de timore, vi, & coactione. Ut ergo rem hac facile percipias, aduerte ex prima secundę q. 6. art. 6. nullum metum humanam cogere posse voluntatem, & sic quidquid metu compulsus volumus, liberē volumus, & voluntariē, licet secundum quid illud nollimus: Quod ex metu volumus absolutē, & secundum se nobis displicet, hic ta-

men, & nunc, in his circumstātijs placet: Hinc cap. maiores, de Baptismo. *Sicem queritur, dicitur quod ea que metu compulsus volumus, conditionaliter volumus, & absolutē nollemus, quia ea solum volumus, prout presentibus subsunt conditionibus.*

84 Aduerte etiam, metū triplicem esse, cadentem scilicet in virum constantem & vocatur grauis, cadentem in virum incōstantem, & meticulosum, & vocatur leuis, quia vir constans eo moueri non solet, & reuerentialis. Metus grauis, malum graue respicit, non absolutē, sed comparatiuē, nā id quod est malum graue respectu foeminae, pueri, viri plebei, rudis, & vilis conditionis, qui facildē terrentur, leue reputabitur respectu magnanimi: vnde patet non bene dicere Sanchez lib. 4. disput. 2. quod malum, quod metum grauem facit, debeat

in se esse graue, cum euidens valde sit, quod id quod graue reputatur à foeminis, parui momenti reputetur à constāntis animi viris. Nō sufficit tamen ad metum, quod malum graue reputetur ex leuitate animi, sed prudentialiter, attempta personarum cōditione. Assignat Sánchez 5. conditiones ad hoc vt malum graue reputetur. Prima est vt malū sit graue. Secunda vt timens illud, prudenter, siue probabiliter credat illud sibi imminere. Tertia vt is qui malum minatur sit potens inferre illud. Quarta, vt non soleat vanē, & sine effectu minas iactare. Quinta, vt metuens non possit facile illud depellere, quia si facile posset illud euadere, nulla esset metuendi causa. Sed quinque iste conditiones ad duas facile reuocari possunt; nam tertia, quarta, & quinta in secunda continentur, qui namque prudenter, seu probabiliter credit illud malum quod minatur imminere, credit, quod qui minatur est potens inferre, & non solet vanē minas iactare. & non potest facile illud vita-

re. Malum graue, sunt metus mortis, vel grauis cruciatus. cap. cum dilectus, de his quæ vi. Metus seruitutis, aut alterius rei, qua perdita, merito seruitus timeri potest L. ego puto, & l. isti quidem, ff. de eo, quod metus causa. Metus carceris, L. qui carcerem, eodem titulo; metus captiuitatis, & exilij. Metus stupri, siue à viro, siue à foemina timeatur, citata L. isti quidem. Metus grauis infamiae, aut amittendi honorificum statum. Metus amissionis omnium bonorū, vel etiā notabilis partis, sine namque bonis vita incommodē valde agitur; similiter metus amissionis magni lucri, & boni beneficij, L. fin. §. 2. ff. de eo quod metus causa. Metus etiam iniustæ excommunicationis, suspensionis, &c. Non est autem necesse, quod prædicta mala sibi timeantur, sed sufficit, quod vel sibi, vel liberis, vel parentibus, vel vxori, vel etiam amico, & cuiunque alteri tanta necessitudine coniuncto, vt mala illius, vt propria apprehendantur: ita communiter ex L. isti quidem, §. ff. quod metus causa.

Metus

85 Metus grauis, iam explicatus, dupliciter incuti potest, ab intrinseco, & ab extrinseco. Metus ab extrinseco dupliciter incutitur: *directè*, & in hunc finem, vt si quis mulieri mortem minetur, nisi illū in maritum accipiat; *indirectè*, & non in hunc finem, vt si quis in fornicatione deprehensus, vt supplicium vitet, illam in vxorem ducat. Metus *directè*, in hunc finem incussus adhuc dupliciter inferri potest. Primò iustè, vt si iudex aliquem cogat sub pœna mortis, vt illam ducat, cui fidem dedit, vel cum qua carnalem copulam habuit. Secundò iniustè, vt si quis cogat aliquem, ad aliquam ducendam, quam incutiens metum deflorauit, vt delictum occultum maneat, &c. His positis sit.

86 Prima conclusio: *consensus matrimonialis positus ex metu graui ab intrinseco proueniens matrimonium validum ponit, si cetera adsint.* Hæc conclusio ab omnibus admittitur. Vnde si quis nullo impellente, ex metu grauis infirmitatis, vel mortis, &c

consentiat in matrimonium alias non consensurus, vt facit concubinarius, dum in mortis periculo concubiam in vxorem ducit, validum facit matrimonium. Si enim iste metus ab intrinseco incussus non annullat votum, neque matrimonium annullabit.

87 Secunda conclusio. *Consensus matrimonialis elicited ex metu graui incusso ab extrinseco, & non in finem matrimonij, matrimonium facit, si cetera adsint.* Hæc etiã conclusio omnino certa est, & ab omnibus admittitur. Si cut etiam votum hoc modo factum tenet; vt si quis alicui mortem minetur; & iste vt mortem euadat facit votum, vel ducunt Bertam per quam mortem euadit, & votum, & matrimonium valent.

88 Tertia conclusio. *Consensus matrimonialis per grauem metum elicited, & ab extrinseco incussus, & in finem matrimonij, sed iustè est validus.* V.g. si pater reperiat iuuenem cum filia fornicantem, & minetur se eum ad iudicem delaturum, nisi filiam in vxorem ducat, tunc si iuuenis ille cõ-



sentiat, vt talem ad iudicem fugiat delationem, matrimonium tenet. Est communis sententia. Probatum quia votū factum ob talem metum tenet, vt patet ex cap. *de regularibus*, extra de simonia; ergo etiam matrimonium. Consequenter probatur, quia nō minor libertas requiritur ad matrimonium quam ad votum; imō maior libertas requiritur in voto solemnī, quam in matrimonio, quia iura maiorem ætatem, & perfectiorem iudicij discussionem, ad illud votum requirunt, quam ad matrimonium; ergo &c.

89 Quarta conclusio. *Cōsensus matrimonialis factus ex metu graui incussio ab extrinseco ad hunc finem, sed iniuste matrimonium facit nullum, & hoc solo iure Ecclesiastico.* Hęc cōclusio patet ex cap. *veniens* ex cap. *significauit*, extra, de eo qui duxit in matrimonium. Quod hęc matrimonij nullitas ex solo iure procedat Ecclesiastico probatur, quia ille metus non irritat iure diuino; nec naturali ceteros contractus; ergo nec matrimonium. Antecedens ostenditur, quia

iure naturæ, & diuino non requiritur minor libertas ad se obligandum diabolo per peccatum, quam ad se obligandum homini per matrimonium. Rursus non minor requiritur libertas ad recipiendum Baptismum, quam ad matrimonium ineundum; sed ad se obligandum diabolo per peccatum mortale, & ad suscipiendum Baptismum, sufficit ille metus, ergo etiam ad matrimonium iure naturæ sufficiet. Quare autem Ecclesia matrimonij contractum ex tali metu factum irritauerit, sicuti etiam irritauit professionem? Respōdetur ideo fecisse, quia voluit, horum statuum electionem esse omnino liberam. Cum enim agatur de status perpetuitate cōsonum fuit, neminem iniuste posse aliquem ad illos eligēdos compellere.

90 Sed obijcies primò, quia videtur matrimonium, sicut & votum, ex dicto metu incussum esse nullū iure naturæ. Nam ad matrimonium contrahendum, naturæ iure, talis requiritur libertatis cōsensus, qualis requiritur ad  
ponen-

ponendam mutuū inter consentientes amorem, est enim matrimonium nō solum corporum, verum etiam animorum coniunctio; atqui ille metus iniuste incussus nō potest coherere cum mutua animorum coniunctione, præsertim cum hæc perpetua esse debeat, sicut, & vinculū perpetuum est; ergo. Minor patet, quia iste metus, non mutuam ponit amorem, nō mutuam facit animorum coniunctionem, sed mutuam ponit alienationem; tum quia iste metus violentiam facit, ac proinde dissolutionem, quia nullum violentum perpetuū? Respondetur negando maiorem, nam de essentia matrimonij non est mutus consentientium amor, sed est mutua corporū traditio, ex qua nata apta est sequi mutua animorum coniunctio; vnde si non sequatur, est per accidens, & præter, & extra matrimonij essentiam. Deinde dico, quod licet ille metus, tunc aliquam faciat animorum alienationem, tamen postea conuersti poterit in mutuam animorum coniunctionem.

91 Obijcies secundò, quia contra naturæ ius esse videtur, vt aliquis perpetuum ius in alterum acquirat per iniuriam sibi factam, sed quando matrimonium fit ex metu dicto, ius perpetuum in contrahentem acquiritur, & hoc per iniuriam, cum ille metus iniuste, ac proinde iniuriosè incutiatur; ergo? Respondetur negando maiorem. Nam sicut iuramentum latroni factum per metum iniuste incussum est validum, quia sine iniuria creatoris seruari potest; licet possit à superiore resolui, vt tradit D. Thomas 2.2. q. 89. ar. 7. ita & matrimonium factū ex tali metu validum erit, quia cum salute animæ seruari potest.

92 Quinta cōclusio. *Consensus matrimonialis ex leui metu elicitus, validus est. Similiter consensus ex puro metu reuerentiali positus.* Hæc cōclusio communis est: dixi ex puro metu reuerentiali, quia si illi addantur graues minæ, vel graue timeatur malum, vel secundum aliquos, præces addantur importunæ, & continuæ & molestæ, tunc con-

consensum faciunt nullum, quia tunc rationem induunt grauis metus. Et in hoc sensu intelligi potest, quod dicunt aliqui cum Nauarro cap. 22. quod religiosa professio ex metu reuerentiali facta, sit nulla. Vel etiam dici potest, quod præces importunæ, & metus reuerentialis solitariè, professionem annullent, non matrimonium quia inclinatio ad matrimonium carnale, maior est, quàm ad spirituale, cum autem concupiscentia augeat voluntarium, vt docet D. Thomas 1. 2. q. 8. sit quod matrimoniũ cum metu reuerentiali factũ sit magis liberum, quam professio religiosa cum eodem metu, cum illa careat concupiscentia, voluntarij rationem augente.

93 Sed quæres primò, an sit peccatum, matrimonium contrahere ex metu graui iniusto? Respõdetur nullum esse peccatum, quando sic contrahens validè contrahere intendit, quia putat matrimonium sic factum esse validum, bona namque tunc fide procedit, & sic ab omni

peccato excusatur. Qui namque scit matrimonium sic contractum esse nullum, nullo modo contrahere, valet intendere. Si verò quis fictè contrahat, quia scit contractum esse nullum, tunc peccabit venialiter si mentiatur, secus si mentali vtatur restrictione, dicendo se contrahere, intelligendo *exterius, & apparenter*, vt malum, quod minatur effugiat. Aduerte tamen non esse licitum matrimonium hoc, consummare, quamdiu verum non fiat matrimonium per boni consensus positionem, nisi in casu quo quis putat ex ignorantia inuincibili matrimonium sic contractum validum esse.

94 Quæres secundò, an copula ad tale matrimonium subsecuta; validum reddat matrimonium? Respondetur quod si copula eodẽ metu extorqueatur matrimonium non firmat, quia matrimonium metu graui iniuste incusso nullum est, quocunque modo ponatur, siue per verba, siue per signa, siue per copulam ipsam, & sic deberet ille mori potius quam forci;

dari; cum illa copula sit fornicaria, quæ poni non debet, etiam ad vitandam mortem, cum sit intrinsecè mala, & nullo casu possit honestari. Similiter si copula metu non extorqueatur, sed sponte habeatur, sed animo fornicario, matrimonium non firmatur, cum matrimonium validum esse nequeat sine consensu, animus autè fornicarius consensus non est. Si vero copula animo omnino libero habeatur, & maritali affectu, verum ponit matrimonium, tunc enim temporis copula est signum externum veri, & interni consensus manifestatiuum, & fortius quam quodlibet aliud signum externum: hoc tamen verum est, quando alter coniux cui metus non fuit incussus, suum non retractauit consensum. In foro tamen exteriori per quamlibet copulam, matrimonium confirmatum censetur, quia maritali affectu posita præsumitur.

95 Quæres tertio, an matrimonialis consensus iniusto metu extortus iuramento confirmetur? In duobus conue-

niunt Theologi. Primum, quod matrimonium iniusto metu extortum, non confirmetur per iuramentum eodem metu factum, ut si quis iurare cogatur, & iuret se ex animo contrahere, & quod semper illud matrimonium ratum habeat. Ratio est, quia matrimonium est principale, & iuramentum est accessorium; accessorium autem, & posterius adueniens non revalidat prius, nec confirmat illud, sed ut ut erat relinquit; tum quia matrimonium confirmari non potest, nisi metus auferatur, cum (quam diu metus durat) Ecclesiæ iura contra illud clament, ipsum rescindendo, & annullando. Secundum, quod illud matrimonium sic factum, iuramento sine metu posito, non validetur, patet ex ratione modo dicta. In vno discrepant Theologi, nimirum, an quando iuramentum respicit futurum, aliquam adferat obligationem, ut si iurans dicat iuro me semper habiturum firmum, & ratum matrimonium. Negat Sanchez, disput. 21. post aliquos alios

alios & rationem assignant, quia quamuis licita sit talis iuramenti adimpletio, tamen seruari non debet, quia est contra commune bonum. Sed verius dicendum est tale iuramentum seruari debere, vnde licet non firmet matrimonium, obligat tamen sic iurantem vt liberum ponat consensum, & reualidet matrimonium. Ratio est, quia iuramentum semper obligat quamdiu licitè impleri potest, vt dicitur *cap. debitores 6. & cap. si vero 8. de iure iurando*: sed tale iuramentum licitè impleri potest; ergo. Nec verum est dictum Sanchez quod talis iuramenti impletio, publico noceat bono, nam licet non sit omnino expediens, non est tamen nocens sicut iuramentum latroni factum, quod secundum veram D. Thomæ sententiam supra, validum est, & tamen non est communi bono nocens, licet non sit omnino expediens; imo dato quod aliquo modo communi bono noceret, non tamen sequitur non esse validum, & subinde seruandum;

sed solum posse facilius in eo dispensari. Vnde optimè notat Lessius de iust. cap. 17. dub. 7. quod aliud sit iuramentum validum esse, & aliud confirmare contractum nullum; primum est verum, secundum falsum; & sic, licet iuramentū matrimonio nullo superadditum, illud non confirmet, seruari tamen debet, quamdiu non dispensatur. Similiter si quis per metum iuret de Berta in vxorem ducenda, tenetur illam ducere, nisi iuramenti petat dispensationem. An autem peccet qui iurat ducere Bertam, cum tamen illam non ducat ratione metus irritantis, dico si iuramentum respiciat futurum, vt si dicat *iuro me habiturum ratum hoc matrimonium*, non peccat si habeat animum seruandi illud, vel petendi dispensationem. Si vero iuramentum præsens respiciat, & metu extorqueatur, vt si dicatur, *iuraste ex animo nunc in matrimonium consentire*, & ille iuret absolutè, & verè consensum ponat, non peccat, licet ex illo cōsensu matrimonium

non

non sequatur, cum ex metu procedat, si vero iuret se in matrimonium consentire, & verè non consentiat, peccat, cum falsum iuret, nisi restrictione mentali vtatur, quam ponere tunc temporis potest. Si vero sua sponte iuret se habere consensum, & habeat, non peccat, si iuret se consensum habere & nõ habeat peccat, nec videtur habere ius ponendi mentalem restrictionem, cum iuramentum non petatur, sed liberè ponatur.

96 Quæres quartò, an quando matrimoniũ ob metum fuit nullum, & metum passus vult contrahere, teneatur ille qui metum non fuit passus consentire? Certum est, quod quando coniux non fuit causa metus, & vnus metuit; qui liberè cum metuente contraxit, non tenetur postea matrimonium facere, quando sine causa metuens, metu deposito, matrimonium contrahere vult, quia cum iustam non habuerit metuendi causam, nec habet illam ad vrgendum liberè consentientem, vt modo matrimo-

nium ineat. Vnde difficultas solum est, quando qui metu contraxit iustam metuendi causam habuit, & modo contrahere vult, an tunc qui metum non habuit, in matrimonium consentire teneatur. Affirmat Pontius lib. 4. cap. 17. negat Sanchez lib. 4. disput. 15. Sed mihi media via incedendum videtur: nam si metum incutiens fuit alter coniugum siue hoc fecerit immediatè, & per se; siue mediatè, & per alium; & coactus, siue metum passus velit matrimonium inire, tenebitur cogens, vel metum incutiens; & ratio est, quia cogens iniuriam intulit coacto, quam resarcire tenetur, hoc autem facere nequit, quam stando contractui si coacto placebit. Tum quia, in alijs contractibus coactis, cogens tenetur stare contractui, si coactus velit, vnde qui coactè domum vendidit, tenetur cogens stare venditioni, si coactus velit; ergo etiam in nostro casu, cum matrimonium sit verus, & proprius contractus. Si verè metus incussus est ab alio v.g. à

Patre, vel à fratre, filia, vel fororis violatæ, nesciētis metum incuti, vel si scientis, non consentientis, tunc dico istā, quæ metum non patitur, non teneri coactum ducere, sed posse si velit recedere, quantumvis coactus cōtrahere velit. Ratio est, quia tunc coactus iniuriam ab illa fœmina non fuit passus, sed ab alio, ac proinde non tenetur illa fœmina, coactus ducere ad resarciendam coactionis iniuriam, & sic patet, quod in primo casu teneatur, non ratione consensus, quia iste non obligat, cum fuerit nullus, & non fuerit acceptatus, saltem validè, sed ratione iniuriæ, quæ cum non currat in secundo casu, in illo omnis cessabit obligatio.

97 Quæres quinto, an metus levis irritet aliquādo matrimonium? Certum est, vt in huius q. principio contra Sanchez aduertimus, metum leuem respectu viri magnanimi, grauem vero respectu fœminæ nullum facere matrimonij consensum, cum metus grauitas non sit absoluta, sed comparatiua. De metu

efgo leui comparatiuè, præsens procedit interrogatio? De qua sunt duæ sententiæ probabiles. Prima est irritari, quādo scilicet ex metu leui liberè consensus non ponitur, sed coactè, taliter quod matrimoniū contrahens, illud non contraheret, nisi esset metu illo percussus. Hanc sententiam sequitur Nauar. cap. 22. summæ, & lib. 3. consil. tit. de Regul. consil. 84. Veracruz 1. p. speculi art. 8. conclus. 7. Rodriquez to. 1. summæ cap. 8. nu. 10. & alij plures. Secundam defendit Sánchez lib. 4. disput. 17. num. 3. post plures quos larga manu refert. Hæc sententia tenenda est præsertim cum sit D. Thom. 4. dist. 28. quæst. vnica art. 3. in corpore, vbi habet: *coarctio metus, qui cadit in constantem virum tollit matrimonium, & non alia.* Et rationem assignat, quia Ecclesia, quando metus est grauis, præsumit contrahentem non consentire, & quando non est grauis, consentire præsumit. Ratio est quia matrimonij irritatio solo Ecclesiastico iure est inducta, vt supra docuimus,

mus, & docet D. Thomas loco citato; sed nullus est textus in quo matrimonium leui metu contractum irritetur; ergo. Confirmatur quia lex civilis non resistit contractibus leui metu initis, sed assistit, cum metus leuis ratio, non habeatur, vt colligunt doctores ex L. *nec timorem* 7. ff. de eo quod met. caus. vbi dicitur: *Proinde si quis meticulosus rem vllam frustra metuerit, per hoc edictum non restituitur; quoniam neque vi, neque metu factum est.* Vbi vt vides metus leuis non propriæ metus est, nec illius ratio habetur. Et sic cum hæc lex Ecclesiastico iure non auferatur, approbata ab Ecclesia censetur, quoad omnes contractus, etiam matrimoniales.

98 Quæres sextò, quomodo metus grauis probetur? de hac re fisè agunt Meno-

chius lib. 3. de *presumpt.* præsumptione 4. Mascardus de *probat. conclusione* 1055. Aduertit Inno. c. *super hoc*, de renunciatione, quod in hac materia magis creditur duobus testibus de metu deponentibus, quam mille spontaneam testantibus voluntatem: Ratio est quia metus facilius dignoscitur, spontanea autem voluntas difficulter, præsertim quando aliunde est metum incutiens, &c. debent tamen isti duo testes esse maiores, vt post alios aduertit Gutierrez consil. 14. & consil. 16. Hoc tamen intelligi debet quâdo spontaneam probantes voluntatem, non habent adminicula alia, vt præsumptiones, coniecturas, desumptas ex loco tēpore, personis, &c. videatur Couar. 4. decret. 2. par. c. 3. §. 5. & Cucus lib. 5. instit. tit. 12. nu. 167. & 168.





## Q V A E S T I O X.

*An consensus conditionalis sufficiat ad matrimonium ponendum.*

99 **N**otandum primò, quinque contractui matrimonij, sicut & cui-libet alteri, addi posse; primum quod addi potest est *dies, & tempus*: ut si dicatur *cras contraham tecum*. Secundum, est *modus*, qui tunc contingit, quando contractui aliqua apponitur obligatio, ut si dicas: *contraho tecum ut patrem meum sustentas, vel ut divitias, honorem, &c. consequar*, vnde modus communiter apponi solet per particulam *ut*. Tertiū per modum *causae*, quod contingit quando apponitur causa ob quam contrahitur, & communiter explicatur per particulā, *quia*: ut *contraho tecum, quia virgo es, vel contraho tecum, quia dives es*. Quartum per modū *demonstrationis*, quod tunc fit quādo à contrahentibus aliqua significatur qualitas, per dictionem, vel relatiuum v.g. *qui, quae, vel quod, ut si dica-*

*tur cōtrabo tecum, qui dives es, vel contrabo tecum quae virgo es, quae pulchra es, quae dives es, &c.* Quintū per modum *conditionis*, cum aliquid additur contractum suspendens, & sub cuius existentia volumus, & non aliter contractum celebrare, de natura namque cōditionis est, actum suspendere, ut indifferenter se habeat ad esse, & non esse. *L. si ita stipulet. ff. de verb. oblig.*

100 Notandum secundò, cōditiones esse in triplici differentia, aliae namque tempus respiciunt præteritum, & dicuntur conditiones de præterito, aliae præsens, & dicuntur de præsenti, & aliae futurū, & dicuntur cōditiones de futuro. Quae postea sunt, vel necessariae ex natura rei, ut si dicatur: *contrabo tecum si Sol cras oriatur, vel necessariae ex suppositione, ut si dicatur cōtrabo tecum si Antichristus veniet*. Aliae sunt impossibiles, vel ex natu-

natura rei, vt si dicatur: *contraho tecum si Luna, vel Sol, & Stella de cælo cadent.* Vel ex iure statuente contrarium conditionis, vt si dicatur *contraho tecum si es mea consanguinea in secundo gradu.* Vel est impossibilis ratione status contrahentis; vt si dicatur *pauperculæ, contraho tecum si centum millia aureorum mihi dederis.* Vel si dicatur de corrupta, *contraho tecum, si non es corrupta.* Deinde aliæ conditiones sunt cōtra matrimonij substantiam, vel finem, & bona illius; vt si dicatur: *contraho tecum modo mihi liceat te, cum voluero, dimittere, & aliam ducere.* Vel si dicatur: *contraho tecum vt tamen procures absorsum, vel vt facias usurā corporis tui amicis meis, vel cui ego voluero.* Aliæ non sunt contra substantiam, finē, & bona matrimonij; vt si dicatur: *contraho tecum si surari volueris Domina tue.* Denique circumstantiæ aliæ sunt honestæ, aliæ turpes, & aliæ indifferentes.

101 Notandum tertio, quod ad diudicandum an matrimonium cum istis ad-

ditionibus sit validum, nec ne, magis attendi debet (quo ad forum animæ) ad contrahentium intentionem, quam ad verba, intentio namque verbis expressa, matrimonium facit, non verba sola sine intentione; quantum vero attinet ad forum exterius, quando de intentione non constat, ex dicendis constabit. Aduertant tamen contrahentes, vt matrimonium faciant absolutum, sine alterius appositione; & curet Parochus, & testes quod matrimonium fiat ab omnibus conditionibus, modis, causis, &c. absolutum. His positis, conueniunt Theologi circa tempus, quod matrimonium suspendat, vsque ad illud, vnde si dicatur, *accipio te in meam cras,* ante id tempus non fit matrimonium, & eo adueniente absque nouo cōsensu fiet; non sic, si dicatur *accipiam te cras,* quia ista verba præsentem non denotant cōsensum, sed futurum, si autem facerēt istum sensum: *ex nunc volo, & consentio, vt cras incipias esse uxor mea;* tunc verum efficere matrimo-

monium tempore præscripto adueniente absque nouo cōsensu, nisi prior sit reuocatus. Circa *modum*, conueniunt etiam Theologi non suspendere matrimonium, quia *modus* importat aliquid faciendum, post matrimonium absolutè, & simpliciter factum, vt si dicatur: *contrabo tecum vt patrem meum sustentas, vt mihi deseruias, &c.* Difficultas tamen est, quando *modus* ponit aliquid contra matrimonij substantiam, vt si dicatur *contrabo tecum vt obligeris ad adulterandum*, an tunc irritet matrimonium. Affirmat Sanchez lib. 5. disput. 19. Coninchus, disput. 29. & alij eiusdem societatis. Sed mihi oppositum videtur verius quod tenet Sotus dist. 29. q. 2. art. 1. Ledesma q. 47. art. 5. dub. 3. & alij. Ratioque clara, manifesta que est, quia *modus* significat aliquid faciendum matrimonio contracto; ergo non suspendit, nec irritat illud, quātumuis sit de re aliàs destruente matrimonij essentiam, si præcederet illud, vel simul poneretur cum poni-

tur. Antecedens admittunt etiam illi contra quos disputamus; Consequentia ostenditur; quia id quod ex sui conditione supponit aliud, & est posterius illo non destruit illud, quando est indestruibile postquam positum est; sed *modus* ex sui conditione supponit matrimonium, & est posterior illo, ergo cum matrimonium postquam est, destrui non possit, nisi per mortem contrahentis, vel contrahentium; per *modum* quemcunque destrui non poterit. Confirmatur hæc ratio, quia id, quod ad sui positionem non dependet ab alio, præsertim quando hoc aliud est posterius, non potest ab illo posteriori impediri, quin ponatur, sed consensus maritalis, cui apponitur *modus*, non ponitur dependenter à *modo* cum *modus* sit posterior illo, ergo non potest ab eodem *modo* impediri quin ponatur. Maior patet, quia si consensus in sui positione dependeret à *modo*, iam *modus* non esset *modus*, sed vel conditio, vel causa omnino motiua à quibus cōsen-

sen-

sensus dependet, vt postea dicitur, ergo, &c.

102 Circa *demonstrationem*, conueniunt item Theologi, illam nec suspendere nec irritare ratione sui matrimonij, vt cum dicitur: *contraho tecum quæ es diues, pulchra, virgo, &c.* quamuis ille qualitates demonstratæ, non sint, vel falsæ sint: & ratio est, quia illis qualitatibus deficientibus, manet substantialis matrimonij materia, quia *demonstratio* vt talis non tendit in matrimonij materiam, sed in qualitatem, in illa inclusam, vel in illa contentam, vel illi adiacentem. Tum etiam quia consensus fit dependenter ab istis qualitatibus, vt patet. Dixi *demonstrationem* ratione sui nec irritare, nec suspendere matrimonium, quia ratione materię substantialis demonstratæ, & non existentis matrimonium erit nullum, vt si dicatur *contraho tecum, quæ es Rachel*, & non est, matrimonium est nullum ratione variationis substantiæ, sed tuuc non est propriè demonstratio, sed potius materię

defigatio. Erit etiam validum matrimonium quando *demonstratio* tendit in qualitatem matrimonio contrariam: vt si dicatur: *contraho tecum, quæ obligaris ad adulterandum*, quia cum hæc *demonstratio* non sit de substantia, sed de qualitate, vel quæsi qualitate ponenda, matrimonio posito, non irridat illud, vt de modo diximus contra Sanchez.

103 Circa *causam* conueniunt tandem Theologi, non irritare nec suspendere matrimonium, quando est pura *causa impulsiva*, secus quãdo est *causa motiua*, seu *finalis*: sicut enim nullus contractus irritatur deficiente *causa impulsiva*, & saluata *finali*, & econtra omnis contractus irritatur, deficiente *causa finali*, per quam quis consentit in illum; homo namque liberè operans, propter finem operatur; & dum contrahit, propter aliquem finem contrahit, vnde si finis principaliter intentus, & ratione cuius consentit non ponatur, nec cõsensus poni censetur; Vnde si quis ducat Bertam, quia

quia est virgo, quia est dives, &c. si hæc *causa* sit tantum impulsiva etiam si absit, matrimonium tenet, secus si sit *finalis*. Tunc autem cõfetur ducere Bertam, quia est virgo, tanquam ex *causa finali*, quando hoc modo intenderet, *duco Bertam, quia est virgo, quod si non est virgo in illam non consentio*. Sed quia ut vides *causa finalis* matrimonium irritat, in quantum continet, vel resoluitur consensus in conditionem, propterea hic sistimus, quia explicata manebit, explicata conditione; & etiam quia quæ sunt propria *causa motiva, & impulsiva* in tractatu de contractibus Deo dante explicabuntur.

104 Circa tandem *conditiones*, sequentes pono cõclusiones, per quas tota illarum materia habetur. Prima conclusio. *Conditiones quæ pugnant cum matrimonij essentia, vel cum eius fine intrinsicè, vel cum eius bonis, siue honesta, siue turpes sint, siue cuiuscunque qualitatis, irritum faciunt matrimonium. Est communis, & habetur*

*cap. finali*, extra de conditionibus apposit. Ratio est, quia quidquid repugnat efficaciter naturæ matrimonij, impedit illud; sed huiusmodi sunt *conditiones* in cõclusionem appositæ; ergo

105 Secunda conclusio: *conditiones necessaria cuiuscunque temporis sint, similiter impossibiles, & turpes non repugnantes substantia, vel bonis matrimonij, non reddunt matrimonium irritum*. Ita D. Thom. d. 29. art. 3. q. unica, & habetur ex *cap. fin.* citato. Probatur de *conditionibus necessarijs*, quia stantibus *conditionibus necessarijs*, siue sint de præterito, siue præseti, siue futuro, & matrimonium stare debet; sed ille stant, ergo & matrimonium stabit; *conditio* namque *necessaria* de futuro licet futurum sonare videatur, tamen eo ipso quod est infallibiliter futura, ut præsens reputatur, & sic omnes *conditiones necessaria* stabunt. *Conditiones turpes*, censentur non adiectæ, ut patet ex *cap. finali*. *Conditiones impossibiles*, vel censentur non adiectæ, vel sapiunt

sapiunt naturam conditionum necessariorum.

106 Tertia conclusio. Conditiones honesta, & possibiles de futuro suspendunt matrimonium, ita quod nullum sit, quoadiu conditio non est impleta; si vero sint de presenti, vel praterito, & dum matrimonium celebratur verè sunt tales conditiones, validum ponitur matrimonium. Hæc conclusio habetur cap. super eo, & cap. de illis, extra de condit. appof. Vt autem dictæ conclusiones clarius percipiantur aliquas proponemus difficultates.

107 Prima difficultas est, an quando matrimonium contrahitur sub honesta conditione de futuro. vt cum dicitur: *contraho tecum si cras pater tuus mihi det mille scuta aurea*, & suspenditur vsque dum purificetur conditio, an inquam quando postea conditio purificatur nouus requiratur consensus, an sufficiat ille, qui habetur in illis verbis, *contraho tecum*, &c. Basilius Pontius lib. 3. c. 14. & alij, volunt nouum requiri consensum, quando conditio purificatur, & rationem assignant, quia in prio-

rum virtute verborum, matrimonium non celebratur, sed sponsalia tantum, ac proinde nouus poni debet consensus quando conditio purificatur, cum tunc matrimonium celebretur. Nihilominus mihi verior videtur Paludani in 4. d. 29. nu. 11. sententia quam tuctur Sanchez, & alij, quod sufficiat prior ille consensus, & nouus non requiratur. Ratio est, quia consensus præstitus per verba de presenti, quamuis sub conditione de futuro, & contingenti, est verus de presenti consensus, licet solum imperfectus, & inchoatus, vsque ad conditionis euentum; ergo purificata conditione, nouus non requiretur. Antecedens patet, nam dum contrahentes dicunt *consentio*, vel *contraho tecum si pater tuus consenserit*, verè suos præstant consensus, licet imperfecti sint, cum operis non ponant exequutionem, quandiu conditio non purificatur. Consequentia probatur, quia tunc nouus non requiritur consensus cum prior perficitur, & completur, sed hoc currit in presenti, vt ex

dictis liquet; ergo. Confirmatur hæc ratio, nam quando matrimonium fit per absolutos consensus, tunc qui prius suum ponit consensum, sub conditione ponit; & tamen purificata conditione nouus non ponitur; ergo neq; quando matrimonium perficitur per consensus sub conditionibus positos. Antecedens ostenditur, & simul breuiter declaratur, nam cum vnus dicit prius *consentio tecum*, includit, & inuoluit hanc conditionem: *si tu consenseris mecum*, & tamen quando hæc cōditio purgatur per alterius consensus, qui prior consensit non ponit nouum consensus, sed priori contentatur, alioqui si nouus poni deberet, processus daretur in infinitum. Hæc tamen intelligi debent, quando illé consensus sub conditione positus, nō fuit reuocatus, si namque reuocaretur (licet iniuste hoc fieret) matrimonium nō poneretur, nisi nouus consensus adderetur. Hæc resolutio applicari debet ad illū casum, quem hic proponunt Theologi, scilicet, quando contra-

hentes habent impedimentū dirimens, in quo dispensatio à Papa fieri potest, & nihilominus ante dispensationem contrahunt sub spe, seu conditione futurę dispensationis, vt si dicant: *contraho tecum si Papa dispensauerit*, an scilicet posita dispensatione, nouus poni debeat consensus, an vero sufficiat antiquus. Henriquez namque cap. 12. & alij docent requiri nouum, quia ille prior fuit nullus, cum inter personas inhabiles fuerit. Tū quia conditio quæ à Principis dependet arbitrio censetur impossibilis, L. *apud Iulianum. §. fin. ff. de legat.* cōditio autem impossibilis habetur pro non apposita. Nihilominus ex dictis patet, nouū non requiri consensus, nam in hoc casu reperitur verus consensus de præsentī, & inter personas habiles sub conditione futurę dispensationis, licet personę absolute sint inhabiles, & durat, vt suppono, vsque ad conditionis purificationem, seu vlque ad obtētam dispensationem: per quæ patet ad primam Henriquez rationem. Ad secundam dico,

co, tunc solum conditionem à Principis arbitrio dependētem censi impossibilem, quando res illa à Principe concedi non solet; non vero quando concedi solet, ut est matrimonialis dispensatio.

108 Secunda difficultas, an conditio matrimonio appositā illud suspendat vsque ad notitiam existentiae ipsius? Cōueniunt omnes matrimonium suspendi vsque ad existentiam conditionis, ut ex dictis liquet. Difficultas præfens solum stat in hoc, an non solum matrimonium suspendatur vsque ad conditionis existentiam, verum etiam vsque ad eiusdem existentiae notitiā. Casus sit, quem modo explicuimus, quando quis habens impedimentum dirimens in quo Papa dispensare potest, sic contrahit; *contrabo tecum si Papa dispensauerit*, an tunc matrimonium perficiatur quando Papa dispensat, an vero quando eiusdem dispensationis notitia habetur. Coninchus disput. 29. vult semper requiri conditionis notitiam qualiscunque sit illa conditio, siue de præfenti, siue

de præterito, siue de futuro. Sed verior est Sánchez disp. 7. sententia, quod sufficiat conditionis existentia. Ratio clara est, quia si quis contrahat cum Berta hoc modo *contrabo tecum si es nobilis*, tunc consensus habet pro obiecto nobilitatis conditionem, non notitiam illius; unde si illa verè est nobilis tunc fit matrimonium, non vero suspenditur vsque ad nobilitatis cognitionem, nec enim refert quod conditionis existentia nota sit, vel ignota, cum conditio non sit de notitia, sed de cōditionis existentia. Unde matrimonium sub conditione de præfenti, vel de futuro est statim validum, si conditio sit, vel nullum, si non sit.

109 Tertia difficultas, quando purgata illa conditio intelligatur, quando contrahēs sic dicit; *contrabo tecum si patri placuerit*; nā si pater prius dissentiat, & postea consentiat, nō videtur purificari per consensum, habitum post dissentium. Certum est purificari cum primum pater consentit, & tunc matrimonium compleri; certum etiam est con-



ditionem destrui quando pater dissentit, & nullū amplius ponit consensum. Vnde difficultas est, an quando pater prius dissentit, & postea rogatus consentit, matrimoniū teneat, quia tunc conditio sufficienter per consensum post dissensum purificatur. Sanchez disput. 7. dicit, destrui conditionem per dissensum, nec posse purificari per cōsensum post dissensum. Sed hæc sententia esse videtur contra contrahentium sensū, non solum in hoc, verum etiā in alijs contractibus: filius, v. g. familias, aliquid amico donat, si pater consentiat; & pater primò dissentit, postea iterum, & tertio rogatus concedit filio quod petit: tunc in omnium sententia, & sensu, per consensum post dissensū, conditio purificata censetur. Donat religiosus rosarium, vel coronam alteri, si Prior dabit veniam, negat Prior semel, bis, tertio; postea rogatus magis vel à donante, vel ab alio Prioris familiari, concedit: tunc purificata cēsetur conditio; ergo &c. & ratio à priori est, quia sic con-

trahentes censentur sic contrahere, si placuerit Patri, Priori, &c. intra aliquod tempus, secundum cōtractus rationem, intra quod tempus sufficit habere cōsensum. Aduerte ramen in dictis conditionibus si Patri, si Priori, &c. placuerit, nō esse necesse expectare, Patris, vel Prioris positivum consensum; sed sufficiet, quod Pater, vel Prior nō repugnet, dum illam novit conditionem.

110 Quarta difficultas, an ad valorem matrimonij, ubi Tridentinum est receptum, requiratur, quod non solum contractus conditionatus fiat coram Parocho, & testibus, verum etiam quod conditionis impletio fiat coram iisdē. Sanchez lib. 5. disput. 8. dicit, solum requiri quod contractus ipse coram Parocho, & testibus conficiatur, non vero est necesse quod coram eodē Parocho, & testibus conditio purificetur. Sed oppositum verius videtur: vnde dico requiri quod vtrunque coram Parocho, & testibus conficiatur. Ratio est, quia mens Cōcilij est quod Parochus & te-

stes

stes assistant, non solum matrimonio imperfecto, & inchoato, sed absoluto, & perfecto; atqui solum perficitur, & completur quando conditio purificatur; ergo tunc Parochi & testium præsentia maximè poni debet. Confirmatur, quia ideo Concilium Parochi & testium præsentiam requirit, ut possint de matrimonio testificari; atqui per solum præsentiam ad matrimonium conditionatum, de matrimonio testificari non possunt; ergo. Minor ostenditur; nam cum matrimonium conditionatum, possit non poni, cum possit conditio non purificari, ex illius prioris assistentiæ, qua assistunt, quando conditio ponitur, non possunt de matrimonio facto testificari: per quæ patet ad rationes Sanchez, dum dicit, quod sufficienter per primam assistentiam Concilij menti satisfiat, & sufficenter possint de matrimonio testificari &c. patet enim utrunque falsum esse, ut nostræ ostendunt rationes.

III Quinta difficultas, quomodo conditiones con-

tra matrimonij bona irritent illud? Diximus conclusione prima, conditiones contra substantiam matrimonij illud irritare, ut si contrahentes apponerent conditionem non transferendi corporum dominium, vel non se obligandi obligatione radicali, ad matrimonij usum, (dixi obligatione radicali quia hæc sola est de matrimonij essentia, non obligatio actualis, alioqui matrimonium stare non posset cum voto castitatis, quod est falsum, ut supra explicuimus) hæc namque conditiones matrimonium irritant, cum contradictoriè opponantur cum essentia illius. Diximus etiam, conditiones contra eiusdem matrimonij bona irritare illud, quia tamen hoc, secundum aliquam rationem, potest esse falsum, ideo hic est explicandum. Contra matrimonij bona sunt: *contraho tecum si prolis generationem vites*; hoc enim est contra bonum prolis. Contra bonum fidei est: *contraho tecum si tui corporis a suram meo facies amico*. Contra bonum sacramenti est: *contraho*

*tecum diffolubiliter, ut quoties voluero, te valeam dimittere, & aliam ducere.* De hoc ultimo nulla est inter scribentes difficultas, est enim clarum hanc conditionem matrimonium irritare, cum habeat ex sacramenti ratione omnem indiffolubilitatem. Circa duo priora aduerte, quod si dum contrahitur matrimonium sub conditione vitandi prolem, vel faciendi proprij corporis vsuram, sensus sit quod per illas conditiones ponatur obligatio ad vitandam prolem, & non seruandam fidem; tunc matrimonium irritatur, cum sit contra matrimonij naturam illas habere obligationes; si vero ille conditiones non apponantur tamquam matrimonij obligationes, sed tanquam executiones vitandi prolem in exercitio, & faciendi corporis vsuram, tunc matrimonium non irritant cum tunc non afficiant matrimonium, nec iura illius, sed potius eiusdem matrimonij vsuram, vnde vno verbo rem totam dicam, si conditiones ille matrimonio secundum se apponantur

irritant illud, si vero matrimonio apponantur, quoad vsu illius non irritant, sed in suo esse relinquunt, quod magis patebit ex modo subiiciendis.

¶ 112 Sexta difficultas, an conditio nunquam se copulandi, seu nunquam petendi, & reddendi debitum, matrimonium irritet? Alij hanc difficultatem sic solent proponere, an matrimonium contractum sub conditione faciendi votum perpetuum castitatis, irritet illud? Affirmat Sanchez disput. 10. & alij apud ipsum. Quia conditio vitandi prolem, est contra matrimonij substantiam cap. *fin.* de condit. Sed conditio nunquam se copulandi, vel perpetuam seruandi castitatem, est conditio euitandi prolem; ergo matrimonium irritabit. Tum quia matrimonij substantia consistit in mutuo iure petendi, & reddendi debitum, cum quo predicta conditio stare non potest; ergo. Sed iam habes ex dictis in calce præcedentis difficultatis harum solutionem rationum; nam de  
ma-

matrimonij essentia non est proximum ius petēdi, & reddendi debitum, sed radicale, cum quo radicali stare potest pactio non petendi actualiter debitum, nec reddendi; stare potest votum non petendi, vel seruandæ virginitatis, vel castitatis: cum enim in matrimonio vsus à dominio distinguitur, possunt coniuges sibi mutua tradere corporum dominia, abdicando per votum, & pactinam renunciationem, vsus illorum. Quare dico oppositam Sanchetio sententiam esse tenendam, quam tenet Rebellus q. 10. sect. 3. & communiter alii, & per hanc, vt patet, facilius saluamus matrimonium inter Beatissimam Virginem, & Sanctum Ioseph.

113 Septima difficultas, an conditio impossibilis pro non adiecta habeatur? Cap. fin. de condition. statuitur, conditionem impossibilē matrimonio adiectam, habendam esse pro non adiecta. Hinc dubitant auctores, quoniam modo hoc decretum veritatem habere possit, cum possint sic contrahentes nol-

le contrahere nisi dependenter ab illa conditione: Nonne potest quis serio sic contrahere? *contraho tecum scælum tetigeris, aut si digito scælum tetigisti?* & tamen tunc verè matrimonium non contrahitur, cum intenta conditio non purgetur; quomodo ergo Pontifex dicit in illo capite conditionem impossibilem censi non adiectam, & matrimonium tunc fieri? Responderur re vera ita posse contingere; præsumptio tamen fori exterioris, erit in matrimonij fauorem, & præsumetur illam conditionem, quippe impossibilem, non fuisse serio adiectam, sed animi gratia; ac proinde pro non adiecta in foro exteriori iudicabitur; tantum vult Pontifex in illo capite, & non amplius.

114 Octaua difficultas, an conditio turpis pro non adiecta habeatur? Contrahit quis cum Berta, hac turpi conditione appōita, (non tamen contra substantiam quia hæc in omni sententia matrimonium irritat) *contraho tecum si furtum commiseris*, an hæc

conditio pro non adiecta habetur. Pontifex in eodem citato cap. *fin.* decernit turpem conditionem pro non adiecta esse habendam, ac proinde ex tunc valere matrimonium, ante conditionis euentum, quamuis nunquam impleatur, vt nunquam impleri debet. Et tamen certum est, sic contrahentes posse sic ex animo contrahere, quod matrimonium nõ compleatur, quamdiu conditio non purificetur. Quid enim verat quod quis ex animo sic contrahat: *contrabo tecum si eras fureris domina tua torquẽ auream?* certè tunc hæc conditio non habebitur pro non adiecta, sed verè matrimonium suspendet vsque ad conditionis purificationem, quæ si fiat, matrimonium absque alio complebitur, si non fiat, non complebitur, sed annullabitur? Respondetur mentem Pontificis esse solum quoad præsumptionem fori exterioris, in quo illa conditio pro non adiecta censetur, si tamen Ecclesiæ constaret illam conditionem seriò, & ex animo adiectam, ab eadẽ

Ecclesia non reiceretur, quod quod si dubitaretur, an ex animo fuerit addita, an non, deberent cõiuges denuo matrimonium sub conditione inire, nec possent cum tali dubietate, vt cõiuges procedere.

115 Dubitant hic aliqui, an ista conditio sit turpis, ac proinde vt talis pro non adiecta censeatur: *contrabo tecum si te virginem inuenero.* Relictis varijs scribentium dictis, sit meum breue iudicium, vel spõsus per illa verba *si te virginem inuenero*, loquitur de inuentione ab ipso facienda per illius accessum ante matrimonij complementum, vel postea: si hoc secundum, inutilis est illa cõditio, & sibi met ipsi repugnã, vt patet. Si ante, tunc cum sit cū peccato mortali, turpissima est, ac proinde pro non adiecta iure reputabitur, peccatum namq; mortale est ante matrimonij cõplementum, illud consummare. Quod si sponsus per illa verba intendat talem inuentionẽ esse faciendam per matronas, vel per medicos, sustinebitur, & matrimonium suspendet, vsque ad illius purificationẽ.

QVAE.

Q V A E S T I O X I.

*Quomodo probetur consensus, seu matrimonij nullitas, & mors prioris coniugis, ut possit in alterum, nouus poni consensus.*

116 **P**rocedit difficultas quoad forum exterius, nam si loquamur de animæ foro, sufficiet consensum fuisse nullum, & matrimonij inualidum, ut possit aliud iniiri. Ut ergo matrimonij, vel consensus nullitas in foro appareat externo, nota, quod tripliciter matrimonium potest esse nullum, vel ratione interni consensus, qui nullus fuit, vel ob impedimentum dirimens, vel ob defectum solemnitatis necessariæ, quia scilicet non fuit celebratum coram Parocho, & testibus. His positis sit.

Prima conclusio: *fictus consensus per eas rationes probatur, quæ rem, moraliter certam faciunt;* quod iudicis arbitrio relinquitur. Prima autem ratio ob quam dissensus, vel cōsensus nullitas probari potest, est, quando constat con-

trahentem prius, protestasse nolle in matrimonium consentire; & hoc firmam faciet probationem, si postea iuret se fictè consensisse, & sui facti aliquam afferat causam probabilem. Secunda est, quâdo immediatè post verba reclamatur, quia tunc facilè indeliberatio præsumi potest, aut ea verba per incogitantiam protulisse cap. *Præterea*, de testibus cogend. secus esset si post Interuallum reclamaret. Sed hæc causa, seu ratio vix potest habere locū post Tridentinum, cum sess. 24. cap. 1. velit debere Parochum, contrahentes de consensu interrogare. Tertia ratio, vel causa quam ponit Nauar. cap. 2. num. 76. est, quando vir aliquanto etiam post reclamatur, & de facto aliam ducit, vel religionem ingreditur, vel Ordinem suscepit sacrum,

LI quia

quia non est credibile, quod ille, qui adeo sanctum eligit statum, sit suæ salutis immemor, & velit malum adeo grande cum alterius iniuria committere. Quarta, quando probatur, grauem interuenisse timorē, de quo quæst. 9. præsentis disput.

117 Secunda conclusio. *Impedimentum dirimens communiter probari debet per duos testes iuratos omni exceptione maiores cap. super eo, cap. cum à nobis 28, de testibus, & attest. & alibi. Excipe consanguinitatem, quæ ad illam probandam sufficiunt parentes, & consanguinei, qui hanc optimè norūt, & melius quam extranei; unde de ea accusare possunt, & denunciare, imò & debent quando fiunt proclamationes. Sufficeret etiam, quando testes haberi non possent, ipsorum contrahentiū spontanea confessio, dummodo non sit collusionis apparentia; vt si constaret illos valde dolere de matrimonij nullitate. Sufficiet similiter vnus coniugis confessio adminiculata vicinæ fama. Et ratio est, quia*

vnus coniugis dictum in re adeo graui, & cui matrimonij displicet resolutio, semiplenam facit probationem, & fama vicinæ probata, & deponens de tali impedimento, aliam facit semiplenam probationem, ac proinde ex utroque plena fiet probatio, ac proinde sufficiens ad faciendam matrimonij resolutionem.

118 Tertia conclusio. *Defectus solemnitatis necessaria probatur, & per testes, & per ipsorum contrahentium depositionem: facile namque Parochi, & testium absentia probatur, si Parochus talem neget assistentiam, & alij testes non assignentur: quod si Parochus neget se adstitisse, & duo testes testentur, & Parochum, & se adstitisse Matrimonium habendum est pro firmo, si ipsi cōtrahentes pro matrimonio tuendo conentur. Si vero ex vna parte pro non assistentia stet Parochus, & contrahentes; & ex alia, pro assistentia stent duo testes; ex coniecturis res resolueda erit, iudicis arbitrio, pro quo maximè stabit loci,*

tem-

temporis, & personarum conditio, maximè contrahentiù, si vellent in matrimonio perseverare, & sibi eius resolutio displiceret.

119 Circa 2. in quæstionis titulo positum quomodo nãque mors coniugis probetur vt validè, & licitè secundum ponatur matrimonium. Dico primò *sufficienter probari per certum nuncium cap. in præsentia, 19. de sponsal.* quando commodè plenior probatio haberi non potest; vnum nãque nuntium semiplenam dumtaxat facit probationè. Si autem non possint plura nuncia haberi, sufficiet vnum vt dictum est, dummodo aliæ adsint coniecturæ, & circumstantiæ id suadentes, quod quando rem faciant tutam, iudicis committitur arbitrio. Licet enim *cap. cum per bellicam 34. q. 2. & cap. Quoniam 5. de lite non contestata*, sufficere dicatur, quod verisimiliter coniux existimetur, vel præsumatur mortuus, tamen hoc intelligi debet de verisimilitudine moraliter certa, cum enim in secundo matrimonio contrahendo graue

committi possit peccatum, & grauis iniuria coniugis superstitis, si forte viuat; propterea fieri non debet, nisi adsit moralis certitudo de morte illius.

120 Dico secundò. *Fama de morte coniugis non est per se sufficiens ad probandam coniugis mortem, nisi alijs soueatur adminiculis*, vt si plures testentur tali loco, vel in exercitu, vel in cohorte esse publicam de morte illius famã, quæ fama probari debet per septem, vel octo testes, & debet esse constans, ita quod alia in contrarium non habeatur.

121 Hic solent aliqui disputare de ætate requisita ad ponendum matrimonij consensum, sed de hoc agemus de impotentia impedimento, quod ratione ætatis oritur, pro modo dicere sufficiet tempus aptum pro matrimonio ineundo esse pubertatem, quæ in femina est annus duodecimus, & in masculo decimus quartus. Quod in femina dictus annus requiratur, habetur *cap. continebatur de desponsat impub. & quod*



in masculo idē annus dictus, haberi debeat, statuitur cap. *ex litteris*, eodem titulo. Definuitur autem dicta ætas, quia tunc pueri habiles præsupponuntur, tum ad copulam, tum ad consensum conjugalem, cap. *Puberes* de sponsalibus. videatur D. Thom. q. 43. ar. 2.

qui rationem fundamentale horum Ecclesiæ statutorum affert. Sed de hoc dicitur loco citato, & disput. sequēti, explicātes tempus pro sponsalibus ineundis. Quo autem tempore matrimonium fieri possit, habet Tridentinum sess. 24. c. 10. & infra dicitur.

## Q V A E S T I O XII.

### *Quis sit matrimonij minister,*

122 **M** Cano lib. 8. de locis Theologicis cap. 5. docet matrimonij ministrum esse ipsum Sacerdotem assistentem; unde vult quod matrimonium factum sine Sacerdote, ut fiebat ante Tridentinum validè, & modo fieri potest ubi Tridentinum non est receptum, non sit sacramentum, sed simplex contractus, eo quod sacramenti minister non nisi sacerdos esse possit. Potissima huius sententiæ argumenta postea referentur, & soluentur.

Nostri sententiæ sequenti explicatur cōclusionē. *Ipsi contrahentes, & soli, sunt pro-*

*prie huius sacramenti ministri.* Ita Sotus dist. 26. q. 2. art. 3. & communiter omnes. Probatum primò. Ille est huius sacramenti minister, qui est causa vinculi matrimonialis; sed soli contrahentes sunt causa vinculi matrimonialis; ergo soli illi sunt huius sacramenti ministri. Minor patet, nam indissolubilitas omnimoda, matrimonialis vinculi, à sacramenti ratione desumitur, ut ex dictis supra colligitur; ergo quod causat hanc vinculi indissolubilitatem, debet etiam causare sacramenti rationem, cum vnum sequatur ex alio, & supponat, vel causetur

setur ab eo; quod enim est causa causæ, est etiam causa causati. Minor probatur ex Eugenij decreto, vbi sic dicitur: *Causa efficiens matrimonij regulariter est mutuus consensus per verba de præsentibus expressus*; ergo si mutuus contrahentiû consensus est causa efficiens matrimonij quoad vinculum, erit etiam quoad sacramentationem.

123 Probatur secundo, ex dictis supra; Quoniam matrimonium iuxta Tridentini formam celebratum, nempe in præsentia Parochi, & testium, est validum, etiam si Parochus nihil dicat, imò re-  
repugnet, & contradicat, & vi detineatur, dummodo obseruet quod fit, quia Tridentinum, Parochi, & testium præsentiam requirit, vt valeant Ecclesiæ de illo testificari; sed hæc stare non possent si Parochus effet huius sacramenti minister; ergo. Maior habetur ex Cardinalium declaratione quam plerique referunt, quæ est sequentis tenoris. *Vt matrimonium hoc sit validum, non esse absolutè necessarium, quod*

*Parochus ei assistens proferat aliqua verba. sed sufficere, vt sit præsens, & intelligat id quod agitur, licet dissentiat, & contradicat.* Minor probatur, quia nullus coactus, & dissentiens, sacramentum facit; ergo si matrimonium est validum, etiam si Parochus coactus, & dissentiens assistat, non poterit idem Parochus illius minister esse.

124 Probatur tertio, quia ille est alicuius sacramenti minister, qui applicat formam sacramentalem materiæ; sed iste non est Parochus, sed sunt ipsi contrahentes; ergo non ille, sed isti, erunt huius sacramenti ministri. Maior constat in omnibus sacramentis. Minor ostenditur, nam cum in hoc sacramento verba non requirantur, sed sufficiat aliquod signum exterius, interioris consensuum manifestatiuum, ille solum formam materiæ applicabit, qui ponet signum exterius, interiorem consensum manifestans; sunt autem ipsi contrahentes, vt patet; ergo. Consensus namque per aliquid exterius manifesta-

status, vel signum exterius interiori consensu informatum, habet rationem materiae, & formae in hoc sacramento. Prior consensus informans signum exterius, habet rationem materiae, & posterior, formae, uti supra docuimus. Soluuntur argumenta in contrarium.

125 Primum argumentum est. Quoniam actio sacramentalis, sacratum postulat ministrum. Sed huius sacramenti administratio est actio sacramentalis; ergo sacratum postulat ministrum, ac subinde non contrahentes, sed sacerdotem ipsum. Si enim huius sacramenti benedictio, quae sacramentum non est, sed accidens illius, sacratum requirit ministrum, à fortiori hoc requireret actio ipsa sacramentalis? Respondetur negando maiorem, nam Baptismi collatio actio sacramentalis est, & tamen sacratum non postulat ministrum, ut docuimus cum de hoc ageremus sacramento. Ratio autem & huius sacramenti, & Baptismi est eorum natura, ob quam possunt sacrum non

habere ministrum, quia ex Christi Domini institutione vnumquodque sacramentum suum postulat ministrum proportionatum, & sic cum Baptismus sit sacramentum necessitatis, quolibet ministro rationis vsu praedito, debuit contentari. Similiter matrimonium cum sit quidam contractus, debuit contentari illis ministris, qui possunt contractum inire, & de facto ineunt; unde etiam si dum contractus celebratur, adsint aliquando Notarius, adsint testes &c. non tamen isti sunt ministri contractus, sed ipsi contrahentes; ergo & in praesenti, &c. Quod autem benedictiones à solo sacrate fiant ministro, hoc ideo est, quia sic Ecclesia instituit, sunt namque benedictiones Ecclesiae institutionis, matrimonium autem, Christi institutionis est.

126 Secundum argumentum. Quoniam in sacramentis distingui debet minister, & suscipiens sacramentum; Sed si ipsi contrahentes esset ministri, & suscipientes hoc sacramentum, talis distinctio

non poneretur, cum idem  
esset minister, & suscipiens;  
ergo? Respondetur negan-  
do maiorem; nam in Eucha-  
ristia sacerdos & conficit sa-  
cramentum, & est illius mi-  
nister, & simul recipit illud;  
quod autem in Pœnitentia,  
Ordine, Confirmatione, &c.  
minister, & suscipiens distin-  
guantur, ex illorum oritur na-  
tura sacramentorum, vt ex  
eorum formis, & materijs col-  
ligi potest.

127. Tertium argumentū;  
quia vnum sacramentum,  
vnum habere debet mini-  
strum: vt patet in alijs omni-  
bus sacramentis: sed si con-  
trahentes essent huius sacra-  
menti ministri, non vnus, sed  
duo essent ministri; ergo?  
Respondetur quod licet in  
alijs sacramentis sit tantum  
vnus minister, loquendo de  
licitò, secus de validò, cum  
plures sacerdotes possint vnū  
absoluere, plures possint vnū  
baptizare, &c. hoc tamen sa-  
cramentum specialem habet  
rationem, vt duos habeat  
ministros, cum enim hoc sa-  
cramentū sit contractus qui-  
dam, & contrahentes, fiat

ministri contractus, & con-  
tractus ab vno solo celebrari  
non possit, sequitur, quod  
hoc sacramentum duos ha-  
bere debeat ministros, & sic  
Deus eleuat virū medijs ver-  
bis, vel signis externis, con-  
sensu interno informati, ad  
producendam gratiam in mu-  
liere, & eleuat mulierem  
medijs iisdem verbis, vel si-  
gnis externis proprio infor-  
matis consensu, ad gratiam  
in viro producendam. Vnde  
licet sint duo ministri, & duæ  
gratiæ productæ, non tamen  
sunt duo sacramenta, sed vnū  
solum, quia huius sacramen-  
ti significatio non completur,  
cum rationem supponat con-  
tractus, nisi per mutuam cor-  
porum dationem, mutuam-  
que receptionem, seu non  
completur, seu non aduenit  
nisi contractui perfectò, qui  
per mutuam illam traditio-  
nem, & acceptionem per-  
ficitur. Nec vnitas sacramen-  
ti desumenda est ex vnitate  
effectus, sed ex vnitate signi-  
ficationis. Et hæc de hac 9.  
& disputatione. die 21. de-  
cemb. 1656. ad Laudem Dei.

# DISPUTATIO QUARTA

*De sponſalibus quoad eorum naturam, & obligationem.*

**T**RES sunt gradus quoad præſes ſpe-  
tat negotiũ, con-  
iunctionis inter virum, & mu-  
lierem qui communiter ad-  
ducuntur, & diſtinguuntur,  
Primus eſt, quo vir, & mu-  
lier eo vinculo copulantur,  
vt ſolum *sponſi*, non coniu-  
ges dicantur. Secundus quo  
vocantur & *sponſi*, & *coniu-  
ges*. Tertius, quo tantum  
*coniuges* vocantur. Sponſi  
tantum ſunt illi, qui ſibi mu-  
tuo promiſerũt de matrimo-  
nio ineundo. Sponſi & con-  
iuges ſunt illi, qui matrimo-  
nium inierunt, non tamen  
conſumarunt, quomodo B.  
Virgo, & Sanctus Ioseph,  
modo dicuntur in ſcriptura  
ſponſi, modo coniuges, *accip-  
te Mariam coniugem tuam*.  
Coniuges tantum, ſunt illi,

qui iam matrimonium con-  
ſumarunt; de ſecundo, &  
tertio gradu iam in ſuperiori-  
bus ſufficienter diximus; de  
primo verò in hac, & ſequen-  
ti diſputatione dicemus, & li-  
cet ſponſalia, quibus ſponſi  
dicuntur, matrimonium præ-  
cedant, tamen prius de ma-  
trimonio agendum erat, quam  
de ſponſalibus tum quia fa-  
cilis intelliguntur, ipſo ma-  
trimonio explicato, tum quia  
prius agendum de illo erat,  
cui primò conuenit huius tra-  
ctatus inſcriptio, vt omnes  
ſcholastici faciunt, & nota-  
uimus in huius tractatus præ-  
mio. Præcedunt quoad exe-  
cutionem ſponſalia matrimo-  
nium multis ex cauſis. Prima eſt, vt haberetur pa-  
rentum conſenſus, qui de  
honeſtate debet ad matrimo-  
nium

nium interuenire, vt supra monuimus, & habetur cap. *aliter* 30. q. 5. & L. *in sponsalib.* & L. *in potestate*, de sponsal. Secunda, vt maritus ea præpararet, quæ ad matrimonij onera subeunda sunt necessaria; Vnde iure diuino, & humano datur immunitas à bello sponso à die desponsationis. Iudic. 6. Deut. 20. 1. Machab. 3. Tertia vt charior vxor habeatur, si nuptiæ differantur, & eam magis diligat, quàm ante suspirauerat cap. *institutum*, 27. q. 2. Quarta vt dos

parari possit, quæ dari debet pro sustinendis matrimonij oneribus. L. *pro oneribus*. C. de iur. dot. Quinta vt interim publicè in Ecclesia proponatur, vt si quod sit impedimentum manifestetur, cap. *cum inibitio*. de cland. desponsat. Dicuntur autem sponsalia à spondendo, vt dicit Vlpianus L. 2. ff. de sponsalibus eo quod moris erat antiquitus stipulari, & spondere sibi vxores, vt autem rem hanc habeamus ad particulares quæstiones descendamus, sit ergo.

## Q V A E S T I O I.

*Quid sint sponsalia, & quomodo distinguantur promissio, propositum, & donatio, &c.*

2 **S**ponsalia sic definiuntur à Nicolao Pontifice cap. *nostrates*, 30. q. 5. & à Iurisconsulto L. 1. ff. de sponsal. sunt, *futuri matrimonij promissio*; vbi *promissio*, stat loco generis, *futuri matrimonij*, loco differentiae: vt autem hanc definitionem percipias, aduerte quod vt optimè no-

ster aduertit Incognitus in 2. dist. 6. duplex est voluntatis determinatio, alia necessitatis, & coactionis de qua diximus supra, alia complacētiae, & est qua voluntas sibi ipsi placens, se sua sponte, liberè, & deliberatè ad aliquid agendum determinat, quæ determinatio libera, spontaneaque

M m duplex

duplex (quantū ad præsens) esse potest; vna est, qua quis taliter se ad agendum determinat, quod talem determinationē ad nullū dirigat, cui, ad ponendū aliquid determinatum, se obliget, & hæc vocatur propositum; altera est, qua taliter alicui determinatio dirigitur, vt ad ponendum rem determinatā obligetur. Pro quo magis aduerte, propositum etiam exterius expressum sic posse definiri, *est voluntatis determinatio de aliquo faciendo, nulla sibi ad hoc obligatione imposta*. Sicut cū quis determinat non amplius peccare, vel proponit in confessione non peccaturum de cetero, illa voluntatis determinatio, nouam, vt patet, non affert obligationem, sed propositum alta mēte repostum, de non amplius peccando. Ex qua doctrina collige primò, quod quando dubitaretur, an res aliqua caderet sub proposito, vel sub promissione attendere deberemus, an verba prolata vsitato sermone, & audientium vsu propositū importarēt, an promissionem, vt enim magistraliter

docet Baldus in *L. de quibus, ff. de Leg. ille sensus capiendus est, qui vulgari sermone, & vsitato cōuenit, & si littera obscura sit debet reuocari ad sermonē vulgarem vt fiat clara*: quæ doctrina deducitur ex *L. in vulgari ff. de verb. signif.* Quod si sensus vulgaris dubius esset, reuocari deberet ad æquipollens *L. liberorum §. quod tum ff. de Leg. 2. Si vero* (& hoc secundò colliges) verba sonarent propositum, & de mente dubitaretur, an solum de proposito fuerit, vel de promissione, ad propositū esset declinandum, verba nāque sunt nuncia cordis, & vnusquisque dixisse præsumitur, quod mēte cogitatum est *L. Labeo, de supel. L. nepos Procula ff. de verb. signif.* Nec est recedendum à verbis propter mētem dubiam, argum. *L. non omnium, si sequ. ff. de Leg. L. prospexit. ff. qui, & à quibus.* Colliges tertio quod propositum de voto faciēdo, etiam habitu suscepto monachali, nullam voti inducit obligationem, benè autem promissio, vel nisi propositū promissione firmetur. Barb. coll. lib. 3.

lib. 3. decret. tit. 31. cap. *confu-  
luisi*, nu. 3. post alios, quos lō-  
ga manu refert; ad votum nā-  
que & ad quamcunque ob-  
ligationem inducendam, non  
sufficit propositum, quantum-  
uis deliberatum, determina-  
tum, & firmum, sed requiritur  
promissio, vt tradit D. Thom.  
apud Barb. ibi, vide eundem  
cap. *litterarum*, de voto. Vnde  
si quis proponat ducere Ber-  
tam in vxorem, in illis casibus  
etiam in quibus obligari po-  
test ex voto ad nihil obliga-  
tur, nisi promissio addatur.

3 Dubitant aliqui, an ista  
verba *determinaui ducere Ber-  
tam*, vel *determino ducere*, &c.  
vel in alijs rebus, *determino  
donare*, vel *vendere*, &c. in-  
ducant obligationem donā-  
di, vendendi, ducendi Ber-  
tam, &c. Communior, & ve-  
rior sententia est, nullam in-  
ducere obligationem, nisi po-  
natur, vel supponatur promif-  
sio; sicut nec in istis verbis de-  
termino donationem facere,  
vel faciam donationem, nam  
istæ propositiones sunt solum  
enunciationes propositi, seu  
voluntatis determinatæ ad  
aliquid faciendum, & æqui-

pollent istis *intendofacere, de-  
termino*, *statuo*, &c. possunt  
etiā accipi (iuxta tamen sub-  
iectam materiam) vt enun-  
ciationes euentus futuri, &  
æquipollent huic, *ponetur do-  
natio in effectu, loco tempore*,  
&c. prout *mea placebit volun-  
tati*, videatur D. Thom. 2. 2.  
q. 88. & Caiet. ibidem quos  
refert, & sequitur Nauar. de  
pœnit. cap. *non reuertebantur*,  
vbi optimè aduertit, quod  
mutare postea voluntates, seu  
proposita illa, non sit pecca-  
tum, neque veniale, etiam  
quādo proposita ad pias cau-  
sas, seu cōsilia se extendunt.  
At vero promissio vel inducit  
peccatum mortale absolutè,  
vel mortale, quando materia  
est grauis, vel veniale, quan-  
do est leuis, vel melius sem-  
per, & duntaxat veniale ra-  
tione sui inducit, quia soli  
opponitur fidelitati, quæ ex  
genere suo ad solum obligat  
veniale, & ad mortale ratio-  
ne adiuncti v.g. damni, vt in-  
fra dicetur.

4 At si de donatione lo-  
quamur, videbitur hanc in  
solo proposito donandi non  
consistere, neque in sola do-



nandi promissione, sed in ipsa actuali rei datione *L. senatus, S. donatio ff. de donat. cau. mort. Tuscus V. donatio conclus. 6. l. nu. 2.* Vnde D. Thomas, quem refert, & sequitur Azorius lib. 1. r. cap. 1. initio. docet, quod donatio, *est gratuita ex amore datio*. Hinc colligit Molfess. summa tract. 12. cap. 17. nu. 10. donatione non aliter fieri, quam interuentu rei; ex sola namq; promissione, res donata non intelligitur, nisi dominiū rei actu, vel habitu transferatur. Vnde optimè dicit Couar. de sponsal. cap. 4. Quod qui promittit fide iubere non fideiubet, seu fideiussor non est, qui promittit locare, locator non est, qui promittit vendere, non propterea vendit, qui promittit aliquam in sponsam ducere, non propterea sponsalia contrahit, quia multum valde distant promissio contrahendi, à contractu ipso, etiam si promissio sit facta cū iuramento, vt tradit Boerius decis. 3. Item aliud est eligere, & aliud est promittere de eligendo, aliud est rem renūciare, & aliud est promittere

de renunciando.

5 Ex quibus patet promissionem esse medium quid inter propositum, & donationem & quemcunque alium contractum ad quem sequitur rei possessio; propositum namque nullam affert obligationem; promissio, saltem sub veniali inducit obligationem iuxta Caletani sententiam, de qua postea, at vero donatio, grauem, si materia grauis sit, affert obligatione. Propositum, nullum confert ius ad rem, quam quis alicui dare proponit, promissio confert ius ad rem, & donatio confert ius in re. Et sic cum sponsalia sint promissio futuri matrimonij, conferent ius ad rem in personam quæ in spōsam ducitur, & matrimonium confert ius in re. Ob hoc bene dicit Varro lib. 5. de lingua latina, quod ideo futuri matrimonij promissio, sponsalia dicuntur, quia fuit antiquorum consuetudo, quod puella nuptura viro promitteretur à patre, vel tutore, vel amicis, & qui promittebatur sponsus, & spōla dicebantur, quasi alteri promissus, vel pro-

promissa; qui promittebat dicebatur sponsor, & contrahens sponsalia, vocabatur.

6 Ex doctrina hucusque tradita colligi potest illius difficultatis solutio, an nimirum sponsalia addant fornicationi sponsæ, vel sponsi, cū alia persona, malitiam nouā, de qua difficultate tres sunt Theologorum sententiæ. Prima est Basilij Pontij lib. 12. c. 6. post Couar. 4. decret. p. 1. c. 1. Viualdi de sponsal. nu. 10. & aliorum dicentium, sponforum cum alijs fornicationē, nouam nō addere malitiam, supra malitiam luxuriæ, ac proinde talis circumstantiæ nō erit in confessione necessario explicanda. Secundam sententiam habet Sanchez lib. 1. disput. 2. Coninchus disp. 22. dub. primo, & alij, qui dicunt sponsæ fornicationem cū alio viro, ab sponso, nouam inducere peccati speciem supra peccatum luxuriæ, non tamē in sponso, quia illa per fornicationem grauem infert spōso iniuriam, ac proinde in cōfessione explicandam, non sic sponso, suæ sponsæ.

7 Nostra sententia sequēti explicatur conclusione. *Fornicatio tam sponsæ, quam sponsi, cum alia persona nouam affert malitia speciem, supra luxuriæ peccatum.* Hæc conclusio est adeo clara, vt non videam qua ratione, vel fundamento negari possit; Nam, vt patet ex dictis, sponsalia sicut non conferant ius in re in corpora, conferunt tamen ius ad rem, sicut confert emptio, traditione rei non sequita; ergo, sicut peccat (inferendo illi aliquam iniuriam) qui vsurpat rem ad quam quis per emptionē ius ad illam acquisiuit, ita peccabit sponso, vel sponsa dando alteri vsum corporis, quod per sponsalia sponso, vel spōsæ promisit. Sponsalia namque comparantur emptioni, & venditioni traditione nondum sequita; Matrimonium vero comparatur contractibus illis traditione sequita, cum hoc conferat ius in re, vt illa; & sponsalia conferant ius ad rem, vt illa, quando non est sequita traditio. Confirmatur, quia nemo negare

gare potest quin peccet venditor, qui rem v.g. equus, quem alteri vendidit, non tamen adhuc tradidit, alteri vsurpandum concedit; ergo similiter, nemo negare poterit, quin peccet sponsus, vel sponsa, quando alteri vsuram corporis faciunt, quod sibi ad inuicem, quoad ius ad rem tradiderunt; quod autem hæc iniuria sit maior, vel minor in vno, quam in alio nihil facit.

8 Diximus in conclusione talem fornicationem addere nouam malitiæ speciem non tamen illius explicuimus quantitatem, an nimirum grauis sit, vel leuis, si grauis explicanda erit in confessione, si leuis explicanda non erit. Dependet huius difficultatis resolutio ex illa an promissio ratione sui obliget mortaliter, vel venialiter. Et deinde dato, quod aliæ promissiones solum venialiter obligent iure naturæ, an hæc maiorem habeat obligationem ex iure positiuo, de quo infra.

9 Aduertunt Sanchez, &

Coninchus quod filij nati per fornicationem illâ non erunt spurij, sed naturales, quippe cum spurij illi solum sint, qui à parentibus nascuntur, qui habent impedimentum dirimens matrimonium.

10 Sed quæres primò, an nomine sponsi, & sponsæ, quando in lege, vel contractu, aliquid stabilitur, veniant solum sponsi primo modo supra explicato, & de quo hic tractatur, an etiam secundo modo; idem dubium poni potest quando de vxore, vel coniuge in lege, vel testamento, vel statuto fit mentio, an scilicet vxor solum tertio modo veniat, vel etiam secundo modo. Aliqui namque volunt sponforum nomine, venire sponfos solum primo modo, & vxoris, vel coniugis nomine, solum vxorem tertio modo, & rationem assignant, quia statutorum verba propriè sunt intelligenda. *Cap. in nostra*, de iniurijs, vbi Innocentius, & alij.

11 Alij melius distingunt dicentes, quod si res fauorabilis

bilis sit de qua lex, vel statutum loquitur de sponsis, vel vxore, comprehendit sponfos vtroque modo, & vxorem vtroque item modo, si vero odiosa sit, solum primo modo: colligitur ex *L. non sine*, C. de bonis, quæ liberis in potestate constitutis. Vide Abbatem in *Cap. tertio loco*, de præsumptionibus. Ego adderem debere attendi modum loquendi patriæ, nam in meis regionibus, sponsi primo modo dicti, non vocantur sponsi, sed promissi, & sponsi vocantur vxorati, etiam matrimonio consummato, in primo nuptiarum anno; vnde ibi, nisi aliud explicetur, sponforum nomine isti solum veniunt, præsertim in vltimis voluntatibus in quibus Notarij, & Iudices, se accomodant communi loquendi modo. Et nomine vxoris, vel coniugis solû ibi venit vxor post primum nuptiarum annum.

12 Quæres secundo, quomodo cognoscere poterimus legis, vel statuti dispositionem esse favorabilem? Res-

pondetur desumi debere ex primaria disponentis intentione, si namque primaria disponentis intentio, sit disponere in alicuius fauorem, dispositio favorabilis erit, etiam si in odium, vel damnum aliorum cedat: Si vero primaria disponentis intentio sit disponere, vel statuere in pœnam, vel odium alicuius, odiosa erit dispositio, etiam si in alterius redundet fauorem, & commodû. *Glof. cap. si propter*, de rescrip. in 6. & *cap. sciant cum sibi*, de electione in 6. & est communis sententia. Non displicet tamen Ioannis Andreae sententia capite 1. *de locato*. num. 5. dicentis constitutionem principaliter in fauorem emanantem, si pœnam contineat, esse restringendam tanquam odiosam ratione pœnæ. Hoc explicat Panormitanus, vt restringenda sit quatenus odiosa, & extendenda, quatenus favorabilis; quod placet *Couar. variarum cap. 1. num. 5.* quando fauor, & odium constitutionis distingui possunt.

## Q V A E S T I O II.

*An quis ad sponsalia obligari possit, per promissionem purè internam.*

13 **S**Tando in puro naturæ iure, est multorum sententia, promissionem purè internam inducere obligationem ad sponsalia, quæ sententia mihi probabilis est, vnde puto promissionem internam obligare hominem ad illam exterius manifestandam, & sic sponsalia inire; imò puto hac de re nullum extare ius in contrarium: iura namque quæ infra citabuntur solum volunt sponsalia ipsa debere esse externa, nec promissionem internam sponsalia facere posse, non tamen volunt, nec vlllo modo disponunt promissionem internam de sponsalibus ineundis suam non afferre obligationem. Pro quo aduerte, differentiã esse inter promissionem externam, & internam, quod externa fidelitate regulatur, & interna veritate; & qui aliquid exterius promittit, ex fidelitate illud seruare tene-

tur, quia fidelitas vult, quod facta, dictis respondeant; qui autem aliquid interius promittit, illud præstare tenetur ex veritate; veritas namque vult quod id, quod interius exequibile cogitatur, exterius exequatur; vnde mendax est, qui nõ præstat exterius, quod interius stabiliiuit, vnde sicut mendax est, qui aliud loquitur quam cogitauit, ita mendax erit, qui aliud facit, quam mente stabiliiuit. Vnde sicut infidelis Deo dicitur, qui promissa etiã interius facta Deo nõ reddit, vt dicitur Eccles. 6. ita infidelis erit, qui homini promissa interiori etiam promissione facta non seruat; veritas enim fidelitate exequitur, cum id quod interius promittitur, exteriori executione seruetur.

14 Probatum etiam, quia promissionis obligatio non est ex lege communi, vel vniuersali, sed est ex lege priuata quam

quam promittens sibi facit, spontaneæq; sibi met ipsi imponit, independenter à quacunque alterius voluntate; sed nemo dicet, quod quis non possit sibi met ipsi, aliquam obligationem imponere; ergo. Minor probatur, nam tota obligatio, quam habet externa promissio, ex interiori procedit voluntate; ergo si voluntas interior obligationem inducere potest supra actum externum, negandum non erit, quin possit eandem imponere supra actum internum, maxime cum signa externa non desiderentur propter promittentis obligationem, sed propter externam acceptationem. Confirmatur ex dictis quæst. præcedenti, nã promissio interior aliquid addit supra propositum interius; atqui hoc quod addit non potest esse nisi aliqua obligatio; ergo. Confirmari etiam potest, quia interna promissio iuramento firmata, in omnium sententia obligat; ergo etiam se sola. Consequentia probatur, nam licet iuramentum, quod est promissionis accessorium, distinctam afferat à principali

obligationem, tamen si & ipsum principale iuramento firmatum obligat, etiam se solo obligare poterit, alioqui tunc temporis, promissio iuramento firmata, non obligaret, sed solum iuramentum ipsum. Unde si quis internam fecit alicui promissionem, & post aliquod tempus illam promissario manifestet, obligatus manet in omnium sententia, etiam si promittens novam non faciat promissionem; ergo signum est hanc externam manifestationem, & acceptationem, suum valorem habere ab illa interna promissione. Certè videtur à ratione alienum, quod quis posset rei suæ possessionem solo interno actu renunciare, ut dicitur L. 1. S. si vir, L. 3. S. in admittenda, & L. si quis, 2. S. ult. ff. de acquir. possess. imò & dominium ipsum, ut quando res pro derelicta habetur: & non posset ius ad rem, alicui per internam promissionem tribuere. Unde P. Diaza diligentissimus scriptor p. 3. trac. 5. Miscell. resol. 119. plures pro hac probabilissima sententia refert, & sequitur. Et

ex illa infert, quod si quis sciret internā alterius promissionem, quā ille exequi nolle, posset occulta vti compensatione. Notat etiam ibi cum Ioanne de la cruz, quod donatio externa, seu promissio absenti facta, etiam si non acceptet illam, sed taceat, obligat in conscientia, & dominiū transfert.

15 Nichilominus. Nostra sententia sequenti explicatur conclusione, *promissio purè interna nullam inducit obligationem.* Hæc conclusio est communis, quam sequitur D. Thomas 2. 2. q. 88. art. 1. & 4. dist. 38. q. 1. art. quæst. 1. vbi sic dicit: *sola voluntate non potest aliquis obligari, nisi ei qui voluntatis est cognitor, quod salius Dei est, ideo ex consequenti importat obligationē Deo factam, & ex consequenti de his quæ ad Deum spectāt, cum personæ obligatio al icui facta de his, quæ ad Deum non spectant, nulla sit: obligatio autem homini exterior fit verbo exteriori expresso.* Vbi vt vides vult D. Thomas, quod ideo promissio interior, nempe votum purè interiori Deo factū,

teneat, quia ea quæ interiori fiunt ad solum Deum spectāt, qui est voluntatis cognitor, non sic promissio homini facta, cum enim homo sit exterior, exteriori promissione obligante, obligari poterit, non interiori.

16 Probatur primò ratione desumpta ex hoc D. Thomæ testimonio, quia homo non obligatur homini, nisi humano modo, seu modo sibi connaturali; sed modus humanus, & connaturalis quo homo se homini obligat est exterior, nempe per verba, signa, scripturas, &c. ergo. Maior videtur clara, Minor probatur, nam cum homo cordium secreta non intueatur, sed solum exteriora signa, nō nisi per ista humano modo obligari potest.

17 Probatur secūdò, quia nullus obligari propriè censetur, quandiu seipso, absque alterius relaxatione, à vinculo solui potest; sed qui alteri per internam promissionem obligatur potest se ipso absque alterius relaxantis ope relaxari; ergo non propriè obligatur. Maior cōstat, quia nullus

lus ligatus censetur, qui se ipso, quoties voluerit vincula soluit; ille enim propriè ligatus censetur, qui alterius indiget ope, vt solvatur. Minor probatur, nam cum promittens solum interius sibi legè liberè spontaneæque imponat, ab eadem se ipsum liberè, spontaneæque solvere poterit, qui enim sponte legem condidit, vel non tenetur lege, vel si tenetur aliquo modo, cum se ipso dispensare poterit. Et sic, qui purè interius aliquid alteri promissit, vel sua non vincularur lege, vel se ipsum dispensare poterit, vel legem ipsam quoties voluerit poterit abrogare, Ad ea quæ obijciuntur, verbum vnum respondere sufficiat, quod interior promissio licet aliquam inducat obligationè, tamen cum imperfecta sit, & vialis, in promittentis potestate erit, illam rescindere, & totaliter de medio tollere. Pendet ergo promissionis obligatio à voluntate promittentis, sed statum, & stabilitatem non habet, quandiu acceptetur, & sic cum hac conditione poni cèsetur; quæ

cōditio quamdiu purgata nō est, reuocari potest. An autè quis possit rei possessionem abdicare, & etiam dominium illius, alibi vita comite, dicitur, pro modo sufficiat dicere; plura requiri ad transferendum, vel acquirendum dominium, quam ad simplicem illius obligationem.

18 Sed quæres, an saltem interna obligatio Deo facta, quæ voti rationem habet, ducendi aliquam in vxorem, teneat? Respondetur negatiuè, est communis Theologorum sententia. Et ratio desumitur ex D. Thom. 2.2 q.88. art. 2. quia votū est promissio Deo facta de meliori bono; atqui melius bonum est cœlibatus, quam matrimonium, vt Tridentinum definit sess. 24. can. 10. ergo inualida erit promissio Deo facta de futuro matrimonio contrahendo. In duobus tamen casibus tale votum teneret. Primus est, quando matrimonium esset promittenti in præcepto, vt si virginem deflorasset sub fide futuri matrimonij; tunc enim validum esset, de illo matrimonio, votum; quia tunc ma-



rimonium melius esset quā  
 cœlibatus, cum hic sit de cō-  
 filio, illud de præcepto. Se-  
 cundus, quando maxima spe-  
 raretur utilitas ex matrimo-  
 nio, vt pax inter Christianos  
 Principes; insignis infidelium,  
 vel hæreticorū conuersio, &c.  
 tunc enim utilius esset matri-  
 monium ad Dei honorem,  
 quam sit cœlibatus. Alij etiā  
 alios duos, & probabiliter

valde, assignant casus. Primus  
 si quis voueat in remedium  
 concupiscentiæ, quia se ni-  
 mis fragilem cognoscit, ad  
 euitandum peccatum, &c.  
 Secundus, quando quis vo-  
 uet ducere pauperulam pie-  
 tatis, & religionis intuitu. Sed  
 de his, & similibus plenius  
 dicemus cum de voto age-  
 mus.

### Q V A E S T I O III.

*Quenam externa promissio ad matrimonium  
 requiratur.*

19 **P**lures difficultates  
 præsentis q. titulus  
 comprehendit, quas oportet  
 breuiter examinare. Prima  
 difficultas est, an futuri pro-  
 missio matrimonij, ad sui va-  
 lorem, acceptionem requi-  
 rat? Prima est Armillæ Verb.  
*sponsal.* num. 3. & aliorum sen-  
 tentia, quod futuri promissio  
 matrimonij ad sui valorem  
 nullam requirat acceptatio-  
 nem; vnde promittens ma-  
 trimonium, tenetur illud ini-

re, si ille cui promissio facta  
 est velit.

Nostra sententia sequenti  
 explicatur conclusione. *Pro-  
 missio futuri matrimonij nulla  
 est, nisi acceptetur.* Hæc con-  
 clusio communis est, & pate-  
 bit ex dicēdis difficultate se-  
 quenti. Prebatur nunc ratio-  
 ne efficacissima: Quoniā nul-  
 la promissio obligat antequā  
 acceptetur, & semper est in  
 potestate promittentis illam  
 reuocare, & illi non stare,  
 quam-

quamdiu non est acceptata, ut q. præcedenti tactum fuit; ergo neque promissio matrimonij obligabit, quamdiu nõ acceptatur. Antecedens ostēdo, nam talis promissio ante sui acceptationem non obligat ex iustitia, neque ex fidelitate; ergo nullo modo; non ex iustitia, quia nihil potest ad te pertinere tanquam tuū, absque tuo consensu, alias posset res aliqua ex mea fieri tua, absque tuo consensu, & absque eo quod tu hoc rescias, quod inauditum videtur. Neque ex fidelitate: quia fidelitas alteri oblata, & non acceptata, non ligat, ita enim se habet fides non acceptata, ac remissa; sed fides remissa non ligat; ergo neque acceptata.

20 Sed obijcies primò, quia promissio facta infanti valida est, etiam si non acceptetur; item promissio facta in fauorem causæ piæ; ergo non est de ratione promissionis quod acceptetur. Antecedens constat ex *L. iubemus C. de mancip. lib. ibi nisi infantes sint*, vbi licet emancipatio fieri non possit absque

emancipati consensu, fallit tamen in infante; si ergo infans est emancipationis capax, erit etiam promissionis. Quoad causas piæ, docent plures quos refert, & sequitur Tiraquell. *de privilegijs causa piæ*, priuil. 115. num. 1. Fel. cap. 1. *de pactis*. Molina to. 2. de iust. tractat. 2. disput. 263. *Incipienti*, & alij plures? Respondetur simplicem promissionem validam esse respectu infantis, & causæ piæ, quia ita iura statuerunt; potuerunt namque iura ita statuere, & facere quod iuris statutum pro acceptatione in casibus dictis, deseruiat. Non tamen hinc sequitur promissionem factam à viro, infanti puellæ, validam esse, in ordine ad matrimonium incundum, quia ius civile dū promissiones infātibus factas acceptauit, & voluit validas esse, de matrimonij promissione non egit, sed de alijs; & dato quod etiam de hac speciali loqueretur, per ius canonicum fuisset reuocata, ut ex infra citandis iuribus, apparebit.

21 Obijcias secundò, ma-  
tri-

rimonij promissio nec naturali, nec positivo iure acceptationem requirit; ergo. Antecedens ostenditur, quia qui promittit, & promissum non seruat, etiam nullo acceptante, non coformat facta promissis, atqui hoc est contra veritatem in factis; ergo naturali iure tenetur promissa seruare, etiam nullo acceptante. Quod neque iure positivo patet, quia nullibi repetitur? Respondetur acceptationem requiri iure natura, vt ex dictis q. præcedenti constat. Et dato, quod in alijs promissionibus acceptatio non requireretur, in matrimoniali tamen requireretur, propter specialem eius rationem, vt ex sequentibus difficultatibus constabit.

22 Secunda difficultas, an promissio futuri matrimonij ab vno coniugum facta, absque alterius repromissione sit valida? Prima sententia est affirmatiua, quam defendit Sanchez disput. 5. quia putat, quod quis possit gratis se obligare alteri absque repromissionis conditione, & absque vlla alterius obligatione.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Licet alia promissiones possint fieri, non tamen promissio futuri matrimonij.* Primam partem damus Sanchez; cum sit clarissimum posse aliquem promittere aliquid alicui, & iste talém acceptare promissionem, absque eo quod iste aliud repromittat. Secundam partem defendit Vasquez disput. 4. num. 29. Veracruz in Append. dub. 9. Pontius lib. 12. cap. 4. & est communis, & vera. Ratio desumitur ex differentia quæ est inter contractum sponsalium, & alias promissiones; nam sponsalia non sunt contractus gratuitus, in quo vnus potest sua sponte se alteri obligare, absque eo quod iste sibi vicissim obligetur: non est sicuti donatio in qua potest quis alicui donare, absque eo, quod donatarius suo donatori, sed est contractus mutuum afferens obligationem; ergo non potest vnus contractantis promissio valida esse, nisi detur etiam alterius repromissio. Consequentia nota est, vbi namque est mutua

tuæ

tua obligatio, mutua dari debet promissio; cum non possit vnus alteri censerī obligari, ex eo præcisè quod alter sibi obligetur, quod patet in ipsa societatis religione, vbi per vota simplicia, coadiutores formati religioni obligantur, non tamen religio illis, ad hoc vt religio religiosi obligetur non sufficit quod religiosi sibi obligentur, sed rursus requiritur, quod & religio ipsa spontè religiosi obligetur; Antecedens ostēdo, nam sponsalia cum sint futuri promissio matrimonij, debent continere in virtute, quod ipsum matrimonium continet in actu, sed matrimonium in actu continet mutua corporum traditionem; ergo etiam sponsalia debent continere mutua sed futuram eorumdem corporum traditionem; hæc autem esse nequit, vt ex se satis constare videtur, sine mutua repromissione; ergo.

23 Tertia difficultas, an qui acceptat promissionem, eo ipso repromittere censetur? vt si quis dicat foemina: *promitto me ducturum te*

*in uxorem, vel promitto me contracturum tecum matrimonium; & foemina dicat: ago tibi maximas gratias pro tanto beneficio in me collato. Vel quas gratias referam pro isto beneficio? vel placeat: accepto, &c.*

Prima sententia est negatiua. Hanc sequitur Sanchez quem refert, & sequitur Hurtado disput. I. difficult. 4. de matrimonio.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Qui promissionem acceptat, modo dicto, vel alio simili sufficienter repromittere censetur.* Valquez disput. 4. Pontius vbi supra, & alij communiter. Et ratio est, quia sponsalia, & matrimonium ipsum, sufficienter aguntur per signa interioris consensus manifestatiua, sed per talia verba, per quæ promissio acceptatur, sufficienter repromissio significatur; ergo. Minor probatur, nam dum foemina promittenti respondit, v.g. *accepto*, intendit per illud verbum se velle matrimonium inire cum promittente; ergo, illud est sufficienter repromissio.

tionis manifestatiuum : non enim vetat quod vnum, & idem verbum pro duobus deseruiat, & pro promittentis acceptatione, & pro suæ re-promissionis signo. Tū quia acceptatio vt valida sit, debet respicere promissionem; sed promissio, est sub re-promissionis conditione : ergo acceptatio debet hoc respicere, ac proinde continere debet tacitam re-promissionis voluntatem. Tum etiā quia negabit nemo, per illa verba, si fiant de presenti, verum non fieri matrimonium; ergo neque negare rationabiliter quis potest, quod per eadem verba, vt sunt de futuro, valida fieri non possint sponsalia. Antecedens ostenditur, quia matrimonium claudicare nō potest, sed vel ex vtraque parte, vel ex neutra est validum; Atqui altero per verba de presenti dicente *accipio te in meam*, foemina respondeat *placet*, matrimonium est validum, ex parte maritis; ergo etiam ex parte vxoris, ita docent Canonistæ cap. *inter*, de sponsalib. Ergo hoc idem de sponsalib. dici debet,

cum nec ipsa claudicare possint.

24 Sed obijcies primò, pro prima sententia, quia in dubio melior est possidentis conditio; Sed in foro externo dubium est, an acceptans promissionem, repromittat, cum possit vnum separari ab alio; ergo iudicandum erit per talem acceptationem, re-promissionem non adesse? Respondetur negando minorem, nam acceptans promissionem, censetur illam acceptare vt vt est, seu secundum suam conditionem; atqui vt dicebamus, promissio est sub re-promissionis conditione, ac proinde sub ista acceptatur; & sic per illam sufficienter re-promissio significabitur.

25 Obijcies secundo, sola externa acceptatio non est sufficiens signum re-promissionis; ergo. Antecedens probatur, quia potest quis alterius acceptare promissionem, absque eo quod alteri repromittat. Tum quia licet promissarij taciturnitas sit quædam tacita promissionis acceptatio, in his tamen solis, quæ in sui fauorem cedunt,

dunt, vt docet Innocentius cap. in *Genesi*, de electione, & electi potest. Couar. 3. variarum cap. 15. & alii; Atqui repromissio cum sit obligatio quædam non est fauorabilis, sed odiosa; ergo: vnde dicit glos. in *L. filius familias*, quod taciturnitas non est sufficiens signum ad obligandam personam? Respondetur negando Antecedens, nec probatio prima valet, quia si quis potest solum velle acceptare, & non se obligare, ita posset solum exterius repromittere, & interius non se obligandi habere intentionem. Nec secunda quia ex illa sequeretur non posse parâtes pro filiis tacentibus promittere, cum tunc suas obligent personas, quod tamen est contra omnes, vt supra ostendimus de matrimonio, & infra dicetur.

26 Quarta difficultas, an in casu quo quis matrimoniû promitteret, & alter acceptaret solum, & expressè repromittere non intenderet, & sic non obligaretur, an tamen alter obligatus maneret, non ratione sponsalium, quæ tunc non sunt, sed ratione simpli-

cis promissionis acceptatæ? Affirmat Sanchez disput. 6. quia licet sponsalia claudicare non possint, sed debeant vel vtrunque obligare, vel neutrum, promissio tamen potest esse ex parte vnius, altero acceptante, sed non repromittente, vt contingit in promissione liberali, & gratuita.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Non manet, sic promittens, obligatus neque ratione simplicis promissionis.* Ratio est, quia futuri promissio matrimonij non est gratuita, in qua quis obligari potest, altero libero manente, sed est onerosa, vt supra dicebamus, & est veluti commutationis contractus de futuro, seu est obligatio futuræ corporum commutationis, est contractus *facio, vt facias, vel do, vt des*, do mei corporis ius, vt tu vicissim des mihi ius corporis tui. Confirmatur ratione Glos *L. in vendendis*, C. de contrahenda empt. Bart. L. 1. nu. 3. C. de summa Trinitate, & aliorum iuris prudentiæ procerum, quia quando actus qui promittitur, ita ex

duorum pendet voluntate, vt sine mutuo ipsorum consensu perfici non possit, tunc promittens nihil disponere censeatur, nisi alterius accedat re. promissio. Verba namque contractus, iuxta eiusdem contractus naturam intelliguntur. *Glos. in L. si vno ff. locati*, sed sponsalia, sicut & matrimoniū ipsum ex duorum consensu, non ex vnius, solum acceptato perficiuntur; ergo promittens nihil disponere censeatur, nisi alterius cōsensus, & promissio accedat. Vnde talem assignant iuris prudentiæ doctores inter promissionē gratuitam & non gratuitam, seu onerosam, quam ipsi vocant respectiuam, differentiā, quod prior sit absoluta, & statim obliget, eius supposita acceptance, posterior vero sit conditionalis, & non obliget, nisi alterius accedat re. promissio.

27 Quinta difficultas, an sponsalia fieri possint si vterque gratuito spōdeat, & neuter respectiuē; vel vnus respectiuē spondet, & alter gratuito. Affirmat Sanchez vbi supra. Sed vera sententia ne-

gat, ratio patet ex dictis, quia sponsalia sunt contractus vltro citroque obligatorius; sed duæ illæ gratuita promissiones, cum à se mutuo non dependeant non efficiunt contractum vltro citroque obligantem; ergo vera facere nequeunt sponsalia, si namq; ego tibi liberaliter dem coronam, & tu mihi vicissim dones iullium, tunc non efficitur cōtractus *do, vt des* (qualis sunt sponsalia, cum mutua tribuant iura in corpora) sed remanent duæ simplices, donationes dissolutæ, & ab inuicem independentes; ita similiter quando sunt promissiones gratuita non fit contractus, sed ponuntur duæ promissiones dissolutæ, & independentes.

28 Obijcit Sanchez, quia de ratione sponsalium nō est, quod sit contractus *do, vt des*; nec aliū contractus obligatorius, sed sufficit, quod sit mutua promissio futuri matrimonij, siue gratuita sit, siue onerosa, ex vna parte, vel ex vtraque? Respondetur negādo suppositum, vt enim patet ex dictis spōsalia non sunt  
quæ-

quæcūque promissio, sed promissio, quæ mutua concedit ad corpora iura, hæc autem est onerosa, vt patet, & est mutua, vt colligitur ex L. 1. ff. de sponsal. vbi ob hoc sponsalia *repromissio*, vocantur. Et ratio plana est, quia cum sponsalia sint futuri promissio matrimonij, vt definit Nicolaus Papa in cap. *nostrates*, 30. q. 5. & L. 1. ff. de sponsal. sequitur quod cum matrimonium sit vtriusque vinculum de præfenti, sponsalia debent esse vtriusque vinculum de futuro; illud tribuit mutua in corpora iura; ista, ad corpora.

29 Sexta difficultas, an sponsalia obligent sub mortali ad illa obseruanda? Sanchez disput. 5. num. 17. putat huius difficultatis resolutionem dependere ab illa, an promissio simplex obliget sub mortali, pro qua tres refert sententias. Prima est Sancti Thom. 2. 2. q. 88. art. 1. ad 1. Caietani ibidem, & clarius q. 113. art. 1. dub. 4. & in summa V. perfidia. Vbi Armilla, Sotus dist. 20. q. 2. art. 2. & est communis Thomistarum, & vera, quod solum obliget sub ve-

niali, quia promissio simplex non obligat ex iustitia, sed solum ex fidelitate, quæ facit, quod facta respondeant verbis, sicut veritas facit quod verba respondeant menti; atqui fidelitas, & veritas, seu veracitas obligant solum sub veniali; ergo. Secunda sententia est quod id dependeat ex promittentis intentione, si enim intendat solum se obligare ex sola morali honestate, eius violatio mortalis culpa non erit, si vero ex iustitia, erit mortalis. Sic Molina to. 2. de iust. tractat. 2. disput. 262. Tertia sententia est, quod promissio simplex acceptata obliget ex iustitia, ac proinde sub mortali, nisi excusetur ratione paruitatis materiæ: hanc sequitur Sanchez, ex qua sententia deducitur, quod sponsalia obligent sub mortali cū eorum obligatio sit ex iustitia, & materia sit grauis. At nos cum D. Thoma dicimus simplicem promissionem obligare solum sub veniali, nisi aliunde graue damnum promissario sequatur, ultra rei promissæ priuationem. Et sponsalia obligare sub mor-



rali, quia non sunt simplex promissio, obligans ex fidelitate, sed sunt contractus onerosus, obligans ex iustitia, &

in materia grauissima, vt ex dicendis in hac, & sequenti disput. patebit.

## Q V A E S T I O I V.

*An sponsalia inter absentes fieri possint?*

30 **C**ertum est, quod fictum matrimonium inter absentes celebrari potest, vt diximus de matrimonio, per procuratorem factum, ita & sponsalia celebrari poterunt; vt autem, & quomodo fieri possint, maneat explicatum, aliquas proponemus difficultates ex quarum resolutione omnino explicatum manebit, quoniam modo talia sponsalia fieri queant.

Prima difficultas est, an promissio gratuita matrimonij, absenti facta, quæ, vt diximus quæst. præcedenti, sponsalia non inducit, nec obligationem illorum, possit ante absentis acceptationem reuocari? Respondetur affirmatiuè. Ratio est, quia iure communi quæuis promissio absenti facta, siue gratuita,

siue onerosa sit, ante acceptationem est reuocabilis, *L. absenti, ff. de donationibus*. Obligatio namque oriri non potest, nisi ex mutuo duorum, vel plurium consensu, *L. 1. ff. de pactis*.

Sed dices primò, quia doctrina data pro solis ciuilibus valet promissionibus, cum citata iura de his solum loquuntur, nõ de matrimoniali promissione, quæ non ciuilis, sed canonica est? Respondetur quod matrimonialis promissio & est canonica, & ciuilis secundum quod contractus naturalis est, quando autem leges ciuiles non sunt sacris contrariæ canonibus, tunc etiam in rebus Ecclesiasticis secundum ciuiles leges est iudicandum. *cap. intelligimus de noui operis nunciatione;*  
vbi

vbi glos. & scribentes: in nostro autem casu leges citatæ non sunt sacris canonibus contrariæ, &c.

Dices secundò, cap. *venies*, qui clerici, vel vouentes, statuitur quod promissio matrimonij absenti facta sit valida, nulla ibi facta acceptationis mentione; ergo &c. Respondetur ex Ioanne Andrea, Ostiensi, & alijs ibidem, quod licet ibi acceptationis mentio non fiat, tamen intelligitur.

31 Secunda difficultas, an promissio simplex matrimonij, quæ non est sufficiens ad contractum sponsaliū ineundum, vt diximus, absenti facta, & acceptata sit irreuocabilis? Respondetur non posse reuocari sine culpa veniali, nam tunc hæc promissio, sicut & omnes aliæ, ex virtute fidelitatis obligat, vt diximus quæst. præcedenti cum Diuo Thoma, & Caietano, quæ fidelitatis virtus ad veniale ligat, sicut & virtus veracitatis, nisi aliunde graue damnum sequeretur, vt ibi monuimus. Aduerte tamē, quod ure communi non censetur

promissio acceptari per hoc, quod absens quoquomodo talem sciat promissionem, sed requiritur quod ea intimetur à promittente vel alio eius nomine, & hoc vel per epistolam, vel per internumcium. Glos L. 1. ff. de *contrahenda emptione*, addita L. 1. ff. de *pactis*.

32 Tertia difficultas, an promissio dicta matrimonij, absenti facta, si fiat coram aliquo, qui eius nomine stipuletur, seu quod idem est, acceptet, possit reuocari? Respondetur negatiuè sine peccato veniali, vt enim patet ex dictis, promissio gratuita, quæcunque illa sit, reuocari non potest, sine veniali, cum tunc ex fidelitatis virtute obliget. Aduerte tamē, quod ad hoc vt aliquis pro absente stipuletur requiritur, quod verba promittentis ad ipsum dirigantur, vt si dicatur, *promitto tibi, me donaturum Petro* 100. Et iste acceptet pro Petro tunc hæc promissio stipulata, reuocari non potest sine veniali. Si vero verba ad absentem dirigantur, vt si dicatur, *promitto Pe-*

pro absentis 100. tunc quicumque tali promissioni præsens sit, pro absente stipulari non potest; ut enim præsens pro absente stipulari possit requiritur, quod vices illius gerat, quod illius personam aliquo modo repræsenteret, & quod promissio ad illum tanquam ad sic alterius personam repræsenterentem, dirigatur.

33 Quinam autem possint pro absente stipulari: dico id posse primò quot quot generalem, vel specialem ad id habent commissionem. Secundo id potest quilibet sub alterius positus potestate, ita ut non sit sui iuris, ut filius familias pro Patre; seruus pro Domino; religiosus pro Prælato, nam quod Prælati possit pro subdito, omni caret difficultate, item quod Dominus pro seruo, Pater pro filio, isti enim stipulari possunt non solum in promissione fauorabili, verum etiam in odiosa, an autem Pater, & Dominus stipulari possint pro filio, & seruo in sponsalibus modo dicetur. Tertio stipulari possunt, qui aliorum curam gerunt, ut tutor pro

pupillo, curator pro furioso. Quarto stipulari possunt omnes illi, qui ex illa promissione, vel donatione absentis facta, vel commodum reportant, vel ab aliquo onere liberantur, ut creditor pro debitor, vxor pro marito, socius pro socio. Aliqui hanc facultatem Notario concedunt publico, præsertim si de ea instrumentum conficiat, licet aliqui velint id solum in iudicio locum habere. Sed hæc pertinent ad tractatum de promissione, & donatione, vbi si vita erit comes fusè explicabuntur.

34 Quarta difficultas; an absens teneatur ratam habere promissionem, quam quis eius nomine acceptauit, seu pro qua stipulatus fuit? Respondetur negatiuè; ratio est, quia talis acceptatio censetur facta cum hac tacita conditione, si id absentis placuerit. Aduerte tamen, quod is qui pro absente fuit stipulatus, illam promissionem, vel donationem condonare non potest. Et ratio est, quia per talem stipulationem ex legum dispositione, absens ius  
acqui-

acquirit vel in re, vel ad rem; in re, in donatione rei traditæ, ad rem ratione promissionis; licet hoc ius non sit iustitiæ propriæ, sed solum fidelitatis. Dixi quod is qui pro absente fuit stipulatus non potest illam promissionem, vel donationem condonare, quia hoc verum habet ratione huius præcisè; scilicet aliunde ratione potestatis quam in promissarium, vel donatarium habet, ut Pater respectu filij, & Dominus respectu serui, &c. Aduerte etiã quod promittens, vel donans absenti, etiam si alter pro illo stipuletur, non tenetur donationem, vel promissionem exequi, quamdiu ab absente acceptetur, sed potest illius executionem suspendere, vsque ad illius acceptationem.

35 Quinta difficultas, an sicut potest quis pro absente stipulari in promissione gratuita, ita etiam possit pro onerosa, seu respectiua? Respondetur negatiuè nisi ad id speciale mandatum habeat. Est contra Sanchez. Defen-

ditur tamen communiter ab omnibus. Ratio est, quia nullus censetur onus subire, nisi volens, & non nisi volens potest alteri obligari; quod maximè verum habet in sponsalibus, in quibus requiritur, quod absens repromittat promittenti; unde promittens antequam promissarius repromittat, potest promissionem reuocare; imò etiam repromittens potest suam repromissionem reuocare, quamdiu hæc repromissio promittenti non innotescit, & non acceptat illam; cum enim sponsalia, & quælibet promissio respectiua, requirat quod sit mutua, nempe quod mutua sit promissio, & mutua acceptatio, sequitur non compleri per promissionem vnius, & acceptationem alterius, sed requiretur etiam alterius promissio, & illius acceptatio: sufficiet tamen, quando sponsalia fiunt per procuratorem, quod inter nuncius qui nomine absentis promittit, eiusdem etiam nomine repromissionem acceptet ad hoc enim cõsetur da-

ta commissio, cum sibi sponsalia nomine suo fienda committuntur.

36 Ex quibus inferitur sponsionem matrimonij factam infanti, non facere sponsalia, quia nullus potest illam acceptare, non enim pater potest in hac re stipulari pro suo infanti; cum enim sponsalia sint contractus onerosus, & personalis, ipsius personæ consensum requirit; & sic illa sponsalia nec firma, nec valida sunt, nec est necesse, quod spondens tempus expectet, quo infans spondere possit; obligabitur tamen sic spondens non in virtute sponsalium, sed in virtute simplicis promissionis, expectare tempus quo infans spondere potest, & tunc si spondeat sponsalia contrahentur, si non spondeat pror-

sus dissolventur.

37 Sexta difficultas, an quando parêtes pro filijs absentibus, vel infantibus spondent satis sit si postea illam sponsionem à parentibus factam ratificent? Respondetur affirmatiuè; per talem namque ratificationem censentur alterius sponsionem acceptare, & illi repromittere. Sed quæres; an sufficiat ad illa sponsalia ponenda quod dum parentes filijs intimant promissionem, illi taceant, sicuti sufficit quando in eorum præsentia & sponsalia, & matrimonium ipsum celebratur? Negat Sanchez d. 23. nu. 16. Sed nõ Sanchez sed D. Thomam sequimur, qui in 4. d. 27. q. 2. ar. 2. ad 1. docet talem sufficere taciturnitatem, quia eo casu sufficiens signum est consensus.



## Q V A E S T I O V.

*Quænam deliberatio requiratur, ut sponsalia  
valida efficiantur.*

38 **A**D hoc ut sponsalia  
valida sint, duo  
de necessitate requiruntur,  
vnum ex parte intellectus, al-  
terum ex parte voluntatis:  
ex parte intellectus, requiri-  
ritur aduertentia; & ex parte  
voluntatis, intetio, sola nam-  
que aduertentia validam nõ  
facit promissionem, nec sola  
intentio: sicuti ad hoc ut quis  
peccet mortaliter, non sufficit  
aduertentia ad malum, sed  
requiritur voluntatis consen-  
sus in illud; vnde si quis ex  
parte intellectu, mali graui-  
tatem aduertat, & ex parte  
voluntatis consensum nõ ha-  
beat, saltem mortaliter, non  
peccabit; ita ad hoc ut quis  
valida ponat sponsalia, non  
sufficit quod aduertat ad il-  
la, sed voluntatis consen-  
sus in illa requiritur. Hac in  
quæstione de aduertentia age-  
mus, quæ intellectus delibe-  
ratio vocatur, in sequentibus,

de consensu. De aduertentia  
ergo seu deliberatione; qua-  
ritur primò an debeat esse  
plena, & perfecta, an vero suf-  
ficiat semiplena? Responde-  
tur requiri plenam, & talem  
saltem qualem requirit pec-  
catum mortale, & votum: ra-  
tio est, quia ut supra probaui-  
mus, sponsalia obligant ad  
peccatum mortale; ergo tantum  
requiritur deliberatio ad spõ-  
salia, quanta ad mortale pec-  
catum requiritur; sed ad pec-  
catum mortale, & votum, ple-  
na, & perfecta requiritur deli-  
beratio; ergo etiam ad spon-  
salia.

39 Cõfirmatur, nam ideo  
Ecclesia statuit cap. *litteras*,  
cap. *accessit*, & cap. *ad dissol-  
uendum*, de desponsat. impub.  
quod ad sponsalia contrahẽ-  
da, septenniũ requiratur, quia  
vult ad illa requiri contrahẽ-  
tis deliberationem, quæ ante  
id tempus in puero non præ-  
sumi.

sumitur. Ex quibus infertur, quod si quis sponsalia faciat ex semiplena deliberatione, non perfectè ad id quod facit attendens, non tenetur neque sub veniali talia adimplere sponsalia, ratio est, quia licet semiplena deliberatio, quæ etiam motus secundò primus vocatur, sit sufficiens ad peccatum veniale, non tamen est sufficiens ad grauem inducendam obligationem, etiam sub veniali, nullus enim censetur velle sibi graue onus imponere nisi perfectè in illud cõsentiat, & ad illud aduertat, & de illo deliberet.

40 Queritur secundò, quãdo perfecta censeatur aduertentia? Aliqui volunt tunc perfectam censi aduertentiam, quantum ad præsens attinet, quando maturũ adest consilium, & præuia deliberatio, omnium, vel ferè omnium circumstantiarum, quæ circa sponsalia, & matrimonium futurũ, occurrere possunt. Sed verius dicendum est, perfectam aduertentiam non requirere maturum consilium, nec circumstantiarum cognitionem, sed sufficere

quod spondens, dum spondet cognoscat clarè id quod facit, nimirum se futurum promittere matrimonium, alioqui puer in septenio sponsalia facere nequiret, cum maturum non habeat consilium, nec circumstantias omnes aduertat, puto tamen maiorem requiri aduertentiam ad sponsalia contrahenda, quam ad peccatum mortale; & ratio plana est, quia ad peccatum mortale solum præsentium cognitio requiritur, saltem respectu aliquorum, at vero ad sponsalia contrahenda, etiam futurorum inspectio requiritur; debet enim qui sponsalia contrahit aduertere se per illa obligari ad futurum matrimonium, quod status affert perpetuitatem. Videatur D. Tho. q. 43. art. 2. Vnde D. Caietanus 2. 2. q. 88. art. 1. notat quod ad hoc vt quis deliberare censeatur, sufficit, & requiriter, quod rem de qua deliberat cum eius opposito conferat, alias libertas in eius electione non erit; discursus namque quo intellectus rem cum eius opposito confert, viam aperit volũtati vt vnã  
rem

rem prae alia eligat, illi ostendens aliquam maiorem boni rationem, à qua volùtas moneatur; quare ubi non est illa collatio, saltem aliqualis, pro rerum, & circumstantiarumq; conditione, libertas esse nequit; non est tamen necesse, quod illa collatio per verum, & proprium fiat discursum, sed iudicium sufficiet rationis, rem cum indifferentia proponens, vt suo loco magis explicabitur.

41 Quæritur tertio, an sponsalia facta ex iracundia, ex morbi angustia, ex belli timore, ex nimio amore impellente, ex vehementi carnis alteratione, vel alia simili passione, cum sufficienti deliberatione facta censeantur? Conueniunt omnes, quod si dictarum motus passionum, à peccato excusarent, mortali, eo quod, vel perfectam tollunt deliberationem, vel perfectum consensum, etiam à sponsalibus excusabunt; quod aliquam ingerit difficultatem est, quomodo cum istarum passionum motibus perfecta, & plena stare possit deliberatio, & perfectus, plenusque

consensus; cum enim isti motus fieri non possint, nisi cum aliqua corporis alteratione, & subinde cum aliqua sensuum perturbatione, & hæc perfectam tollere videatur aduertentiam, sequi videtur, non posse stare, dictarum motus passionum cum perfecta libertate; si enim semiplenè dormiens perfectam non habet libertatem, cum imperfectus ille somnus sensus perturbans, plenam, perfectamq; tollat aduertentiam, sequitur quod cum hoc ipsum faciat passionis motus, perfectam tollere habebit libertatem. Huius difficultatis resolutio magis dependet ex individualibus circumstantiis, quam ex specificis rationibus, videndum namque est, an hic, & nunc, passione motus, simul etiam aduertat quod agit, an non; si primum, actus ex passione factus sufficientem habebit deliberationem, secus si secundum; vnde ponderanda est illius actus causa, v. g. ira, quantum hominem perturbauit, an simul cum illa finem intenderit, &c. Est etiam aduertendum, quod non est



necesse, quod deliberatio præcedat tempore sponsalia, sed sufficit quod præcedat natura.

42. Duæ autem regulæ assignari possunt ad dignoscendum an cum passione, simul sufficiens maneat aduertentia. Prima est quam tradit Angelus, & Tabiena, v. *votum*: quâdo scilicet transacta passione, vel periculi angustia, qui vouit, contraxit, &c. pœnitent se vouisse, contraxisse, &c. talis namque pœnitentia, inquit, signum est, requisitam nõ adfuisse deliberationem, ac proinde illud votum, ille contractus, &c. non obligabit. Secunda regula est, quam tradit Butrio cap. *sicut ex litteris*, nu. 9. Panorm. cap. *si vero*, de iuramentis. & alij, quâdo qui v. g. vouet ex iracundiæ calore, vel ex morbi angustia, vel ex mortis timore, vt in naufragio, &c. cessante iracundiæ calore, minimè votum, vel iuramentum, &c. emissum fuisset, tunc signum est, inquit, tale votum, &c. non obligare, ex defectu perfectæ aduertentia. Quæ regulæ intelligi debent cum grano salis, quâdo

scilicet aliunde non constaret de perfecta aduertentia, cum contingat non infrequenter, quod quis aliquid faciat ex iracundiæ calore, & tamen sufficienter aduertat, & peccet mortaliter, & statim passione elapsa pœniteat, & nollet fecisse, quod fecit, & de facto non faceret. Si tamen de sufficenti dubitetur aduertentia, valebit ad prædictas regulas recurrere, licet enim aliqui velint, quod in dubio, an iracundiæ vsus perturbauerit rationis in vouente, in contrahente, &c. standum sit pro voto, pro contractu, quia ista tunc possideant, nõ libertas; cum certum sit de voto; & de aduertentia dubitetur; & quia raro contingit quod quis ex iracundiâ hominem interrimat, & nõ peccet mortaliter; ita raro continget, quod quis voueat, vel contrahat cum tanto iracundiæ calore, quod rationis vsus absorbeat. Tum quia, qualitas (v. g. libertas) quæ homini inest, semper inesse censetur, nisi de opposito constet, vt probat Menochius de præsumpt. lib. 1. q. 14. num. 3. Ta-

men aduerte non esse impro-  
babilem omnino Tiraquell.  
de pœnis temper. causa 1. per  
totâ. Menochij de præsumpt.  
lib. 1. q. 13. nu. 21. & aliorum  
multorum sententiam, quod  
gesta ex iracundiæ calore, in-  
consultè facta præsumantur;  
quod tunc maximè verum  
habebit, quando hæc præ-  
sumptio duabus, vel vna di-  
ctarum fulcitur, regularum.

43 Sed quid dicendum,  
quando quis est certus, quod  
dum vouit, dum contraxit,  
dum aliquid commisit quod  
aliàs est peccatum mortale,  
&c. quod ex parte intellectus  
plenam habuit aduertentiam  
v.g. de grauitate peccati, de  
voto, de sponsalibus, &c. &  
dubitat de pleno, perfectio-  
que consensu? Ego dicerem  
soluo! meliori iudicio, quod  
tunc perfectus consensus non  
adfuerit, maximè si de viro  
agatur timorato. Ratio mea  
est, quia plenus, perfectus-  
que consensus si adfuisset,  
certam sui memoriam reli-  
quisset, plena, perfecta que  
supposita aduertentia, cū ple-  
na, perfecta que deliberatio,  
seu perfectus voluntatis con-

ensus facilè sui generet no-  
titiam, ac subinde claram sui  
memoriam relinquat. Idem  
dicerem, quando quis est cer-  
tus de voluntatis consensu,  
dubitaret tamen, an in intel-  
lectu plenam habuisset ad-  
uertentiam, in viro namque  
timorato præsumi potest,  
(præsertim quando agitur de  
peccato mortali, quod tanto-  
pere detestatur) quod perfe-  
ctam non habuerit aduertent-  
tiam. Ratio est, quia hæc  
facile sui notitiam relinquit,  
& sic tunc poterit præsumi  
de aduertentia imperfecta.  
Dixi in viro timorato, quia  
in homine nequam opposi-  
tum præsumi debet, quia cū  
iste operetur ex habitu, prop-  
ter facilitatem operandi, &  
consentiendi, quam ex habi-  
tu habet, non aduertit reflexè  
ad id quod deliberat, con-  
sentit, &c. & ideo certam non  
retinet memoriam, sed vel  
solum dubitat de aduertent-  
tia, de consensu, vel si mul-  
tum temporis fluxit, potuit  
etiam à memoria fluere; non  
sic vir timoratus: quæ doctri-  
na retineri debet quia mul-  
tum deseruiet pro multis ca-  
sibus,

fibus, præsertim pro sedandis piorum, & timoratorum conscientijs, quando dubitant, se consentisse, vel non consentisse rei peccaminosæ, quando dubitant de aduertentia, vel consensu, &c.

44 Quæritur quartò, an surdi, & muti sufficientem habere possint deliberationem ad sponsalia contrahenda? Conueniunt ferè omnes Theologi, & Canonistæ, quod mutus, & surdus à natiuitate, matrimonium, & sponsalia contrahere possint, præsertim si sint perspicacis ingenij, qui signis edoceri possint de horum natura contractuum, & per propria signa, proprium exprimere possint consensum, ita definitur cap. *cum apud*, de sponsalib. ubi dicitur. *Videtur quod si talis (nempe mutus, vel surdus) velit contrahere non debet sibi denegari*. Si enim non sibi denegatur confessio, & communio, &c. neque matrimonium sibi denegari debet. Conueniunt etiam, quod cæcus, surdus, & mutus, qui hos morbos contraxit postquam nouit quid isti contra-

ctus essent, possit illos efficere, cum tunc possit sufficienter consensum manifestare per signa aliqua. Difficultas est de surdo, cæco, & muto, à natiuitate, de quo dicit Gregor. Lop. lib. 5. tit. 2. p. 4. post alios, quod possit sponsalia, & matrimonium contrahere. Sed verior videtur Ancharani cap. citato *cum apud*, & aliorum sententia, quod fieri non possit, quia non videtur quoniammodo possit ille de horum natura contractuum instrui, & quomodo possit proprium consensum manifestare.

45 Quæritur quintò, an amens sponsalia, & matrimonium contrahere possit? Certum est quod si amens est perpetuò, & absolutè talis, illos contractus efficere non possit, cum in eo deliberatio esse nequeat, vt ex se constat. Quod si lucida habeat interualla, eo tempore contractus illos efficere poterit, cum tunc perfectam habere possit aduertentiam, & plenum, perfectumque consensum. Similiter, si sit amentia de horum natura contractuum, illa efficere

efficere non poterit, licet in omnibus alijs materijs prudentis sit iudicij; si vero in horum contractuum materia sit sanæ, perfectæque mentis, licet in omnibus alijs, vel in aliqua illarum sit mente caprus, illos contractus efficere poterit; est enim certum vt docet experientia, quod vnus possit esse amens in vna tantum materia, & non in alijs, & econtra. Ratio est, quia contingere potest, quod vnus phantasmatum sinus, seu quod vnus phantasiæ sinus, in quo series talium phantasmatum, vel specierum subiectatur, sit deprauatus, per accessum alicuius humoris, v.g. malincolici, vel quia spiritus ibi ascendentes, qui sunt veluti specierum vehicula, sint infecti, & tunc species non repræsentent rem sicuti est, sed deprauatam, sed confusam, &c. & sic erit ille, amens in illa materia, non in alia, &c. Hoc solet facilius accidere in malincolicis, in quibus malinconia causat spiritus animales non nitidos, sed crassos, qui augent phantasmatum apparentiam, cum il-

la deferunt à sinu ad potentiam, cum sint illi spiritus veluti conspicienda quædam, in quibus quâdo deprauati sunt videtur res aliter, ac sunt. Adde quod hoc prouenire etiam potest ex eo quod phantasmata in phantasia subiectentur, dum est malincolico plena humore; nam in eo humore phantasmata magis intenduntur, & fortificantur, & grossiora valdè fiunt, & sic rem non vt vt est repræsentant. Idem quod diximus de amente, dici etiam debet de ebrio ebrietatis tempore; quod magis sequens difficultas elucidabit.

46 Quæritur sextò, an si amens, vel alius tempore sane mentis volûtatem habuerunt contrahendi sponsalia, in virtute illius voluntatis validè illa contrahant in amentia, vel ebrietate? aliqui hanc difficultatem sic proponunt an ad valorem sponsalium specialiter in furioso, & ebrio sufficiat intentio deliberata, quæ præcessit, & perseuerat in furia, aut ebrietate: alij sic proponunt, an in contrahentibus, attentio actualis requi-

quiratur: alij etiam sic, an ad sponsalia, matrimonium, & ceteros contractus, sufficiat volitio deliberata in causa, an vero requiratur in se. Sed ut vides omnes isti inquirendi modi, in idem recidunt. Et respondetur negatiuè, sed ad efficiendum sponsalia valida (& idem est de quocunque alio contractu) non sufficit intentio deliberata virtualis, nec sufficit quod indirectè, seu in alio, seu in causa intenduntur, imò neque intentio directa illorum sine actuali aduertentia sufficit, sed prorsus actualis requiritur aduertentia cum intentione siue actuali, siue virtuali. Dixi quod neque sufficiat directa illorum intentio, sine actuali aduertentia: pro quo aduerte, quod sponsalia ante ebrietatem intèdi possunt, vel in ipsa ebrietate tanquam in causa, ut cum quis præuidet quod in ebrietate sponsalia contrahet, & intendit illa, & tunc intenduntur, indirectè, seu in causa, vel etiam intèdi possunt in se ipsis directè, ut cum quis intendit facere sponsalia, & eligit pro

medio ipsum somnum, vel ebrietatè & de omnibus istis dico non esse vera sponsalia si in somno, vel ebrietate in virtute illarum intentionum, & attentionum sequantur, sed requiritur quod dū actu fiunt, homo usum habeat rationis. Ratio est, quia de ratione contractus est, quod sit humanus, seu quod sit liber in se, & ratione sui; ergo non sufficit libertas suæ causæ, vel in alio; at sponsalia, vel quilibet contractus in ebrietate non est liber in se, ut patet; ergo. Antecedens ostendo: nam de ratione contractus est quod sit fœcundus, seu quod vtrinque pariat obligationem. Sed non est fœcundus nisi qua humanus, qua liber; ergo &c. Obligatio nāque, quæ in vtroque ponitur contrahente, non causatur à causa contractus, sed à contractu ipso; ergo non sufficit quod causa ipsa contractus sit humana, sit libera, sed requiritur quod ipse contractus sit liber, sit humanus ut possit liberam, humanamque causare obligationem.

47 Sed dices primò, quia

si quis ante somnū, vel ebrietatem, vel amentiam, baptis-  
mi habuisset intentionem, pos-  
set validè in somno, in amen-  
tia, in ebrietate, baptizari;  
ergo etiam si quis ante som-  
num, ebrietatem, amentiam,  
habuit intentionem habendi  
sponsalia, uel uendendi suam  
domum, &c. poterit hæc tunc  
temporis validè præstare.  
Respondetur cōcedendo An-  
tecedens, & negando con-  
sequentiam, aliud nanque  
est loqui de ministro sacra-  
menti, aliud de suscipiente;  
aliud est loqui de contrahen-  
tibus, aliud de eo pro quo  
quis contrahit; nam in mini-  
stro sacramenti voluntas in  
causa non sufficit; unde si sa-  
cerdos in vigilia, vel ante  
amentiam, voluntatem, &  
attentionem, seu aduertenti-  
am haberet baptizandi in  
somno, amentia, &c. non ba-  
ptizaret, secus in suscipiente.  
Similiter nō est necesse, quod  
ille, cui res empta donatur  
habeat aduertentiam, & ac-  
ceptionem, quando datur,  
sed sufficit quod illam habue-  
rit. At vero vendens, & e-  
mptas, dum vendunt & emunt

aduertentiam habere debet,  
& non sufficit aduertentia, &  
intentio in causa, sed in se  
requiritur; ratio est, quia isti  
sunt ministri contractus hu-  
mani adualem utrinque ob-  
ligationem humanam pariē-  
tis, ac proinde adualem ha-  
bere debent aduertentiam. Si  
autem quæras quare minister  
sacramenti, & ministri con-  
tractus, seu contrahentes de-  
beant rationis vsum, seu exer-  
citiū, habere? dico, quoad  
ministrum sacramenti, quod  
ratio est, quia debet alterius  
personam repræsentare, &  
operari vt instrumentum illius,  
nempe Christi Domini; hoc  
autem fieri non potest sine  
aduertentia humana, qui  
enim in somnis baptizaret,  
consecraret, absolueret, &c.  
Christi Domini personam nō  
repræsentaret; cum illa re-  
præsentatio, nō nisi per actus  
humanos, habeatur. Quoad  
contrahentes vero dico, ( va-  
let etiam pro sacramenti mi-  
nistro ) rationem esse, quia  
contrahentes vt dicebamus  
taliter contrahere debent,  
quod liberam, & humanam  
ponant utrinque obligatio-

nem, quæ cum sit effectus liber, libertatem supponit in sua causa, nempe in contractu. Dixi quod minister sacramenti debet habere libertatis exercitium, seu aduertentiam humanam, non tamen quod debeat fixus manere in tali aduertentia, nam si distraheretur dum aliquam ponit sacramenta, adhuc validè poneret illa, si sacramentum Pœnitentiæ excipias, in quo cum sacerdos sit iudex, debet ad omnia, quæ à Pœnitente confitentur, attendere, vt de illis iudicare possit; in alijs autem sacramentis attentio sufficiet virtualis, quæ optimè stat cum operatione humana; humano namque modo loquitur orator, dum ante Pontificem orat, etiam si ad alia interius se diuertat; humano modo loquitur quis cum amico suo, etiam si ad alia attendat dum loquitur, & sic sacramenti minister humano modo baptizat, etiam si ad alia distrahatur, &c. nullus enim dicitur humanum operandi modum amittere per distractionem, etiam voluntariam, sicut dicitur amit-

tere per somnum, per ebrietatem, & per amentiam, in his enim rationis vsus tollitur quoad omnia, per distractionem quoad nulla, quia licet distractus non aduertat, semper tamen aduertere potest, cum nullum sit in organo impedimentum. Idem dicendum de cōtrahentibus, sufficit enim quod humano modo contrahant, etiam si ad alia distrahantur, non sic in Parocho, & testibus matrimonio assistentibus vt diximus disput. 3. q. 8. diffic. 1. r. nam isti cum debeant de matrimonio testificari actualem habere debent aduertentiam; licet nullus in illis requiratur consensus.

48 Dices secundò, pollutio voluntaria, vel homicidium in somnis commissum & præuisum in vigilia, est peccatum mortale, & multo magis si sit præuisum, & simul intentum, & etiam magis, si quis homicidium intendens eligat pro medio somnum, vel ebrietatem; ergo etiam sponsalia, sic præuisa, vel intenta in somno, vel ebrietate valida erunt? Responde-

tur

eur transeat Antecedens, est enim valde probabile quod peccata illa, nisi materialiter, non fiant in somno, vel ebrietate, sed solum in causa, de qua re egimus in tractatu de Poenitentia. Deinde negatur consequentia, ratio discriminis est, quia homicidium, vel pollutio in somnis sequuta non debent afferre effectum liberum, sicuti contractus, sed sufficit quod sint, ( ut imputentur ) effectus causæ liberæ.

49. Quæritur septimò, an sponsalia non solum deliberata esse debeant, verum etiã spontanea, taliter, quod excludât metum, vel fraudem? Respdõetur affirmatiuè, vnde si talia non sint, nõ tenentur sic cõtrahens illa, nisi ratione iuramenti, si fortè addatur, obseruare; sed poterit illa rescindere; ita colligo ex D. Tho. 2. 2. q. 86. art. 7. Vnde nihil refert quod metus sit grauis, vel leuis secundum Nauar. cap. 17. n. 30. quia qui metu leui promissionem ab aliquo extorquet iniuriam facit promittenti, ratione cuius promittens potest non soluere pro-

missum. Quomodo autem metus matrimonium resoluat diximus disput. 3. An autem sponsalia per metum, vel fraudem facta non solum rescindi possint, verum etiam sint valida, disputant Theologi, nam Sanchez lib. 4. disput. 19. Glos. cap. ex litteris, de desponsat. Impub. volunt solum sponsalia metu graui extorta esse nulla. Coninchus disput. 28. nu. 7. post Henriquez docet esse valida etiã metu graui extorta, & à fortiori & isti, & etiam illi, id dicent de sponsalibus metu leui extortis, quod nimirum valida sint; bene verum est omnes admittere sponsalia metu graui extorta ius conferre ad illorum rescisionem, non tamè hoc omnes admittunt de sponsalibus metu leui extortis; sed quod cum Nauar. diximus videtur verius, nam licet leuis metus, iniuriam solum causet leuem; cū tamen sit in ordine ad grauissimum onus, nempe ad matrimonium faciendum, debet ius conferre ad illorum rescisionem, ne quis cogatur grauissimum subire onus, sine



omnimoda libertate : oppositum tamen sua non caret probabilitate , & in foro externo hoc communiter se-

quitur, & illud in interno, sed de hac re plenius in materia de contractibus .

## Q V A E S T I O VI:

*An promissio ficto posita animo, ad valorem sufficiat sponsalium.*

50 **T** Riplicè potest quis habere volùtatem dum futurum spondet matrimonium . Prima est qua promittere velit . Secunda qua velit se per talem promissionem obligare . Tertia , qua velit quod promissum est implere . His tribus veris voluntatibus, tres aliæ fictæ correspondere possunt . Prima, quādo quis exterius promittit , interius tamen animum promittendi non habet . Secunda , quando animum habet promittendi , non tamen se obligandi . Tertia quando quis animum habet, & promittendi , & se obligandi , non tamen adimplendi promissum . De his fictis voluntatibus, seu promissionibus,

51 Cōveniunt omnes, promissionē primo modo fictam, qua scilicet quis promittendi animum non habet, ac subinde nec se obligandi, valida nō facere sponsalia, cum illa promissio ficta sit, & mendacium . Conveniunt etiam promissionem tertio modo fictam valida facere sponsalia, cum verum habeat animum promittendi & se obligandi, licet animum non habeat adimplendi . Conveniunt tandem, quod si promittens negativè se habuit, quia scilicet , nec habuit voluntatem se obligandi, nec non se obligandi, implicitè tamen, & virtualiter obligare se voluit, quia dum promisit sciebat obligationis na-

turam, veram ponet promissionem. Si quis vero nec habuit voluntatem se obligandi, nec contrariam, nec sciebat obligationis naturam, nec voluit ea intentione promittere, qua ceteri promittunt, veram non faciet promissionem, & ratio est, quia promissionis obligatio ex spontanea promittentis voluntate confurgit; sed quando promittens promissionis ignorat obligationem, tunc obligatio spontanea non est; ergo non obligat. Maior patet. Minor ostenditur, quia ut habetur *L. si per errorem*, ff. de iurisdic. omn. iudic. nihil magis voluntati contrarium est, quam ignorantia, & error. Ex qua doctrina infert Rodriguez to. 2. Summæ, c. 92. n. 8. quod qui inuincibiliter ignorat votum castitatis esse sacris annexum Ordinibus, illo non ligatur, dum illos suscipit. Vnde difficultas præfens de secundo fictæ promissionis genere procedit, & ad hoc unum restringitur, an quando promittens habuit verum promittendi animum, non tamen se obligandi, an tunc maneat

sic promittens obligatus. Sûnt duæ sententiæ extremæ, ambarque probabiles. Prima est, quod talis promissio sit valida, & obliget. Hanc tenent Ledezma q. 43. art. 2. dub. 2. Sotus de iust. lib. 7. q. 1. art. 2. Rodriguez vbi supra num. 7. Gutierrez lib. 2. q. canon. c. 22. nu. 32. & alij. Secunda sententia tenet talem promissionem sine animo se obligandi esse nullam. Hanc tenet Sanchez [disput. 9. nu. 5. post alios, quos ibi refert.

52 Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Promissio facta cum vero promittendi animo tenet, etiã si non habeatur animus se obligandi, dummodo animus non se obligandi non sit destructiuus animi verè promittendi.* Dixi dummodo animus non se obligandi nõ sit destructiuus animi promittendi, quia quoties sunt duæ intentiones oppositæ, prior semper sustinetur, dummodo posterior nõ sit prioris destructiuus, est autè prioris destructiuus, quando supra illam aliquam habet reflexionem, quis & nõ vult illam manere, ut maneat posterior, quod

quod si illa prior manet, & non retractetur per posterio-rem, vincet, & secunda pro nō adiecta habebitur. Hæc con-clusio sic explicata videtur omnino clara, & patet ex dictis de sacram. in genere, vbi explicuimus plurium cōcur-rentiam intentionum.

§ 3. Probatum primò, quia implicat veram dari promissionem sine obligationis effectu, sicuti implicat dari ignē non calefactiuum, seu sine calefactionis effectu, imò magis intrinseca est obligatio promissioni, quam sit calefactio igni, hæc enim per diuinam potentiam tolli potest, non obligatio à promissione onerosa, cum posita promissione ponatur obligatio, & ablata promissione auferatur; vnde si Deus auferret obligationē à promissione, non maneret promissio; non enim potest Deus facere quod facta non correspondeat dictis, & quod dicta non respondeant factis, & menti; alioqui posset Deus facere, quod quis esset infidelis, & mendax, quod est inauditum. Sed dices obligatio est effectus promissio-

nis in genere causæ efficien-tis; ergo potest à Deo impe-diri, & ab eo solo poni, diximus namque supra posse Deum mutuum tradere ius, & obligationem in corpora, sine vllō contrahentium con-sensu? Respondetur namque promissionis obligationē non esse eiusdem promissionis effectu in solo causæ efficien-tis genere, sed & maximè in genere causæ formalis, cau-satur namque ex mutua pro-missione, quæ coalescit ex verbis consensibus informa-tis prout rationem materiæ, & formæ in inuicem habent; vnde licet verum sit posse Deum ob dominium quod habet in homines, ius corpo-rum ad inuicem tradere, & eadem corpora tradere reli-gioni, non tamen potest tra-dere, vel ponere se solo voti obligationem, nec obligatio-nem matrimonialem, nec ob-ligationem sponsalium, cum hæ obligationes sint liberæ, & humanæ, quæ non nisi me-dijs humanis cōsensibus, po-ni possunt; & si Deus suum suspenderet concursum, vel nollet concurrere ad voti ob-liga-

ligationem, ad obligationem  
matrimoniale[m], & sponsalia[m],  
etiam si connaretur concur-  
rere ad votum ponendum,  
ad matrimonium, ad sponsa-  
lia, nec votum poneretur, nec  
matrimonium, nec sponsalia;  
cum de horum essentia sit  
obligatio, quæ si non ponat-  
ur, nec illa ponentur.

54 Probat[ur] secundo, quia  
qui vult Antecedens, vult  
etiam consequens, quod ex  
suppositione Antecedentis ne-  
cessario sequitur L. i. §. i. ff. si  
usufruct. petat. vbi dicitur: si  
usufructus legetur, necesse est  
ut sequatur eum aditus. Vnde  
Euerard. loco à concessione An-  
tecedentis, optimè probat va-  
lere argumentum ab Ante-  
cedenti ad consequens; Sed  
promissio est Antecedens ad  
obligationem, & obligatio  
est consequens; ergo qui vult  
illam, & hanc velle debet.

55 Sed obijcit primo, Sâ-  
chez ex cap. finali, de condit.  
apposit. vbi dicitur, quod cõ-  
ditio appositæ contractui ip-  
sum annullat, quando cum  
ipsius contractus substantia  
pugnat; sed intentio non se  
obligandi pugnat cum sub-

stantia promissionis; ergo illa  
intentio promissionis contra-  
ctum annullabit? Responde-  
tur verum esse, conditionem  
contractat appositam, contra-  
ctum annullare, quando ta-  
lis conditionis appositio ex  
intentione procedit, quæ est  
destructiua primæ intentio-  
nis de vera ponenda promif-  
sione, vel contractu, secus  
quando non destruit; eo nam-  
que tempore talis conditio  
pro non appositæ existima-  
tur.

56 Obijcit secundo, quia  
matrimoniũ nullum est, quã-  
do quis ducit vxorem solum  
ad tempus; ergo etiam spon-  
salia nulla erunt, quãdo quis  
non se obligare intendit. An-  
tecedens vt certum supponi-  
tur. Consequentia probatur,  
quia non minus pugnat cum  
matrimonio animus contra-  
hendi ad tempus, quam ani-  
mus non se obligandi cum  
sponsalibus; ergo? Responde-  
tur Antecedens solum verum  
esse, quando ille animus cõ-  
trahendi ad tempus, vel non  
supponit intentionem matri-  
monij, vel si supponit destruit  
illam, secus quando veram  
sup.

supponeret matrimonij intentionem, & illa secunda non esset per reflexionem supra primam, destructiva illius.

57 Obijcit tertio. Quia obligatio, quæ non est ex lege, ex priuata oritur voluntate; ergo si non adsit se obligandi voluntas, obligatio non ponetur? Respondetur obligationem sponsalium oriri ex voluntate contrahendi; eo namque ipso quod quis contrahere vult, obligare se vult, non à voluntate speciali qua quis vult se obligare; & sic, etiam si hæc non ponatur, vel ponatur contraria, sponsalia valida ponentur, quoadiu legitima intentio ponendi illa perseverat. Sed dices ex hac doctrina sequitur, non esse in promittentis voluntate velle se obligare grauius, vel leuiter; hoc est falsum; ergo. Minor probatur, quia vt satis communiter docent Theologi in materia de legibus, potest quis etiam graui existente materia, solum leuiter se velle obligare, vnde legislator potest condere legem obligantem solum sub veniali, imò sub nulla culpa morali, sed solum

ciuili, cui addatur talis, vel talis poena, vt patet in multis Regularium constitutionibus. Item Prælati potest imponere præceptum in materia graui, obligans solum sub veniali, vel sub minori excommunicatione; ergo etiam promittens poterit solum se obligare sub veniali, vel sub nulla culpa morali, & ciuili, cum obligatio promissionis, ex lege confurgat priuata, quæ promittens sibi ipsi imponit, & potest sibi ipsi illam imponere eo modo quo vult? Respondetur quod homo in aliquibus potest se prout vult obligare, quado scilicet promissio non est onerosa, & etiam in voto, seu in promissione Deo facta, cum non sit ex rigorosa iustitia, vt suo loco dicitur; at vero in contractu oneroso, cum pariat iustitiæ obligationem, & materia sit grauis, nisi ex mutuo contrahentium consensu, non potest quis solum leuiter se obligare. Horum ratio est, quia in liberalibus obligationibus spòdens, seu promittens sibi ipsi obligationem imponit, ratione scilicet fidelitatis, & veracita-

citatis, quæ ab ipso promittente, ratione promissionis, habent obligare; at vero in promissionibus onerosis obligatio duplex confurgit, vna à promittente ratione fidelitatis, & hæc est leuis, altera ex natura contractus & est grauis quâdo est de materia graui; & quia obligatio grauis contractus, quando materia grauis est, & est ratione iustitiæ, potest ex mutuo contractuentium cōsensu condonari, propterea contractus onerosi saluari possunt cum sola veniali obligatione, sine qua contractus nullo modo esse potest, quandiu promissio manet, cum semper clamet fidelitatis, & veritatis obligatio, & nullus facere possit, neque Deus vt diximus, quod fidelitas, & veracitas non seruetur.

57 Sed quæres primò, an in casu quo promissio sit nulla, quia scilicet, taliter fuit sine animo obligandi, quod destruxit voluntatē verè promittendi, fiat valida si iuramento firmetur? Respondetur negatiuè, iuramentum namque additum contractui

nullo, non facit illum validū, sed vt vt erat relinquit, licet iuramentum seruari debeat, quando sine peccato id fieri potest.

58 Quæres secundò, an quando in casu dicto promissio est nulla, seruari tamen debeat ratione fraudis, & iniuriæ alteri illatæ? Respondetur quod quando promissio est gratuita, & nullum aliud sequitur damnum, quam rei promissæ carentia, non debet de necessitate seruari. Similiter quando promissio est onerosa, vt sunt sponsalia, & nullum aliud sequitur damnum nisi quod fœmina delusa fuit, dicendum mihi videtur, sic fictè promittentem ad nil teneri. Ratio est, quia non tenetur fictè promittens ratione promissionis, quia nulla fuit, neque ratione iniuriæ, quia non intercessit, sed solum mendacium; ergo, &c. si tamen scandalum sequeretur, ad hoc vitandum teneretur fictus promissor, promissionem seruare, & matrimonium inire. Quod si sub specie fictæ promissionis copulam extorsisset, teneretur

R r fictus

fictus promissor, vel foemina ducere, vel secundum aliquos illam dotare; quod admitterem, quando foemina delusa inferioris esset conditionis, ipso deludente. Aliqui non improbabiliter, absolute volunt, teneri fictum promissorem in contractu oneroso promissionem fictam seruare debere, & rationem assignant; quia quando vnus contrahentium ex parte sua contractum impleuit, teneatur id ipsum facere alter, etiam si fictè promiserit, eo quod ex iustitia tenebatur verè, & non fictè contrahere. Sed quod dixi est verius, nisi damnum sequatur, & si sequatur, suffi-

ciet, vel contractui stare, vel damnum resarcire. Aduerte vnum hic, quod non semper creditur foeminae alleganti se deceptam fuisse. Vt si vir notabiliter conditione sit dignior, tunc enim foemina huius excessus conscia non poterit allegare se deceptam fuisse, quia facile credere poterat, illum fictè matrimonium polliceri ad suam explendam libidinem. Similiter quando foemina ex verbis, vel alijs coniecturis facile intelligere poterat virum fictè promittere. Item si foemina virum deceperit dicendo se esse virginem cum tamen non esset.

## Q V A E S T I O VII.

*Qui sint habiles ad sponsalia contrahenda.*

59 **P**lures difficultates continet huius quaestio- nis titulus, quas breuiter proponemus, & soluemus. Prima difficultas est, an contrahentes sine Parochi, & testium praesentia sint inhabiles ad sponsalia contrahenda; seu,

vt alij proponunt, an sponsalia clandestina sint per Tridentinum nulla, eo quod sicut inhabilitauit contrahentes matrimonium clandestinè, ita inhabilitauerit contrahentes sponsalia clandestinè? Respondetur negatiuè, est

com-

comunis Theologorum sententia. Ratio est, quia Tridentini lex sess. 24. c. 1. matrimonium irritans clandestinum, est iuris communis correctiva; ergo extendi non debet ultra casum expressum *L. precipimus, C. de appellatione*. Sed Tridentinum solum matrimonium expressit clandestinum; ergo ad sponsalia clandestina extendi non debet: & sic sponsalia censentur casus omissus, ac proinde relictus secundum dispositionem iuris communis. *L. commodissime, ff. de liberis, & posthumis*; & sic cum sponsalia clandestina iure communi sint valida, sicuti & matrimonium validum erat ante Tridentinum, sequitur quod etiam modo valida erunt. Tum quia, ratio prohibitionis matrimonii clandestini, in sponsalibus non militat; ergo ex prohibitione illius non sequitur horum prohibitio, & ex cassatione illius non sequitur horum cassatio. Antecedens ostendo, nam ratio prohibitionis matrimonii clandestini fuit ad vitandum adulterium, ne scilicet quis priori spreto matrimonio se-

creto, aliam duceret, cum qua in perpetuo viveret adulterio, hoc autem non currit in sponsalibus clandestinis, ut patet; matrimonium namque contractum, prioribus spreto sponsalibus clandestinis, validum est. Tum etiam, quia poena matrimonii ad sponsalia non extenditur; ergo neque matrimonii annullatio, ad sponsalia annullanda extendetur. Antecedens patet ex *Clementina prima*, de consanguinitate, ubi consanguineam ducentes excommunicantur, quae excommunicatio non extenditur ad sponsalia cum consanguinea, ut docet *Glos. ibidem*, & ratio a priori est, quia in odiosis matrimonii nomine, sponsalia non veniunt.

60 Sed objicies primo, quia in *L. oratio, ff. de sponsalibus*, & in *L. si quis tutor, ff. de ritu nuptiarum*, dicitur quod matrimonii irritatio ad sponsalia extendatur, & horum legum ratio a priori est, quia promissio rei illicitae valida non est; ergo si matrimonium clandestinum nullum est, ita & illius promissio nulla erit?



Respondetur illas leges intelligi debere quādo eadem prohibitionis ratio militat tū in matrimonio, tum in sponsalibus, vnde quando prohibetur matrimonium ratione impedimenti dirimentis, etiā sponsalia prohibita censentur. Et ratio addita solum probat, quod sponsalia clandestina de matrimonio clandestino valida non sint, cum sint promissio rei illicitæ; non tamen probat quod promissio clandestina, de matrimonio in Ecclesiæ facie faciendo non sint valida, sunt enim tunc promissio rei licitæ, &c.

61 Obijcies secundò. Nā inhabilis ad matrimonium, est etiam inhabilis ad sponsalia; sed clandestinè contrahentes sunt inhabiles ad matrimonium; ergo etiam ad sponsalia? Respondetur negando maiorem, nam quando inhabilitas non est absoluta, potest aliquis esse inhabilis ad matrimonium *tale*, nempe clandestinè, & non ad sponsalia; quando veto inhabilitas est absoluta, vt est illa, quæ ex impedimentis oritur dirimentibus, tunc inhabilis

ad matrimonium, est etiam inhabilis ad sponsalia.

62 Sed petes, an sit peccatum sponsalia contrahere clandestina? Respōdetur negatiuè, quia nullibi vetantur. Nam cap. *finali*, de clandest. desponsat. quod ab aliquibus citari solet, non prohibentur spōsalia, sed solum matrimonium clandestinum.

63 Secunda difficultas, quænam personæ in particulari sint ad sponsalia inhabiles? Conueniunt Theologi, omnes illos esse ad sponsalia inhabiles, qui sunt inhabiles ad matrimonium: cum enim sponsalia sint futuri promissio matrimonij, sequitur, quod qui inhabiles sunt ad rem promissam, nempe ad matrimonium; etiam ad ipsā promissionem inhabiles erunt. Sed cum ad matrimonium aliqui inhabiles sint non solum ad licitè, verum etiam ad validè, propter impedimenta, non solum impediencia, quæ inhabilitatem causant solum ad licitè, sed etiam dirimentia, quæ vtramque causant inhabilitatem; Difficultatur, an impedimentum quod

quod solum impedit, & non dirimit matrimonium, solum etiam impediatur, & non dirimat sponsalia, certum namque est quod impedimentum dirimens matrimonium, etiam dirimat sponsalia. Sunt variae Theologorum sententiæ. Ego promam quod mihi verius videtur: Impedimentum, quod solum impedit, non dirimit matrimonium, si præcedat sponsalia, non solum illa impedit, verum etiam dissolvit. Ratio est, quia, illa sponsalia, eo casu, sunt promissio rei illicitæ; ergo sunt invalida. Antecedens patet; nam sunt promissio matrimonij prohibiti, licet non irriti. Consequentia probatur; nam omnis promissio rei illicitæ est nulla, cum nullus obligari possit ad rem illicitam. Si verò illud impedimentum sponsalia subsequatur illa non resolvit; quod enim à principio validum fuit tractu temporis non fit invalidum; unde illo impedimento ablato, matrimonium fieri debet. Hæc tamen doctrina intelligenda est, quando illud impedimentum est perpetuum, nam si sit

temporale, sponsalia per illud non inuidentur, patet, nam impuberes pro ea ætate habent impedimentum impediens matrimonium, & tamē sponsalia eo tempore facta sunt valida, ut omnes tradunt.

64 Tertia difficultas, an infantes sint ad sponsalia habiles? Respondetur negativè. Ratio est quia tam iurè civili quam canonico septennium requiritur ad sponsalia contrahenda *L. in sponsalibus contrahendis, ff. de sponsal. & cap. litteras, cap. accessit, cap. ad dissoluend. de desponsat. impub.* Et ita docent Theologi cum D. Thom. quæst. 32. art. 2. & 3. Ideo autem iura septennium requirunt, quia regulariter ante dictam ætatem usus non habetur rationis, & in dicta ætate communiter habetur, quod si in dicta ætate rationis, usus non haberetur, valida non fierent sponsalia, quia sine rationis usu nullus contractus validè perfici potest, cum de contractus ratione sit contrahentiū consensus, qui sine rationis usu haberi non potest, argum. *L. si infanti, & L. potuit, C. de iure deli-*

deliberandi; nam in priori dicitur volūtatē pupilli requiri, vt ipsi acquiratur hæreditas: Et in posteriori dicitur posse septenio maiorem, hæreditatē acquirere, ac proinde supponitur in septenio contrahendi, & acquirendi voluntatem haberi. Sed vt hæc difficultas perfectè capiatur.

65 Quæres primò, an ad valorem sponsalium, septenium mathematicè completum requiratur, an sufficiat quod sit moraliter completū, vt quando alicui quindecim dies, plus minusque deficiunt. Tres de hac re inuenio sententias. Prima est Sánchez disput. 16. & aliquorum aliorum, quod requiratur septenium mathematicè cōpletum. Rationem assignant, quia sicut pretium rei à iure statutum in indiuisibili consistit; ita & ætas à iure statuta; ideo namque ætas à iure statuitur, vt nullus suo priuato iudicio valeat illam mutare. Sed hæc sententia mihi falsa videtur, & ratio illius improbabilis; nam ætas ad Ordines requisita à iure sta-

tuitur, & tamen non est indiuisibilis; vnde docent omnes, quod licet Tridentinum, vt in tractatu de Ordine docuimus, requirat pro Sacerdotio v. g. annum 25. sufficere, tamen, quod sit inchoatus, & ita practicatur; ergo.

Secunda sententia est Sotii dist. 27. art. 2. Rebel. lib. 3. q. 5. & aliorum, qui dicunt sufficere quod sit moraliter illa ætas completa, vnde secundum Pontium lib. 12. cap. 5. si vltima dies sit incepta sufficere, alij si 15. dies plus, minusue defint, etiam sufficere, & hæc sententia est valde probabilis, & illi fauet illud pronunciatum, *quod parum distat, nihil distare videtur.* Tertia sententia etiam probabilis est, quod sufficiat septenium inchoatum, fundatur hæc sententia in eo quia circa id tempus primus rationis radius appareat, quam sententiam sequens difficultas magis explicabit.

66 Quæres secundò, an sponsalia ante septenium fieri possint, quando malitia supplet ætatem. Malitiam supplere ætatem, nil aliud est, quam

quam quod, ante septenium discretio, seu rationis vsus habeatur; vnde hoc loco *malitia* pro discretione, seu rationis vsu accipitur, & est sensus, an quando ante septenium rationis vsus habeatur in puero, sponsalia ab eo fieri possint? Affirmat Sanchez vbi supra, Coninchus, Rebelius, & alij, & rationem assignant, quia si in matrimonio malitia suppleat ætatem potest fieri ante determinatum tempus à iure, vnde puer matrimonium facere poterit ante annum 14. & puella ante 12. ergo etiam sponsalia ante septenium fieri poterunt quando malitia supplet ætatem. Sed hæc sententia mihi displicet: vnde dico cum Abbate in cap. *inuenis*, 3. de sponsalibus Angelo v. *sponsalia*. Rosella v. *impedimentum*, nullo modo sponsalia fieri posse ante septenium inchoatum, etiamsi malitia ætatem suppleat. Quod sic ostendo. Primo, quia nullus dicit, posse aliquem, sacros suscipere Ordines, ante tempus à iure destinatum, quia dum iura tempus statuunt, illud requi-

runt, saltem inchoatum; ergo cum hoc currat in præsentis, idem est asserendum. Secundò, quia ideo matrimonium potest ante dictum tempus iniri quando malitia supplet ætatem, quia iura, illa tempora matrimonij statuentia excipiunt malitiam suppletæ ætatem, ergo cum iura septenium pro sponsalibus statuentia, malitiam suppletæ ætatem non excipiant, nec nos excipere debemus; maximè cum non currat eadem ratio; ratio namque ob quam iura in matrimonio malitiam excipiunt suppletæ ætatem, non est ob discretionem, sed est ob generandi potentiam, quæ communiter aperitur in masculo anno 14. & in foemina anno 12. quod si ob nimiam caliditatem organa disponentem, generatiua aperiatur potentia ante id tempus, iura volunt matrimonium fieri posse. At vero in sponsalibus generandi potentia non attenditur, sed rationis discretio, quæ etiamsi ante id tempus incipiat, est perinde, cum iura nihil de hoc disposerint,

fuerint, nec suffragatur matrimonij dispositio, cum ratio disponendi de isto, non currat in sponsalibus, & sic iura illa seruari debent, alias frustra illa ætatis præscriptio facta fuisset. Per quæ patet ad Sanchezij, & aliorum fundamentum.

67 Quæres tertio, an qui sponsalia contrahunt ante septenium peccent mortaliter, vel venialiter? Negat Sanchez disput. 17. & alij. Rationem assignant, quia licet Ecclesiæ iura sponsalia irritent quando ante septenium celebrantur, non tamen prohibent illa; ergo si ante dictam fiant ætatem nullū peccatum, nec veniale erit. Idem docet Sanchez de matrimonio, si ante dictam celebretur ætatem. Sed hæc sententia displicet, unde dico cum Nauar. c. 22. & alijs esse peccatum mortale tam sponsalia, quam matrimonium celebrare ante ætatem à iure præscriptam, nisi grauis necessitas excuset. Ratio est, quia hoc prohiberi videtur c. *Vbi*, 2. de desponsat. Impub. & dato quod non prohibean-

tur sponsalia ante id tempus, (supponitur quod malitia suppleat ætatem, alioqui nulla erunt, ex discretionis defectu) tamen eo ipso quod irritentur virtualiter prohiberi censentur, & Ecclesiæ displicere, ac subinde malum erit ea inire &c. Sed audiat Lector Ecclesiæ sensum canone illo, & videat an sit sola irritatio, vel prohibitio, & iudicium ferat contra oppositæ sententiæ defensores. *Districte inhihemus, ut aliqui, quorum uterque, vel alter ad ætatem legibus, vel canonibus determinatam nõ peruenierit, coniungantur, nisi forte aliqua urgentissima necessitate interueniente, utpote pro bono pacis, talis coniunctio toleretur.* Puto tamen quod sponsalia ante septenium facta valida sint, quando malitia supplet ætatem, licet peccaminosa sint ob rationes dictas; ratio est quia licet prohibeantur, nõ tamen irritantur.

68 Quæres quarto, quomodo sponsalia nulla, quia facta sunt ante legitimam ætatem, sine malitia eandem ætatem supplente, ratificentur?

tur? Respondetur ratificari debere à cōtrahentibus postquam ad sufficientem deuenerunt discretionem, & hoc vel expræssè, vel tacitè: expræssè per verba, de quibus postea dicitur; tacitè, si postquam ad legitimam deuenerunt ætatem simul habitent, cap. unico, de despons. Impub. in 6. Si facti maiores, incipiāt vocare se sponfos, Rosella v. *impedimentum*. Angel. v. *matrimonium* 3. Si se osculentur vt sponsi Syl. v. *matrimon.* 8. Si alter alterius domum petat, vel munuscula à sponsis mitti consuetam mittat. Glof. cap.

*litteras* v. placere. Si fiat anuli subarhatio, iuxta patriæ morem, &c. Aduertendum tamen est, quod ad hoc vt hæc signa tacitum inducant consensum, debent contrahentes habere notitiam sponsalium infantie tempore initiatorum, cum id quod ignoratur non ratificetur. Item sci-re debent illa sponsalia fuisse nulla, nam si ex errore quo putarent fuisse valida, illa ratificent, nihil agerent, cum error cōsensum tollat L. *si per errorem*, ff. de iurisdic. om. iudic.

## Q V A E S T I O V I I I.

*Per quæ verba sponsalia contrahantur.*

69 **S**upra disput. 3. q. 2. notauimus, quod verborum nomine, quodcumque signum exterius veniat, per quod internus consensus sufficienter manifestetur, siue illud signum id habeat ex communi institutione, siue ex patriæ consuetudine, siue ex particulari contrahē-

tium conuentione. Vnde ficuti matrimonium sufficienter contrahitur non solum verbis, verum etiam scriptura, & nutibus, imò & filiorum taciturnitate quando parentes pro ipsis præsentibus contrahunt, vel etiam absentibus, si postquam id rescipiūt, saltem tacitè ratificant: ita &

Si spon.

sponsalia, & verbis, & scriptura, & nutibus & taciturnitate, quando fiunt à parentibus pro filiis ipsis tacentibus, & præsentibus, verum etiam absentibus quâdo certiores facti, tacitè ratificant, fieri possunt: imò etiam quando fiunt per procuratorem, tutorem, curatorem, &c. vt ex alibi dictis liquet. In his conueniant Theologi; sunt tamen aliqua de quibus est aliqua inter Theologos difficultas; quæ antequam proponantur est supponendum, quod verba, alia sunt de præterito: & per ista nec sponsalia, nec matrimonium fiunt. Alia sunt de præsentibus, & per ista matrimonium celebratur si cetera adsint. Et alia de futuro, & per ista sponsalia fiunt, nisi aliud obstet; vt autem ista vndequeque clara remaneant. Quæres primò, an quando verbis de præsentibus additur aliquid de futuro fiât sponsalia, an matrimonium, vt si dicatur *accipio te in meâ ex crastino*, seu *in crastinum*? Sanchez disput. 18. dicit contrahi sponsalia non matrimonium. Sed oppositum mihi

verius videtur, vnde dico per illa verba matrimonium, non sponsalia cõtrahi. Ratio mea est, quia ista verba *accipio te in meâ ex crastino*, seu *in crastinum*, ex communi hominum intellectu faciunt sensum, *ex nunc volo*, seu *consentio*, vt in die crastino sis mea; sed per ista verba non sponsalia, sed matrimonium celebratur; ergo & per illa. Minorem ostendo, nam per ista verba *volo nunc*, seu *consentio vt crastina die sis mea*, fit mutua corporum traditio de præsentibus, ita quod die crastina solum matrimonij complementum ponetur, vt supra disput. 3. q. 10. contra illum auctorem probauimus; ergo per illa verba verum fit matrimonium, licet eius suspendatur effectus vsque ad diem crastinum, quo adueniente sine nouo consensu completa sequetur traditio in virtute prioris consensus perseverantis: nemo namq; negare potest quin possit quis facere alicuius rei traditionem nunc, complendam pro die crastina: certè ista verba *dabo tibi liberum crastina die*, differunt ab

ab istis, *do tibi liberum in crastinum*. Nam in istis verbis, præsens significatur consensus, de traditione die crastino fienda: in prioribus vero significatur, cōsensus futurus.

70 Quæres secundò, an per ista verba de futuro: *habebo te in meam*, siue *eris mea*, aut *tractabo te ut uxorem*, fiât sponsalia, ex matrimonium? Conueniunt Theologi quod per ista verba verè fiant spōsalia: *accipiam te in meam*, quia communiter vt verba promissoria accipiuntur. Cōueniunt etiam, quod per ista, *ex nunc tractabo te sicut uxorem*, aut *ex nunc habebo te in meam*: verum cōtrahatur matrimonium, vt habetur ex cap. *ex parte*, 9. de sponsal. quia in illis fit quædam tacita corporum traditio, quia nequit foemina ex nunc haberi, aut tractari tanquam vxor, nisi illa quæ antea vxor non erat, fiat. Difficultas solum est de citatis verbis *habebo te in meam*, siue *eris mea*, aut *tractabo te sicut uxorem*, de quibus Syluester, v. *matrimon.* 2. q. 9. & alij volunt cōtrahi matrimonium. Sed oppositum est ve-

rius, vnde dico per illa solum contrahi sponsalia. Et ratio est, quia per illa significatur tantum habitio de futuro, nō de præsentī, nec significatur aliqua præses corporum traditio, neque inchoata, vt illa verba sonare videntur.

71 Quæres tertio, an per ista verba *volo tecum contrahere*, seu *volo te habere in uxorem*, sponsalia, vel matrimonium contrahatur? Sanchez disput. 18. docet fieri sponsalia. Paludan. dist. 27. docet fieri matrimonium. Rebell. lib. 4. q. 3. dicit ex illis verbis nil fieri, quia ad eorum veritatem sufficit habere postea desiderium ducendi, aut habendi illam in vxorem. Meum primo iudicium: per dicta verba possunt fieri sponsalia, & matrimonium, & nihil, pro contrahentiū voluntate: possunt enim contrahentes per illa verba consensum exprimere de præsentī, quo mutua fiat corporum traditio; & possunt exprimere cōsensus de futuro, seu futuræ traditionis promissionem, & solum votū, & desiderium nubendi; & ratio est, quia illa verba sunt



æquiuoca ad tres dictas significaciones. In foro tamen iudiciali si illa verba post sponsalia proferantur pro matrimonio iudicabitur, ante vero sponsalia, nisi aliud ex circumstantijs colligatur, iudicabitur nil esse factum: dixi nisi aliud ex circumstantijs colligatur, quia si dicantur quando conueniunt ad sponsalia contrahenda, in illorum fauorem iudicabitur.

72 Quæres quartò, an per verba negatiua, sponsalia, vel matrimonium contrahatur? Vt si dicatur *nullam duco nisi te*, vel *nullam ducam nisi te*, siue *præter te*. Nam Paludan. supra, q. 1. & alij dicunt per prima verba fieri matrimonium, & per secunda sponsalia, quia sensus priorum est *nullam duco, & te duco*. Et sensus posteriorum est, *nullam ducam, & te ducam*. Sanchez, & alij, volunt per dicta verba nec matrimonium, nec sponsalia fieri, quia sensus priorum verborum est, si aliquam *duco, te duco*; quibus vt patet nihil fit. Et sensus posteriorum est, *si aliquam ducam*, vel *ducturus sum, te ducam*, quibus etiam

nihil fit. Vnde volunt isti, dicta verba non posse nisi sensu conditionalem, vel exceptiuum habere quibus nec matrimonium, nec sponsalia ponuntur. Meum sit iudicium. Quando verba sunt purè negatiua, vt sunt ista, *nullam aliam à te ducam*, vel *numquam aliam à te duco*, vel *ducam*, nec sponsalia, nec matrimonium faciunt. Ratio plana est, quia consensus non ponitur per verba purè negatiua; cū enim cōsentire sit affirmare, & verba negatiua nil affirmant, per illa, consensus non exprimitur. Quando vero verba sunt negatiua, sed illis affirmatio addatur fiet matrimonium si sunt de præsentis, vel sponsalia si de futuro, vt si dicatur *nullam duco nisi te*, vel *præter te*, tunc fit matrimonium, si vero dicatur *nullam ducam nisi te*, vel *præter te*, sponsalia fient; & ratio est, quia particula *nisi*, non est conditionalis, vt voluit aduersarij, nec facit sensum *si*, scilicet *nullam duco nisi te*, hoc est, *si aliquam duco, te duco*, *si aliquam ducam, te ducam*; sed est affirmatiua, hæc enim est huius particule natura, quod

quod dum additur negationi, affirmat, vt si dicatur *nullus currit nisi Petrus*, certè *ly nisi*, cursum affirmat de Petro; similiter si dicatur *nullus loquitur nisi Petrus; nullus est domi, nisi Petrus, &c.* loquutio, & existentia domi, de Petro affirmatur; ergo pariformiter cū dicitur *nullam duco nisi te*, sensum faciet affirmatiuum, hoc est, *te duco, & non aliam*, Item particula *præter*, non resoluitur in conditionalem, quando negationi additur, sed in affirmatiuam, vt cum dicitur *nullam duco*, vel *ducã*, *præter te*, facit sensum *te duco*, vel *te ducam, & nullam aliam*. Si vero ex circumstantijs colligeretur illas particulas in conditionales resolui, vt si quis dicat *nullam religionem ingrediari nisi Carmelitanam*, vel *præter Carmelitanam*, sensus tunc videtur esse si aliquam religionem ingrediari erit Carmelitana, quia cum tunc sic loquatur cum socijs, &c. pro conditionalibus haberi debent verba illa.

73 Quæres quintò, an spõsalia per verba de præsentia contrahi possint? De duobus

casibus tractatur hæc difficultas à Theologis; Primus est, quãdo matrimonium est nullū ratione solemnitatis, quia scilicet factum fuit sine Parochi, & testium præsentia, an scilicet tunc valeat vt sponsalia. Secundus, quando est nullum matrimonium ratione debitæ ætatis, vt quando contrahitur inter contrahentes, qui vel ambo, vel vnus est impubes. Sed primum casum resoluius supra disput. 3. q. 7. S. *sed quæres* primò. Vbi diximus illud matrimonium in sponsalia non transferre; si tamen damnum graue inde resultaret contrahentiū alteri, deberet seruari. Ad secundum dico matrimonium inter impubes siue clandestinum fit, siue publicum, vt sponsalia obligat, cap. *finali* de desponsat. Impub. cap. *unico*, tit eodem in 6. Vbi etiam additur ex tali matrimonio oriri publicæ honestatis impedimentum. Ratio est desumpta ex contrahentium intentione, ex vna parte, & ex alia, quia ius illi quoad hoc non resistit, imò assistit: Hoc secundum patet ex textibus

cita-

citatis; per quod excluditur matrimonium clandestinum puberum, quia ius huic resistit absolute, & nulli afficit. Primum colligitur ex contrahentium intentione, quæ esse videtur de sponsalibus contrahendis, casu quo matrimonium nullum esset, iuxta commune dictum, quod scilicet, *quando actus in eo quod fit includitur, si non valet eo modo quo fit, valet tamen eo modo meliori quo valere potest.*

74 Sed dices, quia vera dari non possunt sponsalia, sine consensibus exterius manifestatis; sed per verba de præsentibus, manifestari non possunt consensus de futuro; ergo per verba de præsentibus, per quæ factum est matrimonium clandestinum, vel publicum, inter impubes, sponsalia fieri non possunt? Respondetur; quod re vera ex rei natura illa non videntur vera sponsalia, sed solum ex iuris dispositione, seu interpretatione, quatenus vel voluit, vel concessit quod per verba de præsentibus eo casu futuri consensus exprimerentur. Non placet tamen, quod aliqui volunt,

quod illa sponsalia, solum pro foro externo, ut vera præsumantur, nam puto præsumi debere etiam pro conscientie foro. Rationem affero, quia ut est commune dictum, quando forum externum falsè non innititur præsumptioni, tunc est eadem ratio, idèque iudicium, utriusque fori, & quando de foro animæ dubitaretur iudicandum esset de eo secundum iudicium fori exterioris.

75 Quæres sextò, an ad hoc ut vera fiant sponsalia debeant verba ferri in personam determinatam? Pater habet septem filias v.g. an fieri possint vera sponsalia si vnam ex illis promittat consentientibus omnibus? Respondetur negatiuè; ratio est, quia sicut matrimonium fieri debet cum persona determinata; ita & sponsalia, cum sint illius exordium. Tenebitur tamen pater non ratione sponsalium, cum non sint, nec cum ipso fiat, sed ratione promissionis, quam ipse fecit, vnam ex illis quam maluerit sponsori dare, quia promissio seruari debet, quando sine iniqui-

iniquitate id fieri potest; dixi  
quam maluerit, quia electio  
nō pertinet ad promissarium,  
sed ad promissorem, seu pro-  
mittentem iuxta Regul. 70.  
*de regulis iuris in 6.* & colligi-  
tur ex *L. plerumque*, ff. de iure  
dotium: quod si promissione  
facta, & ante electionem ha-  
bitam, omnes præter vnam  
morerentur, illam debere t  
promissor, promissario dare.  
Sylvester v. *sponsal. q. 6.* Si ve-  
ro superstes fuerit à Patre pro-  
mittente interius exclusa, in  
foro animæ illam dare non  
teneretur, secus in foro ex-  
terno, cum constet de omniū  
promissione, & omnium con-  
sensu, & non de mentali ex-  
ceptione. Sed quid, si spon-  
sus copulam cum vna ha-  
buit, tenebitur ne illam du-  
cere, & pater illam dare &

Respondeter quod sponsus  
tenetur illam ducere, non  
solum si sponsalia cum illa  
contraxit, verum etiam si non  
contraxit, dummodo illa sub  
spe illorum, & matrimonij  
deflorata fuerit; Pater tamen  
non tenetur nec illam, nec  
aliam dare; non illam quia  
electio ad promissorem spe-  
ctat, qui aliam eligere pote-  
rat, nec sponsi delictum po-  
test illum priuare eligendi  
potestate. Non aliam, quia  
impedit affinitas contracta ex  
copula iniqua, quæ vsque ad  
secundum gradum inclusiuè  
impedit. Quod si sponsus ipse  
promisit patri ducere vnam  
ex filiabus, illius electio ad  
sponsum pertinebit, & si co-  
pulam cū aliqua habeat, per  
copulam censetur illam eli-  
gere.



## Q V A E S T I O IX.

*Quando sponsus teneatur sponsalia adimplere,  
quando facta fuere nullo praefixo termino;  
ubi an poena resiliendi imponi possit.*

76 **S**uppono esse obligationem adimplendi sponsalia; etiam si nullus fuerit praefixus terminus; saltem quando promissarius utget promissorem, ut illa adimpleat; & ratio colligitur ex dictis in hac dispositione, quia sponsalia naturalem inducunt obligationem ut adimpleantur, & hoc ex triplici virtute, scilicet veritatis, fidelitatis, & iustitiae, namque veritas nos obligat ut sincere, & non fictè agamus, quae agimus; & quod verba correspondeant menti: unde veracitas ad duo nos inclinat, & venialiter per se obligat, ut multoties cum D. Thoma 2.2. q. 80. art. unico, & Caietano q. 113. art. 1. monuimus, unum est, quod verba correspondeant menti; alterum, quod praestemus, quod promissimus; quia veritas & est in dicendo, & in pro-

mittendo. At fidelitas ad unum nos obligat, ut scilicet quod promissimus exequamur. Pro quo aduerte, & veritatem, & fidelitatem versari circa promissa, sed aliter & aliter. Nam veritas tendit in promissionem, secundum quod est quaedam affirmatio, vel negatio, praescindendo ab hoc, quod affirmatio, vel negatio promittant, vel non promittant. At vero fidelitas solū respicit propositionis affirmationem, seu secundum quod promissionem includit, & illius respicit executionem. Differunt etiam veritas, & fidelitas, quod fidelitas maiorem inducit obligationem, quam veritas, qui enim promittit se aliquid facturum, magis obligatur, quam qui solum simpliciter affirmaret se aliquid facturum; qui namque solum  
affirmat

affirmat vno dumtaxat titulo ad præstandum obligatur, ne scilicet mentiatur in verbis, qui autem promittit duplici ligatur vinculo, & ne sit mendax in verbis, & ne ius violet promissarii, quod alter ex promissione acquisiuit, licet imperfectum, & nondum consummatum, vt supra obseruauimus, horum tamen virtutum obligationes ad mortale non extenduntur, sed veritas ad vnū veniale, & fidelitas ad aliud; vnde qui simplicem frāgit promissionem, duorum reus est venialium, vnius contra veritatē, quia nō est verax in verbis, & aliquo modo in factis: alterius quia non est fidelis in promissione seruanda. Ultra ista duo venialia, peccatum mortale cōmittit contra iustitiæ virtutē, qui sponsalia non seruat, cum sint contractus onerosus, in materia graui, vtrinque iustitiæ pariens obligationem. Supposita ergo graui obligatione seruādi sponsalia, quaeritur quando debeat sponsus hanc exequi obligationem.

77 Prima sententia est Sánchez disput. 28. Conunchi

disput. 22. dub. 1. & aliorum qui dicunt nō teneri promissorem sponsalia adimplere, matrimonium faciendo, nisi à promissario requiratur. Rationē assignat Sanchez, quia, inquit, id est generale in omni debito absque diei præfixione, quod debitor soluere non teneatur nisi sit à creditore requisitus, vt consta textu *L. debitores presentes*, C. de pignoribus. Sed perperam illā sententiam deducit Sanchez excitata *L. debitores*, nam ibi non agitur de solutione debiti, sed de distractione pignoris quod creditor habet, quod distrahi non possit, nisi consulto, vel requisito debitore. Vnde statuit illa lex, quod quando conuenitur inter debitorem, & creditorem quod pignus non distrahatur, & debitor est in mora soluēdi, potest creditor, monito prius debitore solemniter, & cum testibus pignus distrahere.

Secunda sententia est Pōtij lib. 12. cap. 6. & aliorū qui dicunt debere statim sponsalia adimpleri. Sed hæc sententia mihi nimis dura videtur.

cur, imò & irrationabilis, quia quando contrahentes terminum non præfixunt, aliquam latitudinem in eo volunt, vt etiam patet in alijs contractibus, qui enim acomodat equum amico nullo præfixo termino, non potest statim equum repetere; qui pecuniam alicui mutuatur, non statim exigere debet restitutionem, &c.

78 Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Qui contraxit sponsalia nullo præfixo termino, potest expectare tempus aliquod rationale, intra quod etiam requisitus non teneatur sponsalia adimplere, & extra quod etiã non requisitus, teneatur illa executioni mandare.* Erit autem tempus rationale, talis dilatio, qua possit necessaria prouideri, amicos distantes, vel parentes expectare, &c. Sicut enim qui pecuniam mutuatur, nullo præfixo termino, tenetur expectare illud tempus, antequam pecuniam repetat, quale requiritur, vt mutuum sit vtile mutuatario, alias mutuum nõ daretur ob mutuatarij vtilitatem; ita qui

sponsalia sine termini præfixione cõtraxit, potest totum illud tempus expectare, antequam matrimonium ineat, quod sibi est sufficiens ad hoc vt matrimonium sit sibi vtile, & non nimis onerosum. Adde, quod sicut qui votum fecit de religionis ingressu, non tenetur statim intrare; sed potest rationale tẽpus expectare ad disponendum de suis rebus, nec potest differre quãdiu à Deo, vel religione sollicitatur, cum ipsum votum semper sollicitet, ita qui sponsalia sine termino fecit, nec tenetur statim matrimonium inire, nec potest differre quãdiu à promissario non sollicitetur, cum promissio ipsa id præstet.

79 Sed obijcies pro Põntio, quia aliæ promissiones sine termini præfixione statim solui debent, vt patet ex L. in omnibus obligationibus, ff. de regul. iuris, vbi sic habetur. *In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsentis die debetur, & Leum qui Calendis, ff. de verborum obligation. sic dicitur. Quoties in obligationibus dies non pon-*

ponitur, præfenti die pecunia debetur; ergo idem dicendū in sponsalium obligatione, quādo dies præfixus non est? Respondetur negādo Antecedens, nec leges ille sunt contra nos, quia procedunt in casu quo promissarius exigat, & iustam habet exigendi causam, pro quo videri possunt Legistæ ibidem.

So Sed quæres primò, an qui sponsalia implere tenetur, & est in mora implendi, possit per iudicem cogi? Prima sententia docet solū promissorem esse monendum, & si monitis non acquiescit, est relinquendus. Angelus v. sponsalia, nu. 2. Armilla eodem verbo, num. 7. Secunda sententia est, quod debeat promissor prius moneri, & si monitis non acquiescat possit per censuras, & carcerem cogi, nisi prudēter grauia timerentur incommoda, vel scandala ex nuptijs inuitis. Ita Sanchez disp. 29. & alij apud illum. Nostra sententia sequenti explicatur conclusio. *Qui tenetur sponsalia implere, & non vult, solum cogi potest, quando iuramento fir-*

*mata fuerit. Ita D. Tho. q. 43. art. 1. Sotus dist. 27. q. 2. ad 3. Viguerius instit. cap. 16. §. 7. nu. 7. Audiatur lector Angelici verba magistri loco citato ad secundum: Ex tali promissione obligatur unus alteri ad matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non soluens promissum, nisi legitimum impedimentum interueniat. & secundum hoc, Ecclesia cogit, iniungendo pœnitentiam pro peccato, tamen in foro conscientioso non compellitur, quia matrimonia consueuerunt malos exitus habere, nisi forte iuramentum interuenierit, quia tunc cogendus est, qui promissit, ut quidam dicunt, quamuis alijs non videatur, propter causam prædictā, præcipue si de uxoricidio timeretur. Probatur ex cap. ex lysteris Syluani, de spōsal. vbi Pontifex determinat compellendum esse promissorem per censuras Ecclesiasticas, si promissionem iuramento firmavit: quia contra iuramentum venire periculosum est. Idem habet Glos. cap. de illis, de despōsat. impub. Quod possint spondentes cogi vt matrimonium incant, quādo*



spōsalia iurata fuere; probatur, quia ad iudicem præsertim Ecclesiasticum spectat, iurantes cogere, vt iuramentum seruent, cum eius violatione maxime inhonoretur Deus. Quod autem quando iuramentum non adest, cogi non debeant, etiam ostenditur, quia licet iudex cogere possit, imò & compellere teneatur, ratione sui officij, vt vnique suum reddatur, quod est ex iustitia debitum, tamen id fieri non debet, quando fini non expedit matrimonij; sed coactio per se non expedit fini matrimonij, ergo &c. Vnde c. *requisiuit*, 17. de sponsal. dicitur; *Cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius quam cogenda*, ( loquitur Pontifex de quadam femina quæ spōsalia sponderat ) *cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere*. Aduerte tamen, quod licet solus iudex Ecclesiasticus, possit de matrimonij valore cognoscere, & solus possit per censuras spondentes cogere, tamen etiam iudex ciuillis potest eosdem cogere per carceres,

vel alias pœnas ciuiles. Cum enim sponsalia sint quidam contractus ciuillis, ad iudicē etiam ciuilem spectare potest eius obseruantia, vt etiam fit in alijs contractibus, præsertim quando iuramento sunt firmati, vt Dei religio, & honor manuteneatur.

81 Quæres secundò, an pœna apponi possit sponsalibus, soluenda ab eo, qui iniuste resilit? Pœna, quantum ad præsens spectat institutū, est duplex, vna propriè dicta, impropriè altera; Prima consistit in proprio patrimonio minuendo, secunda in augendo. Prima ad matrimonium cogit. Secunda inuitat. Prima cogit, quia hoc, vel alio simili modo constituitur, vt scilicet frangens fidem sponsalium perdat 100. nummos. Secunda inuitat, quia sequenti, vel alio simili modo statuitur: scilicet lego, vel promitto 100. Petro, si vxorē duxerit. Quoad pœnam propriè dictam dico primò; *Pœna ab sponsis ipsis apposta, sponsalium contractui, est nulla*. Hæc conclusio constat tum iure canonico cap. *Gemma*, de sponsal. Tum iure ciu-

ciuili L. Titia 134. ff. de verb. oblig. vbi dicitur: *inhonestū visum est vinculo pœnæ matrimonia obstringi, siue futura, siue contracta*. Idem habetur L. fin. C. de sponsal. vbi habetur: *si cautio pœnam stipulationis continens fuerit interposita, ex utraque parte nullas vires habebis, cum in contrahendis nuptijs libera potestas esse debeat*. Ratio desumitur ex harum legum verbis, quia scilicet expedit matrimoniales contractus, esse ab omni coactione immunes.

82 Dico secundò, *etiam irrita est pœna sponsalibus apposta, à contrahentium parentibus* Glof. in L. Titia in principio; Bart. ibidem, & omnes communiter. Amplia primò, vt idem sit de pœna apposta à sponforum consanguineis, & affinibus, ob eãdem rationem. Amplia secundò, vt idẽ procedat de pœna ab sponforum amicis apposta, quia sponsi timore ducti, ne amici pœnam soluane, matrimoniũ inire possunt. Amplia tertio, idem etiam esse de pœna ab illis apposta à quibus sponsi aliquod detrimentum timere

possunt, si matrimonium non fiat. Ratio est, quia tunc matrimonium omnino liberè non cõtrahetur, sed timore detrimenti, vel damni, quod contra citatas leges est. Limita, solum procedere conclusionem, quando pœna apponitur soluenda, nisi matrimoniũ sequatur; non vero quando pœna apponitur super curã, & diligentiam habendam; tunc enim tenentur curam adhibere, vt matrimonium sequatur; quod si talem curã non adhibeant, pœnam, supra talem curam appositam, soluere debent. Vnde tunc, qui talem pœnam super curam, & diligentiam apposuerunt, solum curare tenentur vt matrimonium fiat, non tamen necesse est, quod fiat: ob hoc hæc pœna apponi potest, quia matrimonij libertati non officit, vt patet.

83 Dico tertio, *non valet pœna apposta ab sponso, & extraneo, valet tamen si solus extraneus pœnam sponso promitteret, & etiam qua à pure extraneis, qui scilicet nec sanguine, nec amicitia coniuncti sunt*. Non valet pœna à sponso,

so, & extraneo appofita, quia matrimonij impedit libertatem: valet si ab extraneo spōfo promittatur, quia hæc pœna licet sponsum ad matrimonium inuitet, non tamen matrimonij tollit libertatem: valet quæ à purè extraneis apponitur, quia hæc matrimonij libertatem non tollit. Debet tamen hoc intelligi quando extranei proprio nomine pœnam ponunt, & ex proprijs bonis soluendam, secus si sponforum nomine, & eorundem bonorum soluendam; quia tunc eadem prohibitionis ratio curreret, qua scilicet sponsis pœna prohibetur, quia tunc perinde esset quod ab sponsis, vel extraneis poneretur, cum sponforum nomine poneretur, & ex eorundem sponforum bonis soluenda esset.

84 Sed hic duæ occurrunt difficultates, prima est, an non solum pœna spōsalibus adiecta irrita sit, verum etiam pœna ratione interresse, vel damni, vel lucri cessantis: explico difficultatem, factis spōsalibus multum interest vni sponforum quod matrimo-

nium fiat, vel quia illius occasione vel aliquid lucrabitur, ratione talis contractus, vel aliquod negotium, bonum habebit exitum, matrimonio sequuto; vel quia sponsalium occasione multas, spōforum vnus, fecit expensas, &c. an licitum sit pacisci de tali interresse, vt si alter iniuste à sponsalibus recesserit, teneatur illud interresse resarcire, & expensas sponsalium occasione factas resarcire. Aliqui absolute negant, quia sponsus ob interresse solutionem, & ne expensas resarciat timidus factus, matrimonium perficiet, & sic non omnino perfecta, & absoluta libertate. Tum quia leges solas arrhas concedunt sponsalitas. *L. fin. c. de sponsal. & quia L. Titia*, citata omnis pœna irritatur, ac proinde nulla exigi poterit ratione interresse, vel damni, &c. Alij rectius distinguunt, & dicunt exigi posse pœnam ratione damni emergentis, non ratione lucri cessantis, & ratio est; quia illud licitum est pacisci in sponsalibus, quod licitum est exigere, etiam si pa-

cum

ctum nõ fuerit de eo factum; sed licitũ est vni sponſorum exigere ab altero iniuſtè recedente damnum emergens v.g. expenſas, ſponſalium occasione, factas; non tamen licitum eſt exigere lucrum ceſſans, ratione alicuius contractus non ſequiti; ergo, &c.

Confirmatur præcedēs ratio, quia iure naturali in quocunque contractu, iniuſtus fidei violator, cogi poteſt ad ſolutionem, vel reſtauratiõem damni, quod alter paſſus eſt, etiam ſi ipſo contractu, nulla violatori pœna ſit appoſita; ergo id ipſum dici debet de ſponſalibus, nec leges illæ de hoc naturali iure procedunt, alioqui iuſtæ non eſſent, cum diſponerent contra id quod naturæ iure in omni contractu ſeruari poteſt. Nec obſtet quod pro prima ſententia obijciebatur, nam ſicet libertati matrimonii obſtet pœna ab extrinſeco proueniens, non tamen pœna, quæ ex ipſa contractus natura procedit. Res claro dilucidatur exemplo; nam iniuſtè à ſponſalibus reſiliente pœna apponitur æterna, ra-

tionem peccati mortalis, quod ab iniuſto ſponſalium fractore committitur; & tamen hæc matrimonii non impedit libertatem, & hoc non ob aliã rationem, niſi quia hæc grauiffima pœna, ſuapte natura ab iniuſto fractore incurritur; ergo cum etiam damni emergentis pœna, ſuapte natura ex ſponſalium fractione ſequatur, matrimonii non impedit libertatem. Ad illud quod leges ciuiles ſolas concedant arrhas, dico id verum eſſe, nihil tamen contra nos, cum velimus dictæ pœnæ exactiõem fieri poſſe non in virtute legis ciuilis, vel canonicæ, ſed naturalis. Quod ſi *L. Titia*, omnis pœna irritatur, ideo eſt, quia ibi ſermo eſt de pœna extrinſeca, & ciuili, non tamen de naturali, quæ nec irritatur, nec irritari poteſt, ſecundum aliquos, præſertim quando non eſt clara, & aperta irritandi cauſa.

85 Secunda difficultas, an pœna extrinſeca, quæ vti diximus, ſponſalibus adiecta, eſt irrita, ſi ab iniuſto fractore ſoluatur, poſſit ab alio retineri

tineri, vel debeat illam restituere? Sunt duæ sententiæ contrariæ. Prima & probabilis, dicit obligari recipientem ad illam restituendam. Rationem assignant huius sententiæ defensores, quia non potest quis retinere id ad quod nullum habet ius; atqui recipiens pœnam illam, nullum ad eandem ius habet: ergo non potest illam retinere. Maior patet, quia nullus potest retinere quod nullo titulo est suum; Minor probatur, quia ex contractu omnino irrito, nullum ius acquiritur; sed illa pœnæ appositio est contractus omnino irritus; ergo per illum, nullum ius acquiritur. Sed verius est quod pœna illa non sit restitutioni obnoxia, nisi post sententiam iudicis. Ratio clara est, quia iura solum irritant pœnæ solutionem, seu tollunt omnem obligationem soluendi illam pœnam, non tamen prohibent retentionem, imò dato quod retentionem prohiberent, nisi retinentem inhabilitarent, posset validè retineri, quia illa retentio non esset irrita vt suppono;

non posset tamen licitè retineri, ratione legis id prohibentis, non factum irritantis. Vnde est regula generalis, quod quoties lex, vel statutum prohibet alicuius rei receptionem, vt donorum, vel munerum à publicis ministris, sufficienter salariatis, tunc peccatur in talium munerum receptione ( nisi sint osculenta, & poculenta, nisi & hæc specialiter prohibeantur) non tamen est restitutionis obligatio, cum talia statuta factum prohibeant, non tamen irritè: licet aliqui velint quod etiam quando factum irritatur non sit restitutionis obligatio, nisi post iudicis sententiam, quia sic statuta illa capiuntur, sed de hoc alibi Hæc doctrina confirmari potest ex *L. generaliter* 26. ff. de verb. oblig. vbi nullius momenti turpes dicuntur stipulationes. Et tamen plures Legistæ ibidem docent nullius esse momenti quatenus stipulans non teneatur soluere, si tamen soluat, recipiens ad restitutionem non obligatur; & hoc non ob aliam rationem, nisi quia lex vult stipulantem vi stipulationis

tionis soluere non teneri, non tamen decernit dominij non fieri translationem, nec recipientem ad dominium recipiendum inhabilem reddit; ita &c. Idem dicitur ex communi scribentium doctrina in materia testamentorum, & legatorum, quod scilicet hæres nō teneatur legatum sol-

uere vi testamenti minus solemnis, & tamen si solvatur, legatarius illud retinere potest. Bene verum est, quod soluenti poenam, concedetur eiusdē poenæ repetitio; & ratio est, quia licet turpiter fuerit stipulatus, nō tamen turpiter, nec pro re turpi soluit, &c.

## Q V A E S T I O X:

*An sponsalibus poena improprie dicta apponi possit?*

86 **P**oena improprie dicta consistit, vel in lucro perdendo, vel non acquirendo, & dupliciter sponsalibus apponi potest, vel ad certum, & determinatū matrimonium ineundum, vel ad retrahendum à matrimonio. Circa primum, quando scilicet poena improprie dicta apponitur ad certum matrimonium ineundum, queritur an sponsalibus valide, liciteque apponi possit? Conueniunt omnes, talem poenam valide, liciteque ab omnibus, si sponso excipias, ap-

poni posse; Valide, liciteque potest quis 100. scuta legare Titiae, ea conditione si Titio nubat, quod si non nubat Titio, sed alteri, vel nullo modo, illa centum legata non acquirat. Ita habetur in *L. Titia ff. de condit. & demonstrat.* & *L. 1. C. de institut. & substitut.* & ratio id ipsum suadet, quia illa poena de lucro non acquirendo ad matrimonium non compellit, sed inuitat; atqui hoc licitum, honestumque est; ergo. Aliqui limitant hanc communem doctrinam, ut valeat quando

Vu poena

poena de lucro cessando apponitur per modum conditionis, vt si legatum hoc modo fiat: *lego 100. Titio, vel instituo Titium meum heredem, si Titiam filiam meam duxerit.* Secus si institutio, vel legatio fiat per modum modi, vt si dicatur, *lego 100. Titio, vel instituo Titium meum heredem, ut ducat Titiam.* Rationem differentiae assignant, quia conditio, *legatum*, vel *hereditatem*, suspendit, ac proinde non est poena proprie dicta, sed improprie solum, quae licite apponi potest. At vero modus, *legatum*, vel *hereditatem* non suspendit, sed statim acquiritur, cum obligatione seruandi modum, qui si non seruetur, legatarius, vel haeres, legato, vel hereditate priuatur, hoc autem est propria, & rigorosa poena, cum priuatur spondentes hereditate, vel legato acquisito, si matrimonium non faciant. Sed haec limitatio ab vtriusque iuris doctoribus communiter reicitur, quia licet priuari lucro acquisito sit poena proprie dicta, quando talis pri-

uatio non fit ab illo, qui lucrum concessit, secus tamen quando fit ab illo eodem qui lucrum concessit, non absolute, sed quia non est seruata conditio, vel modus, quo tale lucrum concessum est. Aduerte tamen, quod si talis haereditas, vel legatum fuerit, vt legatarius, vel haeres personam duceret indignam; legatum, vel hereditas quidem tenerent, non tamen haeres, vel legatarius teneretur indignam ducere, quia conditio de nuptijs indignis pro non adiecta reputatur, & sic haereditas, vel legatum teneret. *L. cum ita legatum, ff. de condit. & demonst.* Et ratio est, quia id agere non possumus, quod honeste prestare non valemus; atqui indignam honeste ducere non valemus, ergo id agere non possumus; ac proinde illa conditio pro impossibili reputabitur, ac subinde pro non adiecta.

87 Difficultas est, an talis poena de lucro cessando ab ipsis spondentibus apponi possit? vt si sponsus dicat sponsae: *dabo tibi 100. si mecum matrimonium perficies*, vel si dicatur:

tur: Accipiam te in vxorem, si 100. mihi donaueris, &c. Plures Canonistæ id concedunt, & probant ex cap. de illis, de condit. appof. Ex opposito plures iuris prudentiæ doctores id negant, & probant ex L. si ita stipulatus fuero 97. ff. de verb. oblig. Alij verius distinguunt, si conditio sit turpis apponi non potest, & si apponatur pro non adiecta censetur, si vero sit honesta tenet, vtriusque exemplum accipe, si enim quis dicat: *lego te in vxorem accipiam, si centum scuta mihi donaueris* tunc tenet conditio; quia esse honesta censetur, si vero dicatur, *promitto tibi centum scuta si mecum contraxeris, & copulata fueris*, tunc conditio non tenet, quia videtur illa conditio, apposita causa, vel intuitu libidinis; Quod si solum dicatur, *pro. mitto tibi 100. si mecum contraxeris*, aliqui volunt esse turpem, quia sit libidinis intuitu; alii melius volunt esse honestam, quia potius addita videtur ad dotē augendā. Videatur Sanchez disput. 33. vbi hæc prolixè nimis & satis

implicatè pertractat. Sed pro maiori dictorum intelligētia.

88 Quæres primò, an si quis leget alicui 100. vel eū hæredem instituat, sed cum hac conditione vt nobilē ducat, & prima vice id præstet, deinde viduus effectus ignobilem ducit, legatum, vel hæreditatem amittat? Affirmat Sanchez cum alijs num. 14. Rationem assignat, quia in hæreditate, vel legato, dicto modo factis, clauditur particula negatiua, vt non ducat ignobilem; sed particula negatiua perpetua est; ergo. Sed pars negatiua mihi verior videtur, quia sermo simpliciter prolatus de prima vice intelligitur L. bo. ues, §. hoc sermone ff. de verb. signific. nec est necesse, quod conditio negatiua sit perpetua quoad omnes casus, sed solum quoad primum.

89 Quæres secundò, an grauatus aliquam ducere, amittat legatum, vel hæreditatem si primo renuat, sed postea poenitentia ductus consentiat? Respõdetur: vel enim testator priuat illum ipso iure si primò requisitus renuat,



vel non. Si primum pœnitentia nihil iuuat. Si secundum iuuat. Ratio est, quia si priuat, hæreditas, vel legatum ad alterum transit, secundum testatoris dispositionem. Si vero non priuat, res manet adhuc integra, & sic pœnitentia iuuabit.

90 Quæ restertio, quid dicendum, si iussus ducere Titiam, aliam ducat, deinde viduus effectus, Titiam ducit, an legatum lucretur? Respondent aliqui absolutè, illum lucrari legatum; sicut enim legatum non perdit ille, cui 100. legantur, ea conditione vt Monachus fiat, si prius vxorem ducat, & postea viduus effectus religionem ingrediat; ita &c. Alij absolutè negant, quia tunc temporis apposita conditio deficit, cum primum aliam ducit; idem dicunt in casu adducto de eo cui legatū relinquitur, si vxorem primum ducat, etiam si postea religionem ingrediat, viduus effectus; & probât ex *L. hæc conditio filia mea*, & *L. cum ita*, & *L. hoc genus*, ff. de condit. & demonst. Sed verius distinguendum est, vel

enim tempore delatæ successione, hæreditatis, vel legati, hæres, vel legatarius grauatus, habilis est ad conditionem implendam, & illam implere vult, vel non; si habilis est, quia prior vxor, quam post institutionem duxit, mortua est ante successionem, tunc succedit, illam ducendo quæ grauatus ducere debet; & ratio desumitur ex *L. interuenit* ff. de legat. præst. vbi dicitur, quod conditiones non respiciunt tempus institutionis, sed successionis. Si vero inhabilis est, quia post institutionem aliam duxit, quæ successionis tempore adhuc viuit, tunc hæreditate, vel legato priuatur, quia quando successio deferretur, vel legatum, ille inhabilis est. Ita Molina Iuriscōsult. lib. 2. de primogen. cap. 13. num. 16. & alij.

91 Quæres quartò, quid dicendum in casu quo grauatus aliquam ducere, illam ducere velit, sed illa nolit, postea hæc pœnitentia ducta velit, ille autem non amplius velit, adhuc ne hæreditatem, vel legatum lucretur? Mantica de coniect. vt. volunt. lib. 1. tit.

tit. 18. Menochius de præsumpt. lib. 4. præsumpt. 184. sententiam referunt aliquorum affirmatiuam, rationem assignant quia eo casu, grauatus cum primum voluit illam ducere, cōditionem adimpleuit, quantum est ex se, nec per ipsum stetit, quominus legantis voluntas nō adimpleretur, & sic non videtur quomodo possit iste legato, vel hæreditate priuari, cum sine eius culpa testatoris voluntas non fuerit adimpleta. Sed illi melius negant, cum possit tunc conditioni parere, & nolit. Aliqui tamen volūt legatum cōsequi posse à grauato, quādo voluit illam ducere, & illa noluit, & aliam duxit, quia tunc prioris sententiæ ratio currit, & aliunde non potest amplius conditioni parere, cum iam aliam duxerit, quando illa pœnituit.

92 Quæres quintò, an grauatus contrahere cum aliqua sub pœna amissionis legati, vel hæreditatis, legatum, vel hæreditatem amittat, si sine eius culpa conditio deficiat? Respondetur non amitti legatum, quando conditionis

adimpletio, alterius contrahentis culpa facta fuit, quia scilicet illa nubere noluit, tunc enim illa conditio pro adimpleta habetur L. in testamento 2. ff. de condit. & demonst. & L. 1. C. de institutio. & substitut. si vero sine alterius culpa, quia scilicet fœmina illa mortua est, tunc legatum, vel hæreditas perit L. legatum. C. de condit. infertis. & L. citata in testamento. Hoc tamen limitatur primò vt nō pereat legatum v. g. quando conditio in fauorem alimentorum, vel piæ causæ appositæ est, vt si 100. legetur puellæ pauperi, vt Titio nubat, tunc puella 100. illa lucratur, etiã si Titius mortuus sit. Bald. nouella de dote 6. par. priuil. 76. Couar. c. 3. de testam. nu 11. Secundò limita quando conditio testatoris, facto ipso deficit, tunc enim pro impleta habetur: vt si quis N. Ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Victoria leget 100. si in ea sepeliatur, & sepeliri non potuit, quia ob duellum excommunicatus obiit, tunc adhuc legatum debetur. Bald. L. unica in fine, C. de his quæ pœnæ. Syl. v. le-

gatum, & alij. Quod si conditionis adimpletio à tertio impediatur, censetur nō impleta, grauatius tamen actionem habebit in impedientē, quando est soluendo, quod si soluendo non est adimpleta censetur. Menochius multos referens supra præsumpt. 183.

93 Quæres sextò, an legatum relictum pro virginibus maritandis dari possit virgini religionem ingredienti? Conueniunt Doctores, quos longa manu refert Sanchez disput. 33. num. 29. quod quando legatum relictum est personæ determinatæ v.g. Titia, vt matrimoniū ineat, deberi si religionē ingrediatur. Authen. de sanctiss. Episco. §. sed & hoc præsent. & authen. nisi rogati. C. de senatusconsult. Trebell. & hoc ex præsumpta testatoris voluntate. Quod si de tali testatoris voluntate præsumi non posset, quia aliunde constaret se nuptias voluisse carnales, legatū non deberetur religionem ingredienti. Sunt autem coniecturæ ad talem testatoris voluntatem dignoscendam sequē-

tes, quas fusè prosequitur Sanchez vbi supra num. 30. Prima: testator legauit puellæ vt personæ nubat determinatæ, quia tunc de spiritualibus nuptijs intelligi nequit: quod si certa illa persona obiit, debet puella alium ducere, vt legatum consequatur, quia testator matrimonium carnale velle videtur. Secunda coniectura est, quando testator reliquit tertio, si certa puella nupserit; tunc enim testatoris voluntas non est dandi legatum puellæ religionem ingredienti, vt patet.

94 Difficultas solum est, quando legatum est relictum pro puellis indefinitè maritandis, an scilicet concedi possit illi, quæ religionem ingrediatur? Affirmat Natta conf. 296. Sed verior sententia negat, quam post innumeros sequitur Sanchez nu. 32. Ratio est, quia ideo legatum certæ personæ relictum eidem debetur si monasterium ingrediatur, quia præsumptio est, quod testator illi reliquerit legatū ex speciali affectu quo illam feminam prosequeretur, atq; hæc præsumptio non currit quan-

quando legatum relictum est indefinitè pro puellis maritandis; ergo Sententia tamen Natæ sua non caret probabilitate, & illam sequuntur aliqui iuniores.

95 Circa secundum, quâdo scilicet pœna improprie dicta apponitur ad retrahendum à matrimonio, vt si legatur 100. Titia sub conditione si vitam coelibem ducat: difficultatur an valida sit? pro quo nota, quod illa conditio aliquando irritat contractum; aliquando reicitur, & aliquando admittitur, quando autè, & quomodo hæc fiant, sequentes explicabunt cõclusiones.

96 Prima conclusio. *Conditio non nubendi promissioni, vel contractui adiuncta vitiat illum, irritumque reddit, quâdo virgini imponitur.* Vnde si quis virgini 100 promittat si non nubat, promissio irrita est. Ratio est, quia, vt bene aduertit Molina de iust. trac. 2. disput. 285. conditio à iure prohibita impossibilis reputatur, sicuti sunt ille, quæ sua natura impossibiles sunt, & habetur L. *condit. cõtra edita*, ff. de condit. Sed illa conditio

à iure prohibetur; ergo impossibilis reputatur, conditio autem impossibilis est talis naturæ, vt licet à legatis solù reiciatur, non tamen à contractibus, cum illos irritos reddat. Instit. de inuilibus stipulat. §. si impossibilis: & L. *nõ solum* ff. de actionibus, & obligat. Ratio autem ob quam iura statuerunt, quod illa conditio *si non nupserit*, vitiet contractum, & non vitiet legatũ, est, quia contrahentes possunt nouum inire contractum cum per se supersticies supponantur; non vero testator, qui sic legauit, quia mortuus supponitur, & non potest amplius legitimum facere legatum.

97 Secunda conclusio. *Si conditio non nubendi hereditati, vel legato adijciatur, reicitur, & adhuc hereditas, vel legatum debetur: vt si Titia virgini quæ antea non fuit matrimonio coniuncta 100. legatur si non nupserit, & ipsa nubat, adhuc 100. debentur: est certa conclusio, & expressè habetur L. *quoties*, 22. L. *cum tale*, 71. & L. *Titia*, si non nupserit, ff. de condit. & de.*

demonst. Ratio desumitur ex L. 1. C. de induc'ta viduitate, quia scilicet multum Reipublicæ interest, vt per multorum generationem augeatur, ac proinde cōditiones ab hoc retrahentes, ab hæreditate, à legatis, à donatione causa mortis reiiciuntur, & in contractibus annullantur, &c. Aduerte hic; Idem esse dicendum quādo virgini 100. legarentur, si nuberet, & 200. si non nuberet: tunc enim 200. debentur si nubat, quia etiam in hoc casu illa conditio reicitur L. Titia si non nupserit, ff. de condit. & demōst. Sylu. verbo Hæreditas 4. in fine post alios. Quod dictum est de legato virgini relicto si non nubat, dicendum est etiam ob eandem rationem de legato viro relicto, si non nubat, si filios nō habeat, &c. quia & in his & similibus casibus cōditiones à liberis procreandis auertentes pro non adiectæ censentur.

98 Tertia conclusio. *Conditio prohibens matrimonium valet in viduo, & vidua; in Eunuchis, & alijs impotentibus. Valet etiam in fauorem*

*piæ causæ: vt si legentur virgini 100. si non nupserit, & si nupserit ad piæ causam transferantur. Si nuptiæ solū prohibeātur ad certum tempus, vt si 100. legentur virgini si per annum post eius testatoris obitum non nupserit. Si nuptiæ prohibeātur solum cum certis personis v, g. cum hæreticis &c. de quibus fuse Sanchez disput. 34. à nu. 29.*

99 Sed dubiū omnino necessarium proponendum explicandumque est, an conditio auertens à nuptijs spiritualibus pro non adiecta censenda sit, vt si quis 100. leget Titia si religionem non ingrediatur; an nimirum illa 100. debeantur etiam si Titia religionem ingrediatur. Negat Sanchez vbi supra. nu. 11. Molina Iesuita tom. 1. de iust. tract. 2. disput. 207 & alij pauci. Probant quia ius, hunc religioni fauorem nō tribuit, sed solum nubentibus: deinde quia illa conditio licet religioni aduersetur, fauet tamen matrimonio, quod maius bonum est, quam religionis status, nā matrimonium, bonum respicit Reipublicæ, status

status verò religionis bonum priuatum ipsius ingredientis. Nihilominus sententia opposita mihi verior, rationabilior. que videtur; vnde dico, quod sit 100. Titio, vel Titie legetur, si religionem non ingrediantur, & ipsi ingrediatur, adhuc illa 100. debeatur. Hanc conclusionem latè probat Euerardus loco à matrimonio carnali, ad matrimonium spirituale. Baldus, & Decius quos refert, & sequitur Acolsta L. cum tale, §. si arbitrato. ff. de condit. & demonstr. ampliat. 11. Aretinus, & Felinus quos refert, & sequitur Parisius cap. in presentia, de probat. Roland. consil. 55. nu. 25. lib. 3. Medina C. de restit. q. 23. Ledesma 2. p. 4. q. 18 ar. 1. dub. 12.

100 Probatur primò per authent. de sanctiss. Episco. §. sed & hoc præserti, collat. 9. vbi dicitur, illam conditionem pro non scripta haberi; ergo. Secundò quia vt fusè probat Euerardus valet argumētum à matrimonio carnali ad spirituale, nec iura minus fauēt huic, quam illi. Tertiò, quia matrimonium spirituale no-

bilis, perfectius est que est, matrimonio carnali, & non minus hoc interest Reipublicæ, quam illud. Nec verum est quod hunc fauorem tribuat iura solum matrimonio carnali, vt patet ex authent. citata, & probant citati doctores. Nec verum est, quod matrimonium carnale maius bonum sit, quam spirituale, nam spirituale & tēdit in bonum particulare, & commune. cum multum intersit Reipublicæ quod cultus Dei augetur, & plures sint, qui Deo in religionis statu deseruiant.

101 Hinc infertur primò eandem conditionem reprobari in vidua, quia licet conditio non nubendi in vidua teneat, authent. de nuptijs, §. quæ vero, collat. 4. & authent. cui relictum. C. de indict. vidui. non tamen tenet conditio non ingrediendi religionem, quia quoad hoc est eadem ratio de virgine, ac de vidua. Acolsta vbi supra cum Decio: Hoc tamen intelligit, & benè Euerardus quando conditio esset generalis, secus si prohibeatur ingressus determinati monasterij, vbi

alia adfunt, in quæ ingredi potest: sicut nec à matrimonio, talis conditio reicitur, vt cum quis legat 100. Titio, si non ducat ignobilem, vel ex tali oppido, vel cū Titia, Sempronia, &c. quia tūc potest cum alijs contrahere, ita &c.

102 Infertur secūdò, quod si Titio ducenta legentur si vxorem ducat: 100. vero si religionem: deberi 200. si religionem ingrediatur. Bart. & Socin. L. 2. ff. de his quæ poenæ causa. Rosella v. legare num. 27. Angelus v. hæres 4. Armilla ibidem. Syl. verbo Legat. & verbo Hæreditas 4. Tabiena ibidem, & alij communiter. Quia tamen opposita sententia quam post aliquos alios defendit Sanchez probabilis est, nota, quod ad euitandas lites ratione diuersitatis opinionum, sic poterit testator legare: Lego Titio 100. & ei quam duxerit 200. sic Roland. à Valle consil. 35. nu. 31. alios referens.

103 Puto tamen illā conditionem sustineri posse, quādo constaret non esse appositam ad retrahendum à reli-

gione, sed quia plus requiritur ad hoc vt Titia maritetur; quam vt religionem ingrediatur: vt si legetur hoc modo, relinquo Titie 100. si religiosa fieri voluerit, quia hæc sufficiunt pro religionis ingressu: si vero maritari voluerit relinquo mille pro dote, vel vt secundum suum statū nubat, &c. Couar. lib. 1. variar. cap. 19. nu. 10. & alij.

104 Infertur tertio, à fortiori idem dicendum esse de conditione ad religionem inuitante: vt si alicui 100. legentur si religionem ingrediatur; hæc namque conditio valet, cum licitum sit ad religionem allicere. Couar. vbi supra. Idem dic de conditione si fiat Sacerdos. Couar. ibidem: non est tamen idem de ista *si continenter vixerit*, quia hæc conditio directè nuptias repellit, benè si dicatur, si honestè, si castè, quia ducens vxorem potest hanc conditionem executioni mandare.

105 Sed petes, an si alicui 100. legentur, si religionem ingrediatur, sufficiat ingressus ad hoc vt legatum lucretur, an verò etiam professio  
poni

poni debeat? Respondetur  
sufficere ingressum bona fide;  
nam diuersum est religionem  
ingredi, & in ea profiteri;  
vnde si testator solum primū  
ponat, non est necesse adde-  
re secundum. Dixi, *sufficere*  
*ingressum* bona fide, nam qui  
ingrederetur solo animo lu-  
crandi legatum, & postea  
excundi, legatum non lucra-  
retur, quia testator talem nō  
intendit fictionem, sed animū  
verum, quo bona fide ingre-

diatur, animo scilicet expe-  
riendi religionis austeritates,  
quas si gratas inueniat, pro-  
fiteatur, si ingratas egredia-  
tur. Nec potest eo viuere  
animo vt dimittatur, cōtem-  
nendo, vel nolendo viuere  
aliorum more, &c. lucrabitur  
tamen legatum si dimittatur  
etiam per culpas ab ipso cō-  
missas per quas dimitti me-  
ruit, dummodo eo animo il-  
las non commiserit.

## Q V A E S T I O XI.

*An in sponsalium contractu liceat arrhas appo-  
nere; ubi aliae difficultates enodantur.*

106 **A**rrharum nomine  
in presenti veniūt  
pignora, quæ inter sponsos  
dantur, in signum, & firmita-  
tem contrahendi matrimo-  
nium, seu sponsalia imple-  
di. Circa quas conuenit in-  
ter omnes in sponsalibus ar-  
rhas tradi posse, ab iniustè  
resilente amittēdas, *L. arrhas*  
& *L. final. C. de sponsal.* Ratio  
autem quare iura arrhas ad-

mittant, & approbent & pœ-  
nas reiciant, & improbent,  
est duplex; vna est, quia cū  
pœna non statim tradatur,  
sed in futurum promittatur  
soluenda, facillè, & in ma-  
gna quantitate promittitur; at  
vero arrhæ cum tradantur in  
ipso sponsaliorum contractu,  
maturiori traduntur consilio.  
Altera, & melior est; quia  
arrha datur in signum, & se-



curitatem rei gestæ, at pœna imponitur ad cogendos sponfos, vt matrimonium ineant. Igitur ea est arrharum conditio, vt eas tradens amittat, si ipsius culpa matrimonium non fiat; quod si fiat redeunt ad tradentem. *L. fin. cit.* ita namque se habent in matrimonio arrhæ, ac pignora in contractibus, præfertim venditionis, in quo facta rei venditæ traditione, ad tradentem redeunt, & amittuntur ab iniuste resiliēte. *Syl. v. sponsalia, q. 9. Sanchez disput. 35. & alij.* Dixi amitti ab iniuste resiliante, quia si quis sponforum iuste resiliat, arrhas quas tradidit non amittit, sed ipsi restituendæ sunt, vt si alter religionem ingrediatur, si canonicum discooperiatur impedimentum, &c. *L. fin. C. de sponsal.* Ratio est, quia vbi non est culpa, ibi non infigitur pœna *L. sancimus, C. de pœnis.* Hoc tamen procedit quando contrahens, bona fide processit, nam si v.g. impedimentum sciebat, arrhæ non restituantur *Glos. L. fin. quod si reddantur, quia alter igno-*

rauit illum mala fide contraxisse, restitui debent, cum ex contractus natura illas amiserit.

107 Cauetur etiam eadē *L. fin.* quod quando solus alter sponforum tradidit arrhas & recipientis culpa matrimonium non sequitur, tenetur recipiens duplum restituere, scilicet arrhas, & tantundem de patrimonio; Imò & si conuentum esset de triplo, vel quadruplo, ad totum tenetur. *L. eadem.* Excipitur minor 25. annis, quia iste solas arrhas restituere tenetur. Ob hoc consulit Innocētius, & alij Canonistæ. *Cap. Gemma,* quod arrhæ parentibus tradi debeant, quia isti tenentur ad duplum. Si vero vterque arrhas dedit, & recepit, iniuste resiliens & suas perdit, & quas accepit restituere tenetur, vt ad pœnam dupli perueniatur, in dicta *L. præscripta.* Est tamen hoc intelligendum quando arrhæ æquales fuerint, nam si resiliens minus tradidit, defectum supplere tenetur. Sed vt hæc materia perfecte capiatur, aliquas proponemus *diffi.*

difficultates, & resoluamus.

108 Prima difficultas est, an pœna dupli, vel quadrupli quæ à iure ciuili conceditur, concedatur etiam iure canonico? Negat Gregorius Lopez L.84.tit.18.par.3. quia solutio dupli, vel quadrupli est mera pœna, quæ cassatur Cap. *Gemma*, de sponsal. Sed verior, & communior sententia tenet leges ciuiles concedentes, duplum, triplum, vel quadruplum non esse iure canonico cassatas, sed in suo robore permanere. Ita Hostiensis Cap. *Gemma*, & ibi Innocentius, Ioannes Andreas, Butrius, Anchar. Alexander de Neuo, Prepositus, & alij communiter. Syluester v. *sponsal.* qu. 9. Angelus eodem v. Nec verum est, quod illa dupli, vel quadrupli solutio fit pœna; nam in pœna nihil traditur, vt supra in huius quæst. principio aduertimus, at vero arrha traditur dum sponsalium contractus celebratur; vnde cum arrhæ traditio pœna non fit, sed pignus pro assecuratione, nec eius solutio quæcunque illa sit, pœna erit, cum ab il-

la nascatur, ortumque habeat.

109 Secunda difficultas, an pater promittens filiæ matrimonium, & tradens arrhas, illas amittat si filia nubere nolit? Respondetur negatiuè, sed restitui illi debent, dummodo faciat quod in se est, nec per ipsum stet, quin filia nubat, non enim est iustum, quod pœnam, vel quasi pœnam subeat, qui culpam non habet. Socinus senior Consil. 3.

110 Tertia difficultas, an arrhæ constitutæ, vel traditæ possint in quacunque quantitate? Affirmat Sanchez disput. 35. quia arrharum traditio nullo iure limitatur, nullo iure restringitur; ergo in quacunque quantitate constitui possunt. Sed mihi verius videtur non posse tradi in quacunque quantitate, sed iuxta contrahentium conditionem. Ita Bartolus ad L. *Titia*, de verb. obligat. Rosalla v. *sponsal.* nu. 17. Angelus, & Syluester ibidem, & alij. Et ratio est, quia arrha excedens contrahentium conditionem, videtur potius pœnæ, quam pigno-

pignoris, & affecurationis rationem habere; tum quia in tanta quantitate videtur contrahentium impedire libertatem, cum ne tantam summam amittant, matrimonium perficere cogentur. Tum etiam quia ut optimè arguant plerique Iurisperiti, Bartolum sequuti, apud Romanos matrimonium resoluens, non plus quam dotem amittebat, ergo cum sponsalia minoris sint conditionis, quam sit matrimonium, non debent amittere illa soluentes quamcunque quantitatem, sed minorem, quam dos ipsa sit. Unde licet leges civiles non determinauerint arrharum quantitatem, ut tamen rationabiles sint, debent apponi secundum contrahentium conditionem.

III Quarta difficultas, an arrhæ non solum in re mobili, ut pecunia, torque, &c. constitui possint, verum etiam in re immobili? ut fundo, domo, censu, &c. Affirmat Sanchez supra, Coninchus disput. 22. num. 15. & alij. Sed oppositum est verius quod defendit Bartolus vbi supra,

quem sequuntur plerique Doctores præsertim iuris prudentiæ. Ita deducitur clare ex *L. fin. C. de sponsal.* vbi approbans arrharum traditionem de illis loquitur tanquam de quantitate numerata. Tum quia lex illa concedit arrhas duplicari, vel quadruplicari posse, quod in re immobili difficulter fieri potest.

IIII Quinta difficultas, an iniuste resiliens teneatur in foro conscientie restituere duplum, vel quadruplum, quando ita conuentum est, an vero solum post iudicis sententiam. Sanchez disput. 37. & alij volunt illam poenam deberi solum post iudicis sententiam. Basilius Pontius. cap. 19. Coninchus disput. 22. dub. 4. & alij volunt deberi ante iudicis sententiam. Ut meum proferam iudicium nota, in presenti duplicem poenam distingui, vna est legalis, conuentionalis alia: poena dupli est legalis, ut constat ex iuribus citatis; poena quadrupli est conuentionalis à lege permiffa: hoc posito dico primò: *pœna legalis non est soluenda ante iudicis sententiam.*

tiam. Hæc conclusio communis est; commune namque est omni pœnæ legali, quod ante iudicis sententiam non debeatur. Vnde iniuste resiliens tenetur quidem arrhas restituere, quia hæc non est pœna, sed conditio naturaliter annexa contractui, duplicem tamen soluere non tenetur ante iudicis sententiam, quia hæc est pœna legalis.

113 Dico secundò, licet probabile sit pœnam conuentionalem ante iudicis sententiam non deberi, probabilius tamen est oppositum; ac proinde pœna quadrupli ante iudicis sententiam restitui debet. Quod sit probabile pœnam conuentionalem non deberi ante iudicis sententiam patet, quia illud tenent optimi Theologi ut videre est apud Sâchez: quod autem oppositum sit probabilius probant Pontius supra & alij. Et ratio clara videtur; quia hæc videtur natura pœnæ conuentionalis, ex contrahentium intentione; nam contrahentes dum de pœna soluenda conueniunt à resiliente, nullam prorsus iudicis sententiæ mentionem

faciunt, imò oppositum intendunt, ut sic non cogatur delusus ad iudicem recurrere, ut alter non resiliat.

114 Sexta difficultas, an restitutio v.g. in quadruplum, supposito quod sit pœna conuentionalis, solui debeat ante partis petitionem, an vero solum ad petitionem partis? Coninchus supra, & alij volunt solum solui debere ad partis petitionem. Sed verius videtur solui debere ante partis petitionem, sic Paludan. in 4. dist. 27. q. 1. Petrus Nauar. de restit. lib. 3. cap. 2. dub. 10. nisi pars remittere censeatur, sua non petitione. Ratio est quia id quod debetur ex conuentione, & contractu, eodem modo debetur, ac cetera debita; atqui cetera debita debentur ante partis petitionem; ergo etiam pœna conuentionalis.

115 Septima difficultas, an in sponsalium contractu fideiussores interuenire possint, & etiam pignora? Quoad primum certa res est fideiussores interuenire posse, cum nullo iure prohibeantur, nec tamen fideiussor ad pœnam  
ali-

aliquam obligari potest, sicut nec principalis; certa namq; regula est, quod fideiussor ad plus non obligetur, quam obligatur principalis. Tenebitur tamen ad damna, seu interesse, sicuti diximus teneri spondentes. Circa pignora conueniunt Theologi, & alij scribentes posse interuenire pro damno resarciendo, vel interesse praestando, & eo soluto, pignora esse restituenda *L. fin. C. de sponsal.* Difficultas est, an possint tradi pignora pro arrharum securitate. Aliqui negant, alij verius affirmant, sed tunc potius arrha censentur, quam pignora.

116 Octaua difficultas, vtrum in spirituali matrimonio, quod est religionis ingressus possit poena apponi, vel arrha tradi? Conueniunt omnes licere offerre munera absque vlllo pacto ad captandam beneuolentiam, qua media, quis ad Baptismum, vel alia sacramenta inducatur, seu alliciatur, & etiam ad religionis ingressum. *cap. pæn. 23. q. 4.* Ratio est, quia est licita liberalis donatio sine pacto, vel conditione vestita,

qua quis ad meliora alliciatur. Conueniunt item Theologi, licitum esse muneribus, vel pecunia auferre impedimenta quibus quis detinetur ne religionem ingrediatur; potest namq; quis diues soluere alterius debita, quibus detinetur, ne religionem ingrediatur. Hoc enim non est spiritualia emere, sed impedimenta auferre. Syluester *v. simonia q. 8.* & alij communiter. Certè bene faceret catholicus, qui conueniret hebraeum, volentem Baptismi sacramentum recipere, sed detineri ob vsurarum restitutionem, & illi talem offerret solutionem, dummodo Baptizetur. Ita benè faceret qui alterius debita solueret, dummodo religionem ingrediat. Difficultas est, an licitum sit talia offerre munera ea lege, conditione, & pacto, vt quis religionem ingrediatur. Negat Bart. in *L. Titia, ff. de verb. obligat.* vbi dicit nō esse licitum dare alicui cum pacto vt religiosus fiat nec pecuniā, nec munera, nec arrhas valere, & probat ex *cap. non satis, de simonia*, vbi sic dicitur:

Probi-

*Prohibemus igitur ne ab his, qui ad religionem transire volunt, aliqua pecunia requiratur, Bartolum sequuntur plerique Legistæ, & aliqui Canonistæ in cap. Gemma mulier. Alij dicunt licere offerre alicui munera, pecuniâ, &c. eo pacto ut religionē ingrediatur, dummodo illa in pretium non offeratur, subdentes ita deduci ex D. Thoma 2. 2. q. 189. art. 9. in corpore ubi sic habet: *Inducentes alios ad religionem non solum non peccant, sed magnum præmium merentur: posset tamen contingere circa huiusmodi inductionem triplex inordinatio. Primò quidem si violenter quis alium cogeret ad religionem, quod prohibetur in decret. 20. q. 3. Secundò si aliquis simoniacè alium ad religionem trahat muneribus datis, ut prohibetur in decret. ibidem q. 2. c. Quam pio. Nec tamen ad hoc pertinet si aliquis alicui pauperi necessaria submitteret in saculo nutriens ad religionem, vel sine pacto aliqua munuscula tribuat ad familiaritatem captandam. Tertiò si mendacijs eum alliciat. Imminet enim sic inducto periculum, ne cum se**

*deceptum inuenerit, retrocedat, & sic fiat nouissima illius hominis peiora prioribus ut dicitur Luca 11. Vbi volunt D. Thomam per pactum, non intelligere pactum nudum, sed simoniacum, quando scilicet pecunia v. g. datur in pretiũ, ut patet ex illis verbis *si aliquis simoniacè alium, &c.* & huic sententiæ videtur fauere Syl. v. Gabella 5. q. 2. ubi probat in hoc casu nullam intervenire simoniam. Adrianus quodlib. 9. Medina de restit. q. 27. ad 4. Nauar. cap. inter verba. Angles floribus 2. p. q. quis teneatur restituere art. 2. difficult. 12. Molina Iesuicæ tom. 1. de iustitia tract. 1. disp. 63. concl. 4. & alij. Sed à prima sententia non videtur recedendum, quia re vera pro ea stat D. Thom. ut consideranti patebit.*

117 *Opposita tamen sententia quam etiam Sanchez tuetur lib. 1. disput. 39. probari potest. Primò quia si hoc pactum aliquam haberet iniquitatem, maximè simoniacam; atqui hanc non habet, ergo nullam. Maior patet, nam pacisci de danda*

pecunia si quis religionem ingrediatur secundum se malum non est, nec eius finis malus ut patet. Minorem ostendo; nam ut docet D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 1. quem omnes sequuntur, simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi rem spiritualem pro temporali, sed qui accipit pecuniam cum pacto religionem ingrediendi, nec religionem emit, nec vendit pro illa pecunia; ergo. Minor probatur; nam venditio, vel emptio, contingit quando quis rem alteri tradit accepto pretio, vel accipit dato pretio; sed hic nec datur, nec accipitur religio pro pretio, quia quæ datur pecunia, non datur pro pretio, sed datur ut conditio donaria cum pacto quod faciat illam suam, si religionem ingrediatur; ergo, &c. Certè si esset simonia dare munera, vel pecuniam cum pacto ponendi rem spiritualem, peccarent frequenter parentes, & domini, qui solent pecunias dare filiis, vel seruis cum pacto ut confiteantur, ut communificent, &c. peccarent qui dant, & accipiunt pecunias

cum pacto quod tot missæ dicantur: peccarent qui dant pecunias concubinis, ut à peccatis desistant, ut confiteantur, &c. fortius, peccarent, qui minis, & etiam verberibus suos inducunt, ut missæ sacrificio interfint festis præsertim diebus, et si hoc non dicitur, nec illud dici debet. Vnde multoties in sacra scriptura Deus bona promittit temporalia pro rebus spiritualibus, ut pro obseruantia mandatorum, &c.

118 Probatur secundo, quia licitum est matrimoniū cum infideli contrahere, hac lege, ut conuertatur, cap. non oportet, 28. quæst. 1. ergo etiā licitum erit dare pecuniam iuueni hac lege ut religionem ingrediatur; valet enim (ut supra cum Euerardo diximus) argumentum à matrimonio carnali, ad spirituale.

119 Confirmatur quia ut bene aduertit Medina supra, licitum est donare vitam infidelibus ad mortem damnatis, hoc pacto ut baptizentur; ergo etiam licitum erit dare munera fidei ut religio-

ligio-

religionem ingrediatur. Con-  
 sequentia tenet ex paritate  
 rationis: si enim semel esset  
 malum dare munera fideli ut  
 religiosus fieret, quia simo-  
 niacum esset; neque licitum  
 esset dare, vel donare vitam  
 infidelibus ut baptizarentur.  
 Antecedens patet ex lectio-  
 ne 6. in officio sancti Alberti  
 Ordinis N. 8. Augusti, à Sa-  
 cra Cōgregatione approbato,  
 ubi sic dicitur: *Argentum*  
*proficiscens* (de Sancto Alber-  
 to est sermo) *cum ex altera*  
*ripa Platani fluuij Iudæos*  
*quosdam obuios habuisset, re-*  
*pente flumen alueum excedens,*  
*illos prætereuntes inuasit. Qui*  
*cum mergi capissent, ad San-*  
*ctum, ut eis opem ferret, cla-*  
*mare ceperunt. Promisit ille,*  
*si Christiani fieri vellent, se*  
*eis auxiliaturum. Quibus id*  
*promittentibus, vir Dei am-*  
*bulans super aquas, manus eis*  
*porrexit, eodemque in flumi-*  
*ne baptizauit, & ad ripam*  
*insolutes perduxit. Nec tex-*  
 tus à Bart. adductus conuin-  
 cit, quia solum probat nihil  
 dandum esse religiosis, ut  
 aliquem ad religionem ad-  
 mittant: nec cap. *Quam pio*

1. quest. 2. nec cap. *fn. de pa-*  
*ctis*, quæ ab aliquibus affer-  
 ri possunt, sunt contra hoc,  
 quia solum damnant, ac re-  
 probant pacta simoniaca, qui-  
 bus pecunia verbi gratia in  
 pretium confertur; quod etiã  
 nos admittimus. Non est ta-  
 men licitum apponere pœ-  
 nam propriè dictam in con-  
 tractu, vel pacto ingrediendi  
 religionem, quia hæc sicut  
 remouetur ab sponsalibus, &  
 matrimonio carnali, ita à spi-  
 rituali, ut ex dictis supra li-  
 quet.

120 Nona difficultas, an  
 sponsalibus pactum apponi  
 possit quo sponsus, vel spon-  
 sa teneatur in tali loco habi-  
 tare? Negat Alexander de  
 Neuo cap. 1. num. 9. *de con-*  
*iug. lapsō*. Couar. 4. *decret.* 2. p.  
 cap. 7. num. 5. Lopez 2. part.  
*instruēt.* cap. 54. & alij, quo-  
 rum aliqui dicunt non seruã-  
 tem hoc pactum teneri ad  
 interesse, & ad pœnam, etiã si  
 pactum sit nullum. Sed licet  
 primum aliqua non careat  
 probabilitate, nõ tamen hoc  
 secundum, cum non videat-  
 ur probabile aliquem tene-  
 ri ad pœnam, vel interesse



ex pacto nullo, est enim generalis regula quod corrūte principali corrūat accessorium, & sic, quoties pactum irritum est, & pœna illi adiecta irrita erit. Vnde verius dico tale pactum valere, & teneri promittentem fidem seruare; nam potest quis in rei suæ traditione pactum quod maluerit apponere, dūmodo iniquitatem non contineat. cap. *verum*, de condit. apposs. & l. 1. C. de pactis; ergo id ipsum fieri potest in nostro casu. Deinde iura licet irritent omnes pœnas, quæ contra matrimonij sunt libertatem, non tamen illas, quæ eius fauorem respiciunt; atqui hæc est huiusmodi, cum respiciat indiuiduam vitæ cōsuetudinem, & simultaneam cohabitationem; ergo. Sed dicet, quia in l. *Titio centum*, 2. ff. de condit. & demonstr. irritantur conditiones habitandi in certo, & determinato loco, eo quod tales conditiones speciem contineant seruitutis, & legatum cum tali conditione factum, conditione relicta debetur, ergo idem in præsentī dicendum

erit, cum fortiori iure, illa seruitutis conditio relinqui debeat? Respondetur namque cum Bart. & plerisque alijs, in tali lege eas solum conditiones reprobari, quæ vanæ sunt, & in nullius fauorem cedentes; non vero quæ vtilis sunt, & in alterius fauorem cedentes, vt est in præsentī, maximè namque in vxoris fauorem cedit, quod eius maritus in tali maneat ciuitate, vel oppido, vbi nata est, vbi suos habet, vbi educata, vbi cognita. Vnde si vir pactum non obseruet tenebitur ad interesse, tenebitur ad pœnam, si adiecta est. Nec vxor tenebitur illum sequi: Et idem dicendum est de alijs contractibus, & institutionibus, vt cum quis aliquem instituit hæredem, vt de tali familia nominetur, vt in tali loco habitet, &c. Sunt tamen hæc intelligenda quando noua non superuenit causa, si namque hæc superueniret posset aliò migrare, etiamsi tale pactum iuramento firmasset, vt pestis tempore: vel quia cœlura est sibi de nouo factum minus

minus salubre, quia inimicitiae capitales ibi contractae sunt, &c.

121 Quod si in sponsalibus, vel matrimoniali contractu nullum pactum appositum est de habitatione in tali, vel tali loco, vir non tenetur sequi uxorem, nisi in casu, quo ex causa necessaria velit aliò transferre domicilium. At vero vxor virum sequi tenetur etiam si ex libito transferre velit domicilium. Ratio est, quia cum vir sit mulieris caput, potest ad libitum domicilium transferre, vxor vero solum ex causa necessaria. An autem vxor virum vagantem sequi teneatur, & similiter quando in exilium mittitur, dico quoad vagantem, vel vxor sciebat virum talis esse conditionis, vel non; si primum tenetur illum sequi, cum vxor teneatur se accomodare conditioni viri, non econtra. Si secundum, nõ tenetur, cum ex ma-

trimoniali obsequio, perpetua non deducatur vagatio. Quoad virum in exilium missum aliqui volunt vxorem solum eum sequi teneri quãdo absque sua culpa exulatur, secus si cum culpa. Sed verius est oppositum, vxor namque viri infortunium sequi debet. *L. si cum dotem §. si autem. ff. soluto matrimonio.* Si enim non debet virum relinquere excommunicatum, cap. *inter alia*, de sent. excommunic. sed debet ei debitum reddere, cap. *quoniam multos* II. q. 3. Ita non debet virum bannitum relinquere *Glof. cap. i. qui matrimonio.* Imò tenetur vxor si potest virum pauperẽ bannitum alere, non solum ex bonis dotis quibus hæc annexa censetur obligatio, verum etiam ex bonis paraphernis. *Clarus lib. 5. receptarum in pract. criminali §. fin. q. 82. Antonius Gab. communium tom. 2. lib. 6. fol. vltim.*



## Q V A E S T I O XII.

*An sponsalium contractui, liceat conditiones  
annectere.*

122 **S**upra disput. 3. q. 10. per totam egimus de conditionibus matrimoniali contractui appositis, ex quibus ferè constat quid dicendum sit in hac quæstione, ut tamen sponsalium natura vndequaque maneat explicata, aliqua hic breuiter subiiciemus. Conueniunt ergo Theologi quod contractus sponsalitijs sub conditione de futuro contingenti fallibili, non possit impedire matrimonium cum altera factum, sicut neque faciunt hoc sponsalia absoluta; & ratio est, quia per matrimonium corporum iura, dominiaque transferuntur, & sic confert matrimonium ius in re; non sic in sponsalibus in quibus talia iura non transferuntur, sed solum promissio fit de illorum translatione, & sic cõferunt sponsalia solum ius ad rem; sed translatio iuris in re fortior est, quam sit transla-

tio iuris ad rem, & dissoluit illam, ut in venditione videre liquet; ergo. Quia tamen contractus sponsalitijs confert, ut diximus ius ad rem, peccat mortaliter, qui conditionalia contraxit sponsalia cum aliqua, aliam ducit, antequam conditio purificetur, idem contingit quando qui contraxit sponsalia absoluta, aliam ducit, tunc enim grauis irrogatur iniuria alteri, &c. Benè verum est, quod licet sponsalia siue conditionata, siue etiam absoluta non habeant vim irritandi cum altera matrimonium, irritant tamen sponsalia cum altera siue absoluta, siue conditionata sint, etiam si conditio secundi contractus prius purificetur, quam conditio prioris. Pater exemplo venditionis, vbi licet secunda venditio traditione facta irritet primam in qua traditio facta non erat; non tamen secunda ven-

venditio in qua traditio facta  
 nõ est, irritat priamam, in qua  
 similiter facta non fuit tradi-  
 tio. Vnde Basilius Pontius.  
 lib. 3. cap. 13. rectè arguit San-  
 chez lib. 5. disput. 8. quatenus  
 dicit secunda sponsalia non  
 irritare prima in ratione pro-  
 missionis, eo quod prior pro-  
 missio sustineatur nõsecũda,  
 irritant tamen quoad rationẽ  
 sponsalium, vnde per San-  
 chez positis secundis sponsa-  
 libus priora solum obligabũt  
 ex fidelitate non ex iustitia;  
 rectè inquam Pontius arguit  
 Sanchez de hoc, quia priora  
 sponsalia conditionata non  
 solum obligant ex fidelitate,  
 verum etiam ex iustitia, sub  
 conditione tamen quæ semel  
 acceptata, nequit, qui illam  
 contulit, auferre, vnde quan-  
 tumuis sponsalia cum alia  
 fiant, priora obligare non de-  
 sinunt neque ex fidelitate, ne-  
 que ex iustitia, alioqui cum  
 obligatio iustitiæ fortior, va-  
 lidiorque sit, fidelitatis obli-  
 gatione, si semel prima spon-  
 salia non amplius ex iustitia  
 obligant, obligabunt secun-  
 da, & sic hæc, non illa ser-  
 uanda erunt.

123 Hinc oritur dubium,  
 an sicut sponsalia priora con-  
 ditionata valent non secun-  
 da, idem dicendum sit de  
 matrimonio cõditionato, præ-  
 fertim quando simul vtriuf-  
 que conditio purificatur? Sũt  
 de hoc dubio plures scriben-  
 tium sententiæ. Prima est  
 Sanchez vbi supra. Conin-  
 chi disput. 29. & aliorum, qui  
 dicunt neutrum matrimoniũ  
 validum esse. Rationem as-  
 signant, quia quando vtriuf-  
 que matrimonij conditio si-  
 mul impletur, tunc vterque  
 consensus in vtrumque matri-  
 monium simul fertur; ergo  
 cum nõ possit vtrumque ma-  
 trimonium simul validum ef-  
 se, neutrum validum erit.  
 Sed hæc sententia displicet,  
 quia licet verum sit, non pos-  
 se quem, in duo simul con-  
 sentire matrimonia, non vi-  
 detur tamen possibile, quod  
 quis hoc sciens, velit simul  
 duo matrimonia inire, sed  
 vnum tantum, cum nullus sa-  
 nè mentis, quando à princi-  
 pio duos illos conditionatus  
 posuit consensus, voluerit fer-  
 ri in duas: certè si hæc stulti-  
 tia dareretur Sanchezij senten-  
 tia

tia vera effet; sed non sic, voluit namque qui sic contraxit vnum solum inire matrimonium. Ob hoc est secunda Tabienę v. *matrim.* & aliorum sententia, quod primum præualeat matrimonium, quia potior, & melior est ipsius conditio; cum primum ius acquiserit; tum quia currit regula illa, qui prior est tempore, potior est iure. Tertia sententia est, quod posterius præualeat matrimonium; hanc docet Petrus Ledesma q. 47. ar. 5. dub. 1. & alij quorum ratio est, quia per consensum in posterius reuocatur consensus in prius, consensus autem reuocatus matrimonium non facit. Meum sit iudicium. Huius difficultatis solutio pēdet ex illa, quam de sacramētia in genere pertractauimus, quænam scilicet intentio, quando plures sunt, præualeat, prima ne, an secunda: ad quam diximus præualere primam, nisi secunda sit primæ saltem virtualiter retractatiua. Ita discurras in præsentia: valebit primum matrimonium, nisi quando qui posuit secundum consen-

sum, primi memor, voluit secundum, tunc enim censetur primum consensum reuocare; cum enim sciat non posse simul in duas consentire, & consentiat in secundam non obstante prima, non in hanc, sed in illam consentire censetur,

124 Sed quæres primò, an conditiones impossibiles, & turpes sponalibus adiectæ, pro non adiectis sit habendæ? Disp. 3. quæst. 10. ostendimus has conditiones in foro externo pro non adiectis in matrimonio haberi. Difficultas præsens est, an quando illæ conditiones non apponuntur matrimonio, sed sponalibus ipsis, vt si quis dicat: *contrahot tecum matrimonium, si digito celum tetigeris*, hæc conditio est de impossibili: vel si dicat: *contraham tecum matrimonium si mecum fornicata fueris*. Affirmat Sanchez: sed illum benè impugnat Rebell. q. 10. sect. 5. Quia iura, quæ tales irritant conditiones de solo loquuntur matrimonio, vnde illæ conditiones etiam in foro externo habentur pro adiectis, & de tali.

alibus sponsalibus iudicandum est, ut verè contractis, sub illis, non solum quoad veritatem, verum etiã quoad fori exterioris præsumptione: non enim valet irritatur matrimonia clandestina; ergo etiam irritantur sponsalia clandestina; ita non valet, irritantur in matrimonio conditiones turpes, & impossibiles; ergo etiam in sponsalibus irritantur; cum non valeat à matrimonio ad sponsalia arguere, præsertim cum non sit utrobique eadem irritandi ratio.

125 Ex quibus infertur, quod sponsalia sub conditione turpi, sunt absolutè valida, ea conditione impleta, & ante cõditionis impletionem sunt valida sub conditione. At vero sponsalia sub conditione impossibili ex animo adiecta statim sũt nulla quoad veritatem, & præsumptionem ex defectu possibilitatis impletionis conditionis, quæ impleri non potest. Infertur etiam quod spõsalia sub hac conditione contracta: *Si Papa dispensauerit*, sunt valida conditionatè, quando Papa

solet in eo impedimento dispensare, quia ut in simili diximus de matrimonio, illa conditio eo casu, licet à Principis dependeat voluntate, possibilis tamen censetur, cū in eo impedimento dispensatio fieri soleat. Circa illam conditionem, *si Patri placuerit* eodem modo dicas, sicuti diximus quando illa conditio matrimonio apponitur, ut loco citato disput. 3. aduertimus.

126 Circa conditiones, quæ sunt contra substantiam matrimonij, aliqui volunt, quod sicut irritant matrimonium ita etiam irritant sponsalia. Sed non placet, unde dico sponsalia nõ irritari per cõditiones matrimonium irritantes, quia sunt contra substantiam illius, sed ut irritent sponsalia debeat esse contra substantiam eorundem sponsaliorum. Unde si quis dicat: *contraho tecum, quamdiu aliam pulchriorem inueniam*, matrimonium est nullũ, quia illa conditio est contra matrimonij essentiam, ut scilicet sit perpetuum, non temperaneum: si vero illa conditio

Sponsalibus adijciatur, non irritat illa: vt si dicatur: *promitto me contraeturum tecum nisi aliam pulchriorem inueniam*, tunc sponsalia sic fa-

cta valida sunt sub condicione, vnde si alia pulchrior inueniatur dissoluuntur, si non inueniatur, tenent.

# DISPUTATIO

## QVINTA

*De sponsalibus quoad eorum dissolutionem:*

**Q**VANDIV sponsalia in matrimonium non transeunt dissolui possunt: transeunt autem sponsalia in matrimonium vbi Tridentinum non est receptum per omnē illum actum externum, qui procedit ex formali, vel virtuali voluntate contrahendi matrimonium de præsenti, cuiuscunque rationis, & naturæ sit actus ille exterior, siue sit copula carnalis, affectu maritali habita, non vi extorta; siue solemnis sponsæ tractatio in domum sponsi; siue mutua cohabitatio per longum tempus, siue quicumque

alius similis actus. At vero vbi Tridentinum est receptū sponsalia in matrimonium non transeunt nisi signum exterius sit manifestatum interioris consensus matrimonij de præsenti, in præsencia Parochi, & testium, qui possint in facie Ecclesiæ de tali matrimonio testificari, antequam autem sponsalia sic coram Parocho, & testibus in matrimonium transeant resolubilia sunt; quibus autem modis sponsaliorum resolutio fieri valeat in præsenti disputatione explicabitur; sit ergo.

QVAE-

## Q V A E S T I O I.

*An sponsalia per religionis ingressum dissoluantur :*

2 **C**onueniunt Theologi sponsalia dissolui per solemnem in approbata religione professionem, cum enim hæc matrimoniū suapte iure dissoluat ratum. vt supra ostendimus à fortiori sponsalia dissoluet; Vnde præfens difficultas procedit de solo religionis ingressu, ante professionem, an scilicet, solus religionis ingressus sponsalia dissoluat, taliter quod si nouitius à religione egrediatur non teneatur priora seruare sponsalia, sed possit, si velit, noua inire.

Prima sententia est, quod sponsalia dissoluantur solum ex parte manentis in sæculo. Hanc sententiam docet Hénriquez 11. *de matrim.* cap. 14. Coninchus disput. 23. dub. 3. Secunda sententia est, quod sponsalia dissoluantur ex parte vtriusque. Hanc tenet Sánchez disput. 42.

3 Nostra sententia sequenti explicatur cōclusionē. *Sponsalia ex parte neutrius dissoluantur per solum religionis ingressum, sed solum per ipsam professionem.* Ita D. Thomas hic q. 43. art. 3. ad primum, & in 4. dist. 27. q. 2. art. 3. vbi cū tale proposuisset argumentū; *Sponsalia dirimi non possunt altero religionem intrāte, quia de pecunia, quam alicui promissit, non possum alteri licitè obligationem facere; sed ille qui sponsalia contraxit corpus suum promittit mulieri, ergo non potest se offerre Deo ulterius in religione.* Sic respōdet. *Dicendum quod talis promissio dissoluitur per mortē spiritualem, cum sit spiritualis tantum, vt dictum est.* Vbi vt vides docet Angelicus non dissolui sponsalia per simplicem religionis ingressum, sed per illū qui sit mors spiritualis, hic autem, vt patet, non est sim-



plex religionis ingressus, nec totus nouitiatus annus, sed solemnus religionis professio. Vnde D. Thomam sequuntur eius discipuli Paludanus dist. eadem q. 1. art. 3. Viguerius cap. 16. §. 7. Ledesma q. 43. art. 3. dub. 2. Turrecremata insignis canonista ex inclita Dominicanorū familia cap. *ubi non est* 30. q. 2. art. 4.

4 Addit Paludanus & benè ingressum religionis vnus licet sponsalia non dissoluat, tribuere tamen manenti in sæculo ius, vt iudicem adeat, qui causa cognita facultatē concedat, alia faciendi sponsalia, & matrimoniū, alioqui vsque ad illius professionem expectare debet.

5 Probatur conclusio, nā religionē ingrediens ex hoc ipso, iuri suo non cedit; ergo ex parte illius sponsalia non dissoluuntur, ac proinde nec ex parte manentis in sæculo; hoc vltimum patet, nam sponsalia claudicare non possunt, ac proinde si ex parte vnus valida sunt, etiam ex parte alterius valida erunt; cum enim sint mutua promissio, si ex parte vnus v. g. manentis

in sæculo, promissio non manet, neque ex parte alterius manebit. Consequentia etiā clara videtur, nam si semel sponsalia dissoluerentur ex parte religionem ingredientis, maximè id esset, quia per talem religionis ingressum, iure per illa acquisito cedere censeretur, seu renunciare, hoc autem non facit, vt ex mox subiiciendis constabit; ergo. Antecedens in quo est difficultas probatur primò, quia, qui religionem ingreditur, ideo hoc facit, vt periculum faciat, an sibi magis expediat in illa permanere per solemnem professionis emissionem, quam in matrimonio vitare; ergo ex hoc quod quis religionem ingreditur non statim suo cedit iuri; sed sub ea conditione, si professus fuerit. Confirmatur, quia ex præciso religionis ingressu, quis alijs non renunciat iuribus absolutè, sed sub conditione professionis, vnde beneficiarij ex solo religionis ingressu beneficijs nō priuantur, sed solum professione sequuta; ergo neq; sponsalium iuri quis renunciare  
cense-

censetur, nisi professione se-  
 quuta, cum sub eadem condi-  
 tione sponsus religionem in-  
 grediatur. Soluuntur argu-  
 menta in contrarium.

6 Primum argumentū est,  
 quia sponsalia dissoluuntur  
 quoties fit magna personæ  
 mutatio, vt si fiat leprosa;  
 atque in religionem ingre-  
 diēte, fit magna personæ mu-  
 tatio; ergo &c. Minor probat-  
 ur, quia talis mutatio fit in  
 persona religionē ingredien-  
 te, vt magni fit dedecoris cū  
 illa contrahere, si è religione  
 egrediatur. Respondetur ne-  
 gando minorem, fit quidē  
 aliqua mutatio, sed non tan-  
 ta, quanta ad spōsalia dissol-  
 uenda requiritur; non enim  
 per talem ingressum, aliquā  
 contrahit deformitatem, vt  
 leprā, vel morbum gallicum,  
 sed remanet vti prius, habilis  
 vti prius, &c. Vnde sicut vota  
 simplicia per solum religio-  
 nis ingressum non extinguun-  
 tur, sed per solam professio-  
 nem, ita sponsalium obliga-  
 tio per solā extinguetur pro-  
 fessionem; non per nudum  
 religionis ingressum; bene  
 verum est, quod, vt diximus,

talis ingressus dat facultatē  
 ad implorandam sponsalium  
 dissolutionem.

7 Secundum argumentū,  
 ita se habent nouitiatus an-  
 nus, & professio, sicut se ha-  
 bent sponsalia, & matrimo-  
 nium, & e contra; ergo sicut  
 professio matrimonium dis-  
 soluit ratum, cap. ex publico,  
 de conuersat. coniugat. ita &  
 nouitiatus sponsalia. Respon-  
 detur negando Antecedens.  
 Nam professio ideo dissoluit  
 matrimonium ratum, quia  
 per illam fit traditio totalis  
 sui Deo, & religioni; at ve-  
 ro nouitiatus non est traditio,  
 imò in nouitio nulla est obli-  
 gatio tradendi se ipsum reli-  
 gioni; verum sponsalia in-  
 uoluunt obligationem tra-  
 dendi se ipsum per matrimo-  
 nium, ac proinde nouitiatus  
 cum nullam inuoluat obliga-  
 tionem tradendi se religioni,  
 non habebit vim tollendi  
 sponsalia, quæ dictam conti-  
 nent obligationem tradendi  
 se per matrimonium. Quæ  
 solutio maximè habet verum  
 contra Sanchez ex sententia  
 ipsius, qui dicit Professionem  
 solemnem non ex rei natura

matri-

matrimonium ratum soluere, sed solum ex Christi Domini priuilegio, quod cum nouitiatu concessum nō sit, sequitur quod nouitiatus sponsalia dissoluere non habeat.

8 Tertium argumentum, quia non tantum deferri debet sponsalibus, ac matrimonio rato; ergo non debemus dicere, quod sponsalia per solam professionem dissoluantur; alioqui tantum deferretur sponsalibus, quantum matrimonio rato? Respondetur quod quātum pertinet ad sponsalium dissolutionem tantum deferimus illis, quantum matrimonio rato, vt patet ex dictis, licet quantum ad alia non tantum deferamus.

9 Sed quæres primò, an quilibet sponsus sit liber ad religionem ingrediendā, quāuis sponsalia sint iurata? Certum est licere cuilibet sponso religionem intrare quando sponsalia iurata non sunt, licet per solum ingressum illū non dissoluantur, vt supponitur in cap. *commissum*, 16. de sponsalibus, & ratio est, quia

sicuti contracto non consumato matrimonio possunt cōtrahentes religionem intrare, cap. *ex publico*. 7. de conuers. coniugat. à fortiori liberi erūt sponsi ad religionem intrandam ante matrimonium factum. Hoc tamen intelligi debet quando graue damnum alteri non sequitur; nam si sponsus sub spe matrimonij virginem deflorauit, aut si vidua erat, illam cognouit, tunc tenetur illam ducere, & matrimonium consummare, vt sic illatum resarciatur damnum. Vnde difficultas præsens procedit quādo nullum graue sequitur damnum spōsæ v.g. & spōsalia sunt iurata. Nam Vega in sūma cas. 389. & alij dicunt teneri iurantem ratione iuramenti matrimonium inire, & ante consumationem, si voluerit, in religionem intrare, & fundatur in citato cap. *commissum*, vbi de quodam sponso qui sponsalia iurauerat dicitur: *Tutius est ei religione iuramenti seruata prius contrahere, & postea si elegerit, ad religionem migrare.* Sed oppositum est verius,

verius, quod sequitur Henriquez lib. 11. cap. 13. nu. 3. & cap. 14. nu. 3. & alij communiter. Ratio plana est, quia iuramentum sequitur naturam, & conditionem actus cui apponitur; ergo si in actu tacita includitur conditio, etiã in iuramento adiecto, eadem conditio includetur cap. *quæ ad. de iure iur. & L. fin. C. de non numerata pecunia*. Sed sponsalibus tacita inest conditio de religionis ingressu, ergo etiam iuramento sponsalibus appposito eadem inerit conditio de eiusdem religionis ingressu, & sic religionem ingrediens non est periurus, cum sponsalium, & iuramenti conditionem adimpleat. Nec ex citato c. *commissum* aliud quam consilium, non obligatio, deducitur, cum dicatur, *tutius est, &c.*

10 Quæres secundò, an qui sponsalia iuravit, licitè possit matrimonium inire, quando post illa, voto se castitatis adstrinxit, cum animo tamen ingrediendi religionem ante matrimonij consumationem? Negat Sanchez id licere sine culpa lethali, pro qua senten-

tia affert Cucum; & alios. Sed opposita sententia est verior, quam sequuntur communiter Canonistæ cap. *commissum*, vt Henricus, Alexander de Neuo, & alij. Et Theologi vt Caietanus in summa v. *matrimo. c. 1*. Scotus in 4. dist. 37. q. vnica versu. *consimiliter*. Altifiodorensis lib. 3. summæ tract. 2. q. 3. Angles flor. 2. p. q. 11. Ledesma q. 53. art. 1. dub. 1. & alij communiter. Probatur ex citato cap. *commissum*, vbi de iurante sponsalia dicitur, *tutius est ei religione iuramenti seruata, prius contrahere*: & hunc etiã religionis votum fecisse constat ex eodem cap. cum de eo dicatur: *privata lege ductus, ad frugem melioris vite suspirat*, votum namque privata lex est ad frugem melioris vite. Probatur deinde, quia qui matrimonium facit habens votum castitatis, vel religionis, cum animo intrandi religionem ante consumationem non peccat, nec contra votum, nec contra fidem sponsa datam; ergo nullo modo: Consequentia patet, quia si semel peccat habens votum

religionis, vel castitatis, peccabit vel ratione illorum votorum, vel ratione non seruatae fidei sponsae, vel quia decepta maneat, vel quia fit illi indecorum, &c. atqui ob hæc non peccat vt Antecedentis probatio demonstrabit; ergo. Antecedens ostenditur, quia si loquamur de votis, tunc solum contra illa peccatur, vel quando violantur, vel quando quis ponitur in proximo violandi periculo. Atqui in hoc casu nec violantur, vt suppono, nec ponitur in periculo violandi sic contrahens; cum animum habeat non consumandi matrimonium. sed religionem ingrediendi; ergo. Quoad fidem sponsae datam non peccat, qui matrimonium contrahit animo ingrediendi religionem, quia licitum est expressè intendere illam conditionem, quæ implicitè in matrimonio, & sponsalibus inest; atqui in illis inest tacita conditio de religione ingredienda; ergo licitum est illam expressè intendere. Tum quia religionem ingrediens ante matrimonii con-

sumationem, nullam sponsae irrogat iniuriam cum suo vutur iure, ergo hoc expressè intendens nullam pariformiter iniuriam irrogabit. Tum etiam quia quando actus non est iniuriosus, nec animus iniuriosus erit; sed talis ingressus non est iniuriosus; ergo nec animus; nec tunc est dolosè contrahere, vt vult Sanchez, sed est vt iure suo.

11 Ex quibus infertur contra Sanchez, quod ille qui sponsalia iurauit nullo adstrictus voto, possit sine labe peccati mortalis, matrimonium inire, animo religionem ingrediendi, antequam consumet illud; quæ omnia habent verum præsertim quando notabilis adesset metus, licet non grauis, seu cadens in virum constantem, vel famæ, vel rei, vel vitæ, &c. vel ad vitandum magnum scandalum, &c.

12 Quæres tertio, ad quid teneatur, qui habens votum castitatis, vel religionis virginem deflorauit, data fide de matrimonio cum ipsa contrahendo? Conueniunt omnes quod ex hoc quod quis  
fidem

fidem det de matrimonio cū aliqua contrahendo. siue illā deflorauerit, siue non, priora non destruantur vota, sed spōsalibus dissolutis ex aliqua causa iusta, vel mortua vxore si illam ducat, teneri à nuptijs abstinere, & si votum religionis sit, religionem intrare. Vnde difficultas præsens est, ad quid ille voti adstrictus teneatur si virginem deflorauit data fide de matrimonio, an scilicet teneatur religionē ingredi, si votum erat religionis, vel à matrimonio abstinere, si votum erat castitatis, vel teneatur fidem seruare, & matrimonium facere. Prima sententia est quod teneatur illam ducere, ita Sanchez, pro qua nullum refert auctorem, sed solum dicit illam sententiam tenuisse grauissimos magistros Salamantinos, & alios viros doctissimos ex societate Iesu. Nihilominus opposita sententia est verior, & tenenda, quam tenet Nauar. lib. 4. consil. consil. 21. Rodriquez tom. 1. summæ cap. 208. Viualdus in Candelabro 3. p. cap. 14. nu. 64. & 65. cum quibus dico; quod religionis vo-

to adstrictus si aliquam defloret data fide de matrimonio cum ipsa faciendo, adhuc debeat religionem intrare, & si votum castitatis habebat, si nolit religionem intrare debeat à matrimonio abstinere, & votum seruare. Ratio clara est, quia illa promissio de ducenda deflorata, nō obligat, nec vt promissio simplex, nec vt sponsalia; ergo nullo modo, ac proinde non est seruanda. Consequentia tenet, nam quod nullo modo obligat, non est de necessitate seruandum. Antecedens ostenditur, nam ista promissio & vt simplex, & in ratione sponsalium, est nulla; ergo nō obligat. Antecedens probatur, nam promissio de re iniqua est nulla, vt omnes tradunt, cum nec promissio, nec sponsalia possint esse vinculū iniquitatis; sed promissio de aliqua ducenda, stante voto castitatis, vel religionis est de re iniqua; cum iniquum sit, rē Deo, vel religioni promissā alteri promittere; ergo.

13 Cōfirmatur, quia ideo qui se ipsum sponsæ promisit, potest se religioni promitte-

re, & tradere ingrediendo in illam, quia in spōsalium promissione tacita continetur cōditio de religionis ingressu, cū sit de meliori bono; atqui in voti promissione non continetur conditio de tradendo se ipsum sponsæ, vt patet; ergo hæc secunda promissio non potest primam cassare, ac proinde illa, non ista obligabit.

14 Sed obijcit primò Sanchez, quia votum non obligat rebus notabiliter mutatis; sed in hoc casu notabilissima fit mutatio, cum fortissimum iustitiæ vinculum superueniat, & grauissimum proximi damnum; ergo? Respondetur transeat maior, de veritate namque, vel falsitate illius suo loco dicetur, & negatur minor, vt enim diximus, fides illa data nulla est, & proinde falsum est voto superuenire fortissimum iustitiæ vinculum.

15 Obijcit secundò, quia iustitiæ vinculum fortius est, quam charitatis, sed ob charitatis vinculum superueniēs tenetur filius v. g. religionis votum suspendere, vt paren-

tum subueniat indigentia; ergo à fortiori propter vinculum iustitiæ quale est hoc? Respondetur negando suppositum; nam hic nullum iustitiæ vinculum aduenit, cum promissio ex qua prouenire deberet, nulla sit. Nec est eadem ratio de parentum indigentia, nam charitatis vinculum erga parentes ob quod tenetur filius parentum subuenire indigentia, non subsequitur votum, sed est ante illud, licet enim indigentia sit post votum, non tamen vinculum charitatis, vel pietatis erga parentes, ob quod tenetur filius illis subuenire quoties potest illorum tollere indigentiam.

16 Obijcit tertio, quia, qui debita contraxit, post votum religionis, tenetur saltem ad breue tempus illud votum suspendere, vt debito satisfaciat; ergo etiam in præsentis Respondetur cōcedendo Antecedens, & negando Consequentiam. Primò quia cū voto stare potest; quod quis debita faciat, & quod obligatio debiti soluendi teneat, quia sūt de rebus disparatis,

&

& vna non soluit aliam. At in nostro casu, non est sic; cum vna obligatio aliam destruat, nec sint de rebus desperatis, sed de eadem re tradita, vel tradenda. Secundò, quia debiti solutio solum pro breui tempore, voti obligationem, suspendere potest, non pro semper, vt enim alibi, Deo dante dicemus, nullus, etiam sine religionis voto, tenetur semper manere in sæculo, vt debita soluat; at in nostro ca-

su cum matrimonium ex sui natura sit perpetuum, si semel quis teneretur defloratâ ducere, teneretur pro semper, per se loquendo religionis votum suspendere. Aduerto tamen quod licet illa vota valida sint, & seruari debeant, tamen poterit deflorator ille dispensationem à voto, vel votis petere, & defloratâ ducere, imò contingere potest quod ad hoc teneatur, ad saluandam defloratæ famâ, &c.

## Q V A E S T I O II.

*Virum sponsalia dissoluantur per votum simplex castitatis subsequens, per sacri Ordinis susceptionem, & per matrimonium cum alia postea factum; & per sponsalia alia.*

17 **C**irca' primum plerique conueniunt sponsalia dissolui per votum ingrediendi religionem, licet enim vt præcedenti quæstione docuimus per nudum religionis ingressum sponsalia non dissoluantur, tamen ple-

rique volunt' per votum religionis sponsalia resolui, nam sicut votum solemne religionis matrimonium ratum resoluit, ita votum simplex religionis sponsalia resoluet. Conueniunt etiam Theologi votū castitatis sponsalia præ-



cedens illa dirimere, cū tunc illa sponsaliorum promissio sit de re prius alteri promissa, ac proinde iniqua, secus dicendum esset de proposito coelibatus, nam propositum vt disput. 4. q. 1. fusè docuimus nullam inducit obligationem. Conueniunt denique Theologi, quod statim ac sponsus votum emisit castitatis, sponsa ab sponsalium fide sit libera, & possit alia cum alio inire. Ratio est, quia dū sponsus castitatem Deo nuncupauit eo ipso sponsalibus renunciare censetur præsertim cum res sit notabiliter mutata; tum quia sponsus voto adstrictus castitatis, si matrimonium ineat, non potest debitum petere, sed sola vxor, cui graue nimis est cogi semper ad petendum. Vnde præsens difficultas ad hoc reuocatur, an sicut votum castitatis sponsalia dissoluit ex parte non vouentis, ita similiter ea dissoluat ex parte vouentis. Prima sententia est quod sponsalia ex parte vouentis non dirimantur; vnde qui post sponsalia votum emittit castitatis, & cum alia contrahit

non solum est reus voti, verum etiam sponsaliorum. Hanc sententiam sequitur Sanchez disput. 46. post Brunellum, Cucum, & alios aliquos.

18 Nostra sententia sequenti explicatur cōclusionē. *Dicta sponsalia dirimuntur etiam ex parte vouentis, vnde qui sic post sponsalia vouit, & aliam duxit, est solum voti non sponsaliorum reus.* Hanc sententiam sequitur D. Thomas 4. dist. 38. q. 1. art. 3. quæstion. 2. ad primum, vbi dicit: *propter votum simplex sunt sponsalia dirimenda.* D. Thomam sequuntur eius discipuli Caietanus sum. v. *periurium promissorium*. Paludanus eadem dist. q. 3. art. 3. conclus. 4. Sotus dist. 27. art. 3. q. 4. I. edesma de *matrim.* cap. 14. num. 4. & alij. Probatur primò, quia sponsalia claudicare nō possunt; sunt enim mutua futuri matrimonij promissio; ergo cum per Sánchez dicta sponsalia cessent ex parte non vouentis, etiam ex parte vouentis cessare debent, alioqui sponsalia claudicare possent, & possent dari sponsalia,

lia, quæ non essent mutua promissio, si manerent in vno, & non manerent in alio. Cõfirmatur, quia vt dicitur *cap. peruenit*, de iureiurando, *promissum non infringit, qui in melius commutat illud*; Sed in nostro casu, qui post sponsalia vouit, in melius illa commutat: ergo promissum non infringit: quod autẽ in aliud licitẽ commutatur, in se non manet, nec in se obligat cum in commutatum transeat.

19 Probat̃ur secũdò, quia vt quæst. præcedenti, & alibi diximus, sponsalia tacita semper inest cõditio, nisi statũ in melius mutauero; ergo solum obligant, nisi status in melius mutetur; quod si mutetur obligare desinunt, cum purgata sit conditio sub qua obligare ceperunt.

20 Probat̃ur tertio, quia quorles duo concurrunt vincula valida, & incompatibilia, illud seruari debet quod fortius præualet. *Cap. si inter*, de sponsal. sed sponsalia illa, prius facta, sunt vinculum validum, vt patet, & votum subsequens validum est, vt omnes tradunt & ex alia par-

te fortius, validiusque est; ergo hoc seruandum erit; vnde sic vouens non poterit licitẽ matrimonium inire. Respondet Sanchez quod votum illud castitatis, solum validum est, quatenus est in vouentis præiudicium, secus quatenus est in præiudicium sponsæ, quia tenetur illi vouẽs fidem datam seruare. Sed contra, quia illud castitatis votum non est in sponsæ præiudiciũ, cum fides data fuerit sub hac tacita conditione, nisi statum in melius mutauero; ergo, &c. Nam sponsa ius non acquisiuit in sponsum posita cõditione sub qua sponsalia nõ obligant. Sed dices cum Sanchez, quia hæc tacita conditio nullo iure cauetur. Nam contra etiam est, quia necesse non est, quod omnes conditiones iure caueantur, sed sufficit, quod à contrahentibus apponantur, vel apponi censeantur, vt in præfenti cõtingit, cum vnusquisque semper censeatur habere intentionem, dum inferiorem eligit statum, de electione superioris, & hæc sententia determinata videtur *cap. veniens*, qui

qui clerici, vel vouentes, vbi foemina vt à sponfalibus eximeretur castitatem vouit, de qua re rogatus Pontifex, an voto non obstante, nubere posset? Respondit ob fornicationis periculum iniungendam esse poenitentiam de voto violato, & dandam esse nubendi licentiam; dispensando votum &c.

21 Sed quæres, an qui sponfalia fecit, peccet mortaliter castitatem vouendo, vt se à matrimonio eximat ineundo? Respondetur negatiuè, ratio clara est, quia in sponfalibus tacita illa continetur conditio nisi meliorem statum eligero. Tum quia, vt modo dicebamus, ex cap. *peruenit, promissum non infringit qui illud in melius commutat.*

22 Circa secundum, an sponfalia dissoluantur per facri Ordinis susceptionem? Respondent omnes affirmatiuè, cum per Ordinem facrum homo ad matrimonium inhabiletur, ac proinde spofalia dissoluentur; continet enim Ordo sacer solemne votum castitatis. Non sic Ordines

minores, cum nihil impossibile cum sponfalibus contineant. Difficultas est, an idem dicendum sit de voto sacros suscipiendi Ordines. Nam Sanchez disput. 47 dicit solum dissoluere ex parte alterius, scilicet sponsæ, cui liberum est ali inire sponfalia, & matrimonium aliud, non tamen ex parte vouentis. Sed opposita sententia quam tenet Basilius Pontius cap. 12 Sotus de iust. q. 1. ar. 3. & alij, est prorsus tenenda, cum non possint sponfalia claudicare, & cum tacitam contineant conditionem, nisi aliiorem statum eligero, vt diximus difficultate præcedenti.

23 Circa tertium, an sponfalia dissoluantur per matrimonium postea cum alia factum? Respondetur affirmatiuè, & definitur cap. 1. *de sponsa duorum, & cap. si inter, 31. de sponfal. hoc ramen intelligi debet, quando matrimonium cum alia initum validum est, nam si validum non sit, priora sponfalia non resoluit, quia vt dicitur regula 52. de regulis in 6. non prestat impedimentum, quod de*

*de iure non sortitur effectum.* Innocens tamè propter iniuriam illatam sufficientem habet recedendi causam. Difficultas est, an matrimonium validum subsequens, poenitus sponsalia extinguat, taliter quod soluto matrimonio non teneatur sponsus, primam ducere sponsam, an vero penitus illa non extinguat, sed suspendantur, vt si vxor moriatur, teneatur primam ducere sponsam, si ipsa velit. Sanchez disput. 48. vult quod sponsalia penitus extinguantur cum matrimoniũ sit vinculum fortius, ac proinde sponsalia resoluet. Sed verior est Adriani in 4. q. 2. de *matrim.* & aliorum sententia quod sponsalia illa non extinguantur, sed suspendantur, sed consopiantur, taliter quod si vxor moriatur teneatur sponsus, primam ducere sponsam, si ipsa velit. Ratio clara est, quia matrimonij vinculum cum secunda duo habet, & est defectibile per mortem illius, & nullam habet impossibilitatem cum sponsalibus prioribus; quamuis enim non possint priora

sponsalia adimpleri stãte matrimonio cum secunda, id tamen fieri potest eo dissoluto. Per quæ patet ad Sanchezij fundamentum; licet enim matrimonium sit vinculum fortius sponsalibus, taliter quod hæc adimpleri non possint, matrimonio stante, tamen illorum non soluit vinculum, nec impedit quod eo vinculo dissoluto, sponsalium vinculum non impleatur.

24 Circa quartum, an scilicet priora sponsalia dissoluantur per posteriora? Conueniunt omnes priora sponsalia per posteriora non solui, nisi aliud accedat. Ratio est, quia fides posterius data irrita est, quoties est in præiudicium fidei prioris. Benè verum est, quod innocens sufficientem habet causam recedendi à sponsalibus propter iniuriam sibi à nocente illatam, contrahendo sponsalia cum secunda, primis contempnis. De duobus difficultas aliqualis est. Primum, an priora sponsalia, per posteriora resoluantur copula cum secunda sponsa habita. Secundum, an priora dissoluantur

tur per posteriora iuramento firmata. De primo dico, quod ubi Tridentinum non est receptum priora sponsalia dissoluntur per posteriora, copula subsequuta affectu maritali, non fornicatio. Ratio est, quia ubi Tridentinū non est receptum posteriora sponsalia in matrimonium transeunt per copulam affectu maritali habitam. cap. *is qui fidem*, de sponsal. At vero ubi Tridentinum receptum est, cum per talem copulam sponsalia in matrimonium non transeant tenetur spondens priora seruare sponsalia, licet innocens possit si velit ab sponsalibus recedere ob iniuriam sibi ab sponso illatā, dum primis contemptis sponsalibus, ad secunda transferit. Benè verū est, quod ex quadam æquitate tenetur prior

sponsa permittere, quod sponsus secunda seruet sponsalia, quando sibi leue damnum sequeretur, & graue alteri sponsæ defloratæ, cum vnusquisque teneatur subire leue damnum, vt impediatur sui proximi graue. De secundo dico, quod licet aliqui Canonistæ, vt Inno. cap. *ueniens*, & Imola ibidem, & alij velint, priora sponsalia dirimi per posteriora iurata. Cōtrarium tamen est verius, & probabilius, quod tenet Sotus dist. 27. quæst. 2. art. 4. dub. 3. Viguerius cap. 16. §. 7. vers. 7. & alij plures quos refert, & sequitur Sanchez disput. 50. & ratio est, quia quoties iuramentum est de re iniqua, & in tertij præiudicium non obligat iuxta regulam 58. *de regulis iuris in 6.*



Q V A E S T I O III.

*An sponsalia impuberum dissoluantur per alterius dissensum pubertatem adepti, & an mutuo contrahentium consensu dirimi possint inter impubes.*

25 **E**st certū apud Theologos, quod sponsalia impuberum, idest puerorum non attingentium decimum quartum annum, & puellarum non attingentium duodecimum, non possint etiā mutuo eorum consensu dissolui, quamdiu impubes sūt, nō quia naturali iure ad hoc impediuntur, quia re vera stando in iure naturali illa dissolvere possent uti pubes, sed quia positivo iure impediuntur. cap. de illis, 7. de sponsat. Impuber. Huius dispositionis ratio, fuit impuberum leuitati occurrere, qui ob illam sepe sponsalia & contraherent, & dissoluerent. Benè verum est, quod statim ac eorum quilibet ad pubertatem deuenit, potest à sponsalibus resilire, dicto cap. de

illis, quia si fortè minus prudenter, dum impubes esset, sponsalia contraxit, dum ad maturiorem deuenit aetatem poterit illam obligationem excutere, & aliam maturiori consilio, & iudicio, si velit, subire. Est etiam certum inter Theologos, quod prius pubes factus, non tenetur alterius pubertatem expectare, sed potest, si velit, statim resilire, & alia sponsalia contrahere, deducitur ex dicto cap. de illis, quod si, qui prius ad pubertatem peruenerit non statim (certior factus) resiliat, vel reclamet, censetur illa ratificare, & approbare, eodem cap. id autem statim fieri dicitur, quod intra tri-duum perficitur L. fin. C. de errore Aduocat. & L. fin. C. de iudicijs. Est denique certum,

quod pubes cum impubere contrahens resilire non possit, licet id possit impubes cū ad pubertatē deuenit cap. eodem. Ratio est, quia reclamandi priuilegium in impubertatis fauorem est concessum, quod est alijs contractibus commune *L. nō eo minus. C. de procuratoribus.* Hęc omnis doctrina currit non solum de veris sponsalibus, verum etiam de præsumptis, quod scilicet non solum non liceat à veris resilire sponsalibus ante pubertatem, sed neq; à præsumptis, vt si impuberes per verba contraherēt de præsenti cap. *à nobis*, de desponsat. impub. His positis.

26 Prima difficultas est, an si impubes ante pubertatem à sponsalibus resiliat & illum dissensum non mutet, nec illius recordetur quando ad pubertatem deuenit, sponsalia dissoluta maneat? Aliqui volunt illa sponsalia non dissolui, sed intacta manere. Rationem assignant, quia ille dissensus ante pubertatē habitus non potuit sponsalia soluere, cum iura resistent, vt diximus; ergo cum puberta-

tis tempore non reclamauerit, sponsalia consistere censentur: alioqui possent sponsalia ante pubertatem resolui contra caput *de illis*, citatum. Alij volunt absolutè resolui. Sanchez disput. 51. num. 16. Sed distinctione opus est, vel enim ille dissensus perseuerare censetur, vel non: si primum sponsalia illa nulla sūt, non ratione illius dissensus prout habitus fuit ante pubertatem, sed prout perseuerare censetur saltem virtualiter post illam; dico saltem virtualiter, quia non puto sufficere ad rescindenda sponsalia dissensus habitualis, quia res per quas causas nascitur per easdem dissoluitur, vnde cum nullus contractus præsertim onerosus per consensus nascatur habituales, nec distractus per eisdem habituales consensus, vel dissensus poni poterit. Quod si dissensus ille non perseueret saltem virtualiter sponsalia illa rata manebunt, nisi pubertate posita reclametur.

27 Secunda difficultas, an si impubes toto impubertatis tempore in sponsalibus per-

perfitat, & factus pubes solum interius dissentiat, sponsalia valida sint? Respondetur quod sponsalia illa in foro conscientiae nulla sunt, in foro fori valida censentur, cum forum exterius ad inualida reputanda sponsalia, impubertatis tempore valide facta, externam requirat reclamationem.

28 Tertia difficultas, an impuberum sponsalia, iuramento firmata, ita sint valida, ut neutri pubertatem adepti resilire liceat? Negat Butrius cap. de illis. 2. de sponsal. impuberum Cardin. ibidem, & alij. Verior tamen sententia tenet non posse illa sponsalia iuramento firmata resolui Glos. cap. de illis, & ibi Ioan. Andreas, Anchar. Alexander de Neuo, & alij communiter. Probatum primò ex cap. ex litteris, de sponsal. ubi expressè statuitur; quod impubes sponsalia iurantes cogi debeant ad matrimonium perficiendum. Secundò, quia licet non sit certum apud Iurisconsultos an contractus civiles impuberum iuramento firmentur; hoc tamen ideo

est, quia secluso iuramento inualidi sunt eodem iure civili; atqui sponsalia non sunt sic, quia ut canones docent, valida sunt; ergo iuramento firmentur.

29 Sed dices primò, quia impubes iurare prohibentur. cap. pueri, & c. paruuli 22. q. 5. ergo non possunt sponsalia iuramento firmare? Respondetur quod in illis canonibus solum statui videtur, quod impubes ad iurandum cogi non possint; vel si iurare etià prohibeantur, non illorum tamen iuramenta irritantur, ac proinde seruari debent.

30 Dices secundò, quia iuramentum contractui appositum naturam sequitur contractus; sed impuberum sponsalia tacitam habent conditionem, nisi pubes effectus resiliat: ergo hanc eandem conditionem iuramentum habere debet? Respondetur quod impuberum sponsalia tacitam illam habent conditionem cap. de illis. dummodo iuramento non firmentur. cap. ex litteris: & sic quando impuberum sponsalia iuramento firmentur, illam tacitam non habent



conditionem, cum tunc dispositio capitis de illis, cessare censeatur.

31 Circa secundū, quod in q. titulo positum est, an scilicet puberum sponsalia mutuo illorum consensu dissolui possint, quæritur, an possint iidem puberes mutuo consensu sponsalia inita, vel tempore impubertatis, vel pubertatis, resolvere. Puberes dicuntur pueri qui iam annum 14. attingunt, & puellæ 12. Respondetur affirmatiuè, nō solum validè, verum etiam licitè. Quod validè deducitur ex cap. 2. de sponsal. ubi dicitur: *eos qui de matrimonio contrahendo fidem dederunt, admonendos esse, ut præstitam fidem seruent: si autem se ad inuicem admittere noluerint, ne forte inde deterius cōtingat, esse in patientia tolerandum.* Similiter idem deducitur ex cap. 1. de Regulis iuris in 6. ubi dicitur: *Res omnis, per quasque causas nascitur, per easdem dissoluitur:* quando scilicet resolubilis est; atqui sponsalia sunt huiusmodi; ergo.

Quod autem sponsalia puberū mutuo illorum consensu

su dissolui possint licitè, constat, quia nullibi oppositum statuitur, & aliunde in tali rescissione nulla reperitur iniquitas. Benè verum est, quod hoc sine aliqua rationabili causa fieri non debet, ne nota incurtatur inconstantia, & ne occasio de tur obloquiorum.

32 Maior difficultas est, an eadem sponsaliorum rescissio mutuo puberum consensu fieri possit, quando sponsalia iurata sunt? In primis concedunt communiter omnes, quod quando iuramentum est factum in fauorem partis, tunc sponsalia tali iuramento firmata, mutuo consensu rescindi possint, nam cū tunc iuramentum sit factum in fauorem iuratarij potest ab eodem iuratario relaxari, & si sit mutuum, mutuo relaxari poterit consensu. Difficultas est, an quando iuramentum est factum pietatis intuitu, vt si fiat pauperi, de ea in matrimonium ducenda, tunc enim iuramentum censetur factum principaliter in Dei honorem, & ob gratiam ipsius, licet secundariò etiam in gratiam puella pauperis.

an tunc sponsalia confirmata iuramento mutuo consensu dissolui possint?

Prima sententia est, quod quando iuramentum principaliter in Dei honorem est præstitum, vt cum quis iurat foeminæ pauperi se illam ducturum, non posse mutuo consensu condonari. Hanc sequitur Rosella v. *sponsal.* Angelus, & Syluester ibidem, Sotus de iustit. lib. 8. q. 1. ar. 9. & plures Canonistæ cap. de illis, & cap. 2. de spon. Secunda sententia est, quod tale iuramentum possit mutuo contrahentium consensu resolui, quia Deus recipit illud in utilitatem partis, ac proinde parte condonante, & Deus ipse condonare censetur. Hæc sequitur Nauar. Henriquez, Viualdus, Lopez, & alij, quos refert, & sequitur Sanchez disput. 52. nu. 8.

33 Sed vt meam habeas sententiam, dico primò. Si in iuramento ratione piæ causæ factò tota res promissa in partem cedat utilitatem, vt in nostro contingit casu, tunc partis consensu remitti potest. Ita colligo ex D. Thoma 2.2. q.

86. art. 9. ad 2. Hanc conclusionem probat secunda sententiæ fundamentum, nam tunc Deus recipit illud iuramentum intuitu partis; ac proinde pars cui res sub iuramento est promissa, potest si velit illud remittere. Est enim eadem ratio de iuramento intuitu Dei factò, ac de voto per quod res aliqua alicui promittitur, ille enim cui promittitur potest votum relaxare: vouisti dare vestem pauperi, potest pauper ille, votum relaxare; vouisti dare calicem, vel lampadem argenteam alicui Ecclesiæ, potest Ecclesia illa votum relaxare. ita similiter iurasti dare vestem pauperi, potest pauper iuramentum relaxare: iurasti dare calicem argenteum tali Ecclesiæ, potest Ecclesia illa iuramentum relaxare. Ita iurasti foeminæ pauperi te illam ducturum in uxorem, potest illa si velit relaxare, quia licet iuramentum sit factum in fauorem piæ causæ, & subinde intuitu Dei; & censetur voti rationem habere, tamen quia tota huius iuramenti materia in fauorem illius

Ius foeminae cedit, & non aliter à Deo acceptetur, potest illa cedente relaxari. Confirmatur hoc à simili, quia pater potest quaedam filiorum vota irritare, scilicet omnia impuberum, & puberum realia dumtaxat, non personalia; potest maritus quaedam uxoris vota irritare; potest Prælatus in aliquibus religionum votis dispensare, &c. & hoc non aliter, quam auferendo voti materiam, qua sublata cessat voti obligatio; sed etiam pars condonare potest promissionem, quæ est voti, vel iuramenti materia, cum sit in sui fauorem facta; ergo etiam votum, vel iuramentum. Sicuti ergo Pater dum suorum irritat vota filiorum, non aliter illa irritat, quam eorum materiam auferendo, & Prælatus dum commutat suorum vota subditorum, non aliter hoc facit, quam illorum materiam mutando. Ita similiter foemina pauper, cui iuramentum de eaducenda factum est, non aliter remittit illud, quam re-

mittendo rem promissam, vel promissionem, qua remissa, vel destructa, remanet remissum, vel destructum iuramentum ad suæ materiae destructionem. Non nego quod votum non possit, alio etiam modo irritari, sed quia ad præsens non deseruit non adduco, adducam infra.

34 Dico secundò, *si res promissa sub iuramento in alterius non cedat utilitatem, non potest alter iuramentum relaxare.* Vouisti, vel iurasti ingredi religionem, non potest aliquis particularis illa relaxare. Vouisti, vel iurasti audire sacrum tali die, non potest particularis relaxare, etiamsi ad illum, votum, vel iuramentum direxisses, ut si dixisses, *iuro tibi me auditurum sacrum tali die*, non potest iste relaxare, quia materia iuramenti ad illum non dirigitur: si vero dicas, *iuro me auditurum sacrum pro te*, relaxari posset ab illo, quia ad illum tota iuramenti materia ordinatur.

## Q V A E S T I O I V.

*An sponsalia dissoluantur elapso tempore præfixo; & per alterius sponsi absentiam: vel etiam ob alterius fornicationem.*

35 **C**irca primum ius Canonicum, & civile ad inuicem aduersari videntur; nam cap. *scut.* de spō. salibus, sic statuit ius Canonicum: *Nisi forte in iuramento suo certum terminum præfixit, intra quem duceret illam uxorem, nec per eum stetit, quin ad statutum terminum matrimonium consummarit.* Vbi vt vides statuit Ecclesia sponsum liberum esse ab sponsalium obligatione, quando sine eius culpa sponsalia præfixo termino non sunt impleta. Econtra vero ius Civile sic statuit *L. Celsus ait. ff. de receptis arbitrijs: sed ipse rectè putas duo esse arbitri præcepta: vnum pecuniam dari; aliud intra Calendas dari.* Ex quo patet, quod in obligatione soluendi certò termino duplex claudatur obligatio, vna soluendi, altera sol-

uèdi certo termino, ac proinde non impleta hac posteriori obligatione in sponsalibus, adhuc prior est implenda, & quandiu non impletur semper ius clamat. Certè ridiculum esset dicere, quod qui tenetur certo termino, domus conductæ interesse soluere, si tunc non soluat à solutionis eximatur obligatione. Rem totam duabus conclusionibus explicabimus.

36 Prima conclusio. *Quoties terminus obligationi adijcitur ad eam finiendam, seu restringendam, tunc elapso termino innocens, seu ille per quem non stetit, potest si velit à sponsalibus recedere. L. si fideiussor. S. fin. ff. mandati, vbi dicitur, quod fideiussor non tenetur ultra tempus fideiussionis.* Ratio est, quia omnes contractus ex contrahentium consensu vim accipiunt obli-

gan.

gandi iuxta Regulam *contractus*, de regul. iuris in 6. ergo si cōtrahentium voluntas dū terminum præfixerunt fuit ad finiendam obligationem eo tempore lapsa. reuera finietur. Et hoc vult Ecclesia citato canone.

37 Secunda conclusio. Si terminus obligationi assignetur ad sollicitandum obligationis effectum, seu ad constituendum tempus; ut deinceps debitor in mora constituitur, non soluendo, tunc terminus lapsus obligationem non extingit. Et hoc vult lex ciuiliſ L. citata *Celsus*. Et ratio est, quia tunc in tali promissione duæ promissiones inuoluuntur, vna faciendi, & altera certo termino; & si deficiatur in termino, siue in promissione termini, adhuc adimpleri debet promissio de re.

38 Sed quæres primò, quomodo dignosci possit quod terminus sit appositus, ad sollicitandam, vel ad finiendam obligationem? Respondetur quod duæ regulæ communiter tradi solent. Prima est quando terminus ab vno solo contrahentium apponitur,

ut alter intra illum; contractum impleat, tunc terminus censetur appositus ad sollicitandum: ut si Petrus promittat Caio se illi venditurum equum intra mensem. Secunda, quando terminus ab vtroque contrahentium apponitur, de re ab vtroque implenda, tunc censetur adiectus ad obligationem finiendam, si adijciatur antequam contractus impleatur, secus si adijciatur postquam contractus completus est, quia tunc clarum est terminum non adijci ad obligationem finiendam, cum absolutam habuerit obligationem, ante termini appositionem, & ipsa termini appositio extrinseca censetur. Angelus ubi *obligatio*, ubi Syluester, Tabiena, & Armilla. & Canonistæ cap. *sicut*, de sponsal.

39 Quæres secundò, an datae regulæ pro sponsalibus ualeant? Aliqui negant, de quo uide Naua. cap. 22. n. 27. Sed alij rectius affirmant: uideantur Canonistæ cap. *sicut*, citatum. Vnde si sponsalibus iam cōtractis agatur de tempore in eundem matrimonij, ad huc

huc eo elapso, sponsalia obligant, quia talis terminus sponsalibus aduenit iam perfectis. Si quando sponsalia contrahuntur, terminus apponatur, ut si quis det tibi fidem non de matrimonio absolute contrahendo, sed tali tempore, tunc eo elapso potest ille per quem non stetit, si velit ab sponsalibus recedere, si tamen velit matrimonium inire potest nocentem ad illud impellere.

40 Circa secundum, an scilicet sponsalia resoluantur per alterius sponsi absentiam in longinquum profecti, sine alterius licentia, est etiam dissidium inter ius Canonicum, & Ciuile; nam ius Canonicum nullum præfigit tempus expectandi sponsum absentem, sed statuere videtur liberum esse sponsæ, aliud si velit, matrimonium inire; audi Pontificem sic cap. de illis, de sponsalibus loquentem: *si quis præstito iuramento, promittit se aliquam ducturum, & postea dimittit terram, se ad partes alias transferens liberum erit mulieri ad alia se vota transferre.* Ius ciuile sic disponit

L. 2. C. de sponsal. Sponsum absentem intra eandem prouinciã biennio expectandum, & L. 2. C. de repudijs statuit; quod si sponsus sit extra prouinciã, sit triennio expectandus, & L. sape, de sponsal. statuitur sic: *si ex causa abesse necessaria, expectandum esse donec causa cesset.* Et licet de sola sponsi absentia citata loquantur statuta, idem tamen dici debet de sponsæ absentia, cum sit eadẽ ratio, quippe cum correlatiua sint, L. fin. c. de indicta viduitate. Ob hæc disputatur, an ius ciuile sit per canonicum abrogatum, an vero adhuc in suo maneat robore.

Prima sententia valde probabilis est, quod ius Ciuile sit per Canonicum correctum. Hanc sententiam post Brunellum, & aliquos alios tenet Sanchezius disput. 54. num. 6.

41 Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Ius ciuile non est correctum per canonicum, & sic tempus in eo prescriptum seruandum est.* Vnde si sponsus sit absens intra eandem prouinciã per biennium expectandus est:

CCC si

si extra prouinciam per triennium & si absit ex causa necessaria, expectandus est, quoad diu causa cessat. Hanc sententiam defendit Hostiensis dicto cap. *de illis*, Ioannes Andreas, & Anchar. ibidē. Syluester v. *sponsal.* q. 10. Rosella eodem verbo num. 8. Menochius de arbitrarijs lib. 2. ceter. 5. cas. 454. Palud. dist. 27. q. 1. art. 3. cas. 3. nu. 19. D. Antoninus 3. p. tit. 1. cap. 18. §. 1. Viguierius cap. 16. §. 7. vers. 7. Petrus Ledesma q. 43. art. 3. & alij plures. Colligitur etiā ex cit. cap. *de illis*, nam vt legenti constabit nullum est verbū per quod ius ciuile corrigatur, vnum namque dicit, & aliud non negat, dicit enim quod liberum sit mulieri se se ad alia vota transferre si sponsus terram dimittat; non tamen negat quod nō debeat tempus à iure ciuili præscriptum obseruare, imò satis innuere censetur obseruari debere: cum enim hoc ius ciuile non lateret Pontificem, & non cassauerit illud, videtur ad illud se remittere. Tū quia legum correctio quantū fieri potest est vitanda *L. pra-*

*cipimus*, C. de appellat. dummodo nouæ legis inductio nō sit inutilis, illa non correctā; Atqui legis canonicæ inductio vtilissima est, ciuilibus illis non cassatis; ergo & istę, & illa debent sustineri. Minor probatur, quia omnes iste leges simul stare possunt, vt cōsideranti patebit, & ex dictis liquet.

42 Sed quid dicendum in casu quo sponsus sponsalijs contractis, vagari inciperet, vel vellet domicilium mutare, an tunc sponsalia dissoluerentur? Respondetur non dissolui ex hoc præcisè, sed acquire sponsam ius, vt ab illis recedat quando non præcognouit sponsi vagationem, vel quando domicilij mutatio, esset valdè minus grata sibi; non enim sponsa habet obligationem illam, sequendi sponsum, quā habet vxor.

43 Circa tertium, an sponsalia per fornicationem resoluantur? In cap. *quemadmodum* 25. de iureiur. dicitur, quod sponsalia ob sponsæ fornicationem ad ipsa subsequētem ex parte spōi dissolui possint; per illam namque fornicationem

nem sponsa fit notabiliter vilior, ob quod sponsalium executio fit notabiliter difficilior; similiter, per talem fornicationem sponsa notabiliter sponsi fidem, & ius infringit; & hoc valet etiam si sponsalia sint iuramento firmata, vt in eodem capite dicitur: & ratio est, quia & sponsalia, & iuramentum adiectum tacitam habent conditionem, si alter contra sponsalium legem non peccauerit. Si enim matrimonio etiam consummato potest vir à sua cohabitatione uxorem dimittere, poterit ob sponsæ fornicationem, totale facere sponsæ dimissionem. Idem dicendum de sponsa ob fornicationem sponsi, quod scilicet si velit possit sponsa ab sponsalibus recedere. Et idem dicitur de vtriusque fornicatione spirituali, vt si alter sponsus in hæresim, vel Apostasiam labatur, tunc namque notabilis fit mutatio in persona contrahente, per quam innocenti ius recedendi ab sponsalibus conceditur: vt autem hæc res explicata magis habeatur aliquas proponamus difficultates.

Prima est, an si vterque sponsus fornicetur, mutua fiat delictorum compensatio? Affirmat Ochagauia quæst. 23. Bonacina q. 1. puncto 8. nu. 6. & alij. Sed oppositum verius videtur, quod docet Henriquez lib. 11. cap. 14. & alij, quia licet quoad fidei, & iuris fractionem, sit æqualis compensatio, non tamen quoad vilitatem, nam sponsa fit notabiliter vilior, non vero sponsus, nec adeo existimatur sponsus si fornicatio, quam sponsæ; vnde etiam si vterque fornicetur non fiet mutua compensatio, sed sponsus poterit si velit ab sponsalibus recedere, non sponsa.

44 Secunda difficultas, an sponsus possit à sponsalibus resilire, si sponsa permittat se impudicè ab alio tangi, osculari, amplecti, extra patriæ morem? Respondetur affirmatiuè, est sententia communis; non tamen vice versa, vnde si sponsus permittat se ab alia fœmina tangi, osculari, amplecti, non potest ob hoc sponsa ab sponsalibus resilire, ratio discriminis est, quia dicti actus in sponsa sũt



magni dedecoris, & mutationem in ea faciunt magni momenti; at vero in sponso sunt leuis dedecoris, & leuem faciunt in illo mutationem; si tamen in sponso illa oscula, & tactus essent valde frequentes, vt prudēter iudicari posset sponsum esse valde propensum ad aliam, vt minus esset propriam spōsam amaturus, aut fidem esset violaturus, liberum esset spōsæ ab sponsalibus illis resilire.

45 Tertia difficultas, an ob fornicationem sponsalia præcedentem, possint sponsalia resolui? Certum est, vt omnes tradunt, sponsam non posse ab sponsalibus resilire ob sponsi fornicationem spōsalia præcedentem, etiam si illam ignorauerit sponsa quando contraxit. Ratio est, quia sponsus ob fornicationem illam non fit notabiliter vilior. Difficultas est de sponsa, quando sponsus illam fornicationem ante sponsalia non nouit, sed post illa, an tunc sponsus possit ab sponsalibus resilire? Negat Paludanus dist. 27. quæst. 1. art. 3. & alij, qui fundantur in citato cap. *Quæ-*

*admodum*, vbi dicitur, *sponsa non posse obijcere sponsæ fornicationem præcedentem*. Sed affirmatiua sententia est verior, quam defendit post alios Sanchez disput. 36. Ratio est, quia ob illam fornicationem est illa femina notabiliter vilior, quam existimaretur. Eadem ratio currit de vidua quæ honesta reputabatur ab sponso quando sponsalia contraxit, si enim postea fornicata reperiatur, poterit sponsus ab sponsalibus recedere. Nec citatum caput contrarijs prodest, quia vt ibi aduertunt expositores, loquitur Pontifex, quando copula noscebatur.

46 Aduerte hic vnum pro praxi, licere sponsæ, quæ ante sponsalia fornicata est, non solum aliqua arte tegere se esse corruptam, ne cognoscatur ab sponso ignaro, verum etiam potest eundem sponsum ignarum cogere ad matrimoniū ineundum. Imò si sponsa occultè corrupta, interrogaretur, an virgo esset, non peccaret mortaliter si id affirmaret, neque venialiter, si mentali vteretur restrictio-

ne,

ne, scilicet intelligendo, quatum ad famam communem.

47 Quarta difficultas, an sponsa ab alio vi deflorata, possit ab sponso dimitti? Negant Tabiena, & Armilla. v. sponsalia, & aliqui Canoniste cap. desponsata 27. quæst. 2. vbi sic dicitur: *Desponsatas puellas, & post ab alijs raptas, placuit erui, & reddi eis quibus antea fuerant desponsata, etiamsi eis à raptoribus vis illata confiterit, & ratio etiã clara videtur, quia nullus, suo priuandus est iure absque culpa; sed sponsa illa est sine culpa; ergo priuari non potest sponsalium iure: quod à simili confirmari potest, nam maritus ab cohabitatione nõ potest dimittere vxorem vi oppressam; ergo neque sponsus sponsam. Sed sententia affirmatiua est verior, quam docet Nauar. summ. cap. 22. num. 17. Angelus, & Sylue-*

*ster v. sponsal. & alij communiter; & colligitur ex cap. Raptor, 27. q. 2. vbi dicitur: Raptor penitentia publica mulsetur: raptam vero, si sponsus accipere noluerit, & ipsa eidem crimini consentiens non fuerit, licentia nubendi alij non negetur. Ratio patet ex dictis, quia licet sponsa illa non sit crimini consentiens, magna tamen in ipsa mutatio facta est, ratione cuius nuptiæ minus valde appetibiles redduntur. Tum quia vulgo satis infame reputatur corruptã ducere. Nec textus pro opposita parte adductus probat, quia vt ibi glossant expositores, procedit de puellis desponsatis per verba de presenti. Nec id quod additur in confirmationem valet, quia difficilius valde est vxorem cohabitatione priuare, quam sponsalia resolvere.*



## Q V A E S T I O V:

*Assignatur aliæ causæ ob quas licitum est sponsalia resolvere.*

48 **P**rima causa, præter assignatas, ob quam licitum est sponsalia resolvere, est impedimentum dirimens, ob impedimenta namque dirimentia, ut ob affinitatem, vel cognationem, &c. Dissoluuntur sponsalia ex parte illius, qui non fuit in causa impedimenti, quatenus iste ex tali impedimento ab alio posito ius acquisiuit, si velit sponsalia resolvere: unde non tenetur dispensationem acceptare, etiam si ei liberaliter ab altero offeratur. Difficultas esse potest, an ille cuius causa impedimentum est contractum procurare teneatur dispensationem, id altero exigente? Affirmat Sanchez disput. 56. Coninchus disput. 23. dub. 5. nisi in casu quo dispensatio obtineri non posset sine graui incommodo, vel sine magnis sumptibus, quia tunc non cense-

tur se obligasse impedimentum causans ad dispensationem modo extraordinario obtinendam. Addit Filiucius cap. 8. quæstio 8. non teneri nisi quando altera pars notabilem patitur iacturam ex non sponsalium impletione. Meum sit iudicium: dupliciter potest aliquis impedimentum apponere, vel aduertendo dum sponsæ sororem v.g. cognouit, quod per talem copulam impedimentum apponebat, vel non aduertendo: si aduertit tunc tenetur dispensationem procurare, si alter id exigat, dummodo nec magnum incommodum, nec magnæ expensæ adsint. Si verò non aduertit, ad id non tenetur. Ratio desumitur ex generali doctrina quam in materia iustitiæ Deo dante trademus, quod scilicet nullus teneatur ad damnum alteri sine cul-

pa, sequutum, etiam si daret operam rei illicitæ; & sic quādo sponsus cognouit sororem sponsæ, & non aduertit ad damnum, quod inde sponsæ sequebatur, ad illud refarciendum nō tenebitur; quando vero liberè illud damnum intulit tenebitur illud refarcire procurando dispensationem, si pars offensa, seu damnum passa id exigat, non tamen, ut dixi, ad id tenebitur modo extraordinario, sed ordinario dumtaxat, ut etiam in refarciendis alijs damnificationibus fieri solet. Quænam autem sint impedimenta dirimentia sponsalia, & quæ solum impediencia ex infra dicendis patebit: vnum solum aduertere debes, quod votum castitatis, Religionis, & sacros suscipiendi Ordines, licet sint impedimenta impediencia matrimonium; respectu tamen sponsalium sunt dirimentia, cum sponsalia post illa facta sint promissio rei, alteri promissæ, ac proinde ralis promissio est de re iniqua, ac subinde nulla.

49 Secunda causa ob quã sponsalia dissolui possunt, est

notabilis corporis defectus superueniens siue sponsæ, siue sponsi ut est paralyfis, lepra, amissio oculorum, na. si, & vniuersaliter quilibet alius turpior defectus, intellige etiam si sponsalia sint iuramento firmata, ut dicitur c. quemad. 25. de iureiur. & ratio est, quia sponsalitus contractus, & iuramentum illi superadditum sunt ex tacita conditione, seu conuentione, nisi fiat notabilis mutatio, ob quam sponsaliorum impletio notabiliter fiat onerosior, unde illa cui fit, si velit, recedere poterit. Idem dicendum si morbus Gallicus superueniat, aut quicumque alius contagiosus, vel etiam non contagiosus, dummodo notabilis sit, & incurabilis. idem extendit ad notabilem oris foeditatem Sanchez disput. 57. Et à fortiori extendi debet ad notabilem defectum in fama, honore, &c. ut ob furtum, vel aliud quodlibet per quod infamia sequatur. Horum omnium ratio ex dictis est, quia ob quemcunque ex recensitis defectibus sponsaliorum impletio fit

notabiliter onerosior illæso.

50 Hæc omnia procedunt etiam quando isti defectus fuerunt ante sponsalia contracti, sed ignorati, ob hoc in quodam loco fuerunt sponsalia resoluta quia fœmina nouit post illa, sponsum morbo laborare Gallico. Res enim tunc fieri dicitur quando innotescit. cap. *Pastoralis*. de except. Et quia quando res venditur vitiosa occultando vitium, contractus rescindi potest.

51 Sed quæres primò, an sponsalia dissolui possint si alter sponforum, alteram tantum oculum amittat? Hic casus cõtingit paucis ab hinc annis; dum enim sponsus in ensium luderet palestra, casu fuit sibi oculus erutus, quo audito sponsa à sponsalibus recedere volebat, eo quod, vt illa dicebat, esset sibi indecorũ guircum habere maritum; vrgebant sponsam parentes vt sponsalia adimpleret, repugnabat illa; consulti fuere Theologi: quibusdam negantibus, & quibusdam affirmantibus, res ad Episcopum deducta est qui

in sponsæ fauorem litem rescidit, & benè, quia licet sit probabilis Paludani dist. 27. q. 1. art. 3. cap. 7. sententiã, quod sponsalia rescindi nõ possint, eo quod in cap. *Quemadmodum*, solum oculorum amissio excipitur; tamen communiter Theologi oppositum tenent vt videre est apud Sánchez loco citato; eo quod tunc re vera notabilis fiat in sponso mutatio, taliter quod nimis onerosum sit sponsæ talem habere virum. Et licet in dicto cap. solum oculorum amissionis mentio fiat, tamen doctores etiã ad vnus oculi amissionem extendunt propter rationem dictam.

52 Quæres secundò, an si sponsa (& idem dic de sponso) proportione seruata) quæ sponsalium tempore pulcherrima erat deformis fiat, propter morbum, pustularum, quæ vocant vulgò *rouilioni*, ouero *varole*, vel ob aliam causam, sponsalia ab illæso resolui quæant? Negat Co. uar. 4. Decret. p. 1. c. 5. & alij. Sed melior opinio affirmat, cum ob illum defectum sponsalitij cõtractus impletio durior

rior, minusque grata fiat.

53. 3. causa est notalis alterius asperitas, & seuitia adueniens, aut cognita post sponsalia. Ratio est, quia ob illa sponsalium impletio fit alteri notabiliter durior, grauiorque. Vnde ob illa etiam diuortium fieri potest *cap. litteras, 13. de restitut. Spoliatorum.*

54 Quarta, causa sunt odia, grauesque inimicitiae, inter sponfos ortæ, tunc enim vtrinque sponsalia resolui possunt, quia tunc sponsaliorum impletio vtrinque fit notabiliter grauior; & quia maiora mala, malique exitus possunt prudenter timeri. *Cap. requisit, de sponsal.*

55 Quinta est parentum obstinata contradictio, quia tunc mali exitus possunt probabiliter timeri: & quia tunc sponsaliorum impletio fit vtrinque notabiliter grauior.

56 Sexta causa est paupertas superueniens, vt si sponsa, quæ diues erat, ad paupertatem sit redacta, & hoc dupliciter contingere potest. Primò, si dotis promissio præcedit, & tunc est certum ex

parte sponsi, sponsalia dissolui posse. Ratio est, quia sponsus non tenetur sponsam sine dote accipere. Secundò, quando nulla facta est dotis promissio, & tunc dicunt Paludanus, Lopez, & Rodriguez penes Sanchez disput. 59. & Villalobos penes Dianam de sacram. resol. 287. quod sponsalia ab sponso dissolui non possint, eo quod sponsus sibi imputare debet quod pactum de dote tradenda non præmiserit. Sed oppositum est verius, & placet magis Dianæ post Pontium, Villalobum, Henriquez, & alios quia tunc notabilis valde fiat mutatio, quæ si à principio cognita fuisset, sponsalia nequaquam contracta fuissent. Tum quia promissio semper facta intelligitur dummodo res in eodem statu permaneat, & notabilis in ea non fiat mutatio, *cap. quemadmodum*, quod procedit etiam si sponsalia iuramento fuissent firmata, eo quod iuramentum intelligatur rebus notabiliter non mutatis. *cap. eodem.* Sed petes, an iurans se aliquam ducturum, nulla

dotis promissione præmissa teneatur illam sine dote recipere? Aliqui affirmant quando vir diues esset, & sine dote sponsæ, posset matrimonij onera sustinere. Alij negant, quia nullus quantumuis diues sit, tenetur indotatam accipere, & ex suo solum matrimonij onera, sustinere. Ego puto ad iurantis intentionem esse attendendum; cum enim iurans potuerit vtrunque iurare, scilicet & sine dote ducturum, & cum dote, videndum est quam intentionem habuerit, quod si dubitetur, præsumi posset iurasse ex dotis suppositione, cum dos per se requiratur ad matrimonij onera sustinenda. Aduertit, & bene Diana post Sanchez, Coninchum, Gutierrez, & Reginaldum, non posse sponsum ab sponsalibus resilire, quando post sponsalia sibi noua, & inopinata, obuenit hæreditas, qua eius status plurimùm melioratur, ita quod sponsa sibi sit multum inæqualis; quia eo casu nulla fit mutatio in sponsa, nec fuit error circa conditionem illius, sed solum circa conditionem

propriam: & eadem ratio procederet in sponsa, si sibi noua proueniret hæreditas.

57 Septima causa ad dissoluenda sponsalia est, si magna timeantur scandala: Et ratio est, quia sponsalia obligare non possunt ad actum, qui sine peccato poni non potest; atqui contrahere cum magno scandalo, est actus qui sine peccato poni non potest; ergo. Cap. cum tua, de sponsalibus. Vnde si notabiliter Charitas læderetur, vel parentum pietas dissolueretur, vel cognatorum amicitia perderetur, &c. contracta sponsalia dissolui possent, etiam si iuramento firmata fuissent, vt ex dictis colligi potest.

58 Aliæ causæ occurrere possunt per quas sponsalia rescindi possunt, quæ neque ad certum numerum reduci possunt, nec omnes cognosci in particulari. Regula tamen generalis tradi potest, & est, quod quoties post sponsalia contracta notabile superuenit inconueniens, aut causalis, quæ si à principio agnita fuisset, sponsalia posita nõ fuissent, tunc sponsalia rescin-

scindi possunt. Ratio est, quia promissio ultra promittentis intentionem non extenditur; atqui promittentis intentio non est se obligandi in eo casu; ergo. Sed dices quia sponsalia non sunt simplex promissio, sed contractus onerosus; atqui contractus onerosi non rescinduntur, hoc modo; ergo. Certè si ad rescindendum contractum sufficeret noua causa superueniens, quæ si cognita fuisset, contractus non

fuisset positus, ferè nullus contractus stabilis esset, nulum ferè votum, &c.? Respondetur quod licet illa regula non admittatur in voto, neque in contractibus, admitti tamen debet in sponsalibus; cum enim sint promissio rei grauißimæ illam censentur admittere intentionem, ad hoc enim ut quis indissolubili ligetur vinculo, maximam supponitur habere libertatem,

## Q V A E S T I O VI.

*Resoluntur aliquæ difficultates ad coronidem præsentis disputationis de sponsalibus pertinentes.*

59 **P**rima difficultas est, an sponsalia dolo celebrata, sint irrita, vel irritanda? Cum sponsalia sint quidam contractus, huius difficultatis resolutio petenda est ex communi doctrina, quæ in materia contractus datur. Pro quo aduerte, quod dolo dupliciter in contracti-

bus reperitur. Primò ut dans causam contractui. Secundò ut incidens in contractu; tunc dolo dicitur dare causam contractui, quando sine eo contractus positus nõ fuisset, ut si equum emisti venditoris dolo, quia dixit equum nulum habere vitium, cum tamen vitiosus sit; quod si sci-



uiffes, nullatenus emiffes. Tum autem dolus contractui accidit, vel in contractu incidit, quando si dolum nouiffes v.g. vitium equi, adhuc emiffes, licet fortè non tanti, eo quod vitium illud non facit equum tibi omnino displicere. Hoc prænotato, fequentibus dictis difficultatem refoluo.

60 Dico primò. *Sponsalia per dolum dantem causam contractui sunt ipfo natura iure nulla, quando dolus à parte culpabiliter datur.* Ratio est, quia omnes contractus bonæ fidei, hoc modo initi, sunt nulli L. & *eleganter, 7. ff. de dolo*, taliter tamen quod dolum passus cogere potest, si velit dolosum ad standum contractui, cum talis rescifio in sui fauorem fit facta; ergo etiam sponsalia. Confequentia tenet ex paritate rationis, & ex ratione quam modo subijcio pro Antecedentis probatione. Antecedens probatur; quia nequit saluari contractus, vbi non saluatur consensus; atqui quando dolus dat causam contractui non saluatur consensus; ergo tunc

non saluatur contractus. Minorem ostendo, quia consensus qui ponitur, est in rem sine dolo, sine vitio; atqui hic non habetur; ergo. Probatur hoc, nam vbi non datur obiectum consensus, ibi nec consensus datur; at eo casu non habetur obiectum consensus; ergo nec ipse consensus. Quod autem obiectum consensus non habeatur patet, quia obiectum consensus est res sine vitio, & hæc non habetur. Adde quod sine voluntario, & libero consensu esse non potest, atqui dolus voluntarium, & liberum tollit, ergo. Minor ostenditur, nam voluntas in incognitum nec voluntariè, nec liberè fertur; sed res illa dolosa, seu vitiosa, non fuit cognita; ergo. Vnde claret dolum passum verum non posuisse consensus, quia si rem nouiffet, non consensiffet.

61 Dico secundò, *sponsalia per dolum incidentem in contractu, sunt valida.* Ratio est; quia dolus incidens nullum annullat contractum, quia eo cognito adhuc con-

tractus positus fuisset; ergo neque ob eandem rationem sponsalia annullabit. Maior difficultas est, an quando dolo dans causam contractui sponsalium v.g. nō fuit à parte positus, sed à tertio, vel etiam quando ipse contrahēs sua falsa imaginatione deceptus est, an scilicet tunc sponsalia sint valida? Affirmat Sanchez disput. 64. nu. 5. vbi alios pro se refert. Sed licet hæc sententia probabilis sit, probabilior tamen mihi videtur opposita, vnde. Dico tertio, *sponsalia per dolum causam dantem inita, quando dolo ab alio ponitur in foro conscientie sunt nulla, & similiter quando contrahens sua fuit estimatione deceptus.* Dixi in foro conscientie, quia forum exterius præsumet sufficientem adfuisse consensum, præsertim quoad illum, qui suam allegaret deceptionem: licet affisteret quoad spōsaliorum rescisionem. Probatum conclusio ex dictis pro prima conclusione; nam vbi non datur obiectum consensus, ibi nec consensus ipse dari potest; atqui in hoc casu consensus

obiectum non datur, est obiectum consensus sit res sine illo vitio; ergo. Tum quia, vt dicebamus, nullus consentire censetur in rem quam nō cognoscit, atqui res cum illo defectu non cognoscitur; ergo. Respondet Sanchez cum Molina, quod non solum in hoc casu, verum etiam in casu primæ conclusionis sufficiens adest consensus, cū adsit eius obiectum quoad substantiam, vnde iurē naturæ contractus ex dolo celebratus quando dat causam contractui est validus, licet ius posituum annullauerit illum, cuius dolo à parte causatur. Sed contra primò quia in citata L. & eleganter, talis non fit distinctio de contractu ex dolo celebrato cuius dolo à parte, vel à tertio causetur; ergo si illa lex primum annullat, etiam secundum, cum in vtroque eadem deceptionis ratio currat. Secundò quia ideo L. illa contractum ex dolo causam dante annullat, quia præsumit sufficientem non adesse consensum, & sic ne lites multiplicarentur voluit, ac declaravit

rauit tales cōtractus esse nullos, vt enim lex annullat cōtractum aliàs validum requiritur quod vel personas inhabiles reddat ad contrahendum, vel saltē quod talia verba in Lege annullante apponantur; per quæ clarè cognoscatur consensus præstitos in eo casu esse nullos, vt fecit Tridētinum dum matrimonium annullauit clandestinum; ergo cum in dicta lege illa duo nō fiant, clarum est, illam legem dictos cōtractus non annullare, sed ad tollendas lites declarasse illos natura sua esse nullos. Tertio, quia falsum est saluari eo casu obiectum consensus quoad substantiam, & sic & ipsum consensum, licet nō ita perfectum, quia consensus eo casu non tendit absolute, & simpliciter in substantiam, & secundariò in conditionem, quæ ex dolo putatur, sed tendit in substantiam illa conditione vestitam, alioqui dolus non daret causam cōtractui, sed solum incidens esset; ergo cum re vera det causam cōtractui, debet cōsensus tēdere in substantiam

fic, vt putatur, circumstantiōnatam. Vnde consensus ille sub dolo, resoluitur in conditionem de præsentis, quæ si nō adest, consensus est ipso naturæ iure nullus. Explicatur, si quis antequam Titiam ducat, petat ab patre, vel fratre illius, an Titia sit virgo, & ipsi respondeat affirmatiuè, cum tamen sciant non esse, & ex hoc dolo illam in sponsam ducat, quam nullo modo duceret, si sciret virginem non esse, tunc iste cōtractus spōsalia de modo, sed de conditione de præsentis, & tantum valet ac si diceret *promitto me ducturum Titiam, si est virgo*: non vero est sensus: *promitto me ducturum Titiam, quæ est virgo*; hæc enim promissio est de modo, illa de conditione, hæc non facit spōsalia nulla, etiam si non sit virgo; illa vero facit nulla, si viginatis cōditio non adsit. Confirmatur primò, quia spōsus errore detecto potest resilire; ergo si gnium est sponsalia sub illo errore facta non esse valida. Antecedens concedunt omnes; consequentia probatur, quia

quia nullus potest absolute resilire à cōtractu valido, sed solum potest illum contractū rescindere, vel mutuo consensu, vel se solo ab eo recedendo, destruendo, ob aliquam causam, consensum à se præstitum; atqui hoc non est simpliciter resilire, sed cōtractum resolvere, proprium destruendo consensum per quem contractus validè factus fuerat. Confirmatur secundò, quia votum per errorem, vel dolum dantem causam illius, nullum est; ergo etiam contractus sponsalitijs ex eodem errore, vel dolo nullus erit. Antecedens conceditur communiter à Theologis, & etiam ab ipso Sánchez supra, vade dicunt quod si civis Laudensis Romanam voueret peregrinationē existimans Romā distare à Lauda solum per duas, vel tres dietas, ad Romanam non teneretur peregrinationem, cū Roma à Lauda distet ferè per 15. dietas.

62 Respondet Sanchez concedendo Antecedens, & negando cōsequentiam. Rationem discriminis assignat,

quia votū est promissio quædam gratuita, & ita vitatur errore illo; secus sponsalia quæ contractus onerosus sūt. Sed contra, quia si semel dolum, vel error, substantiam obiecti consensus nō destruit, & possunt stare simul iure naturæ cōsensus & error, & dolum; etiam de voto hoc dici debet, quod enim votum sit promissio gratuita non facit quominus non sit validum, si semel adest sufficiens cōsensus, cum consensus naturæ iure cum errore, vel dolo nō repugnet. Tum quia si eo casu promissio gratuita vitatur, multo magis vitari debet onerosa, cum minus censetur quis obligari in onerosis quam in gratuitis.

63 Secunda difficultas, an quando sponsalia sunt celebrata per errorem, vel dolum incidentem, dissolui possint errore, vel dolo cognito? Negat Sánchez disp. 65. sed oppositum mihi verius videtur. Probatur primò, quia matrimonium quo liber cum serua contrahit est nullum, quando liber seruitutis ignorabat cōditionem, etiā tali-

taliter fuisset liber affectus, ut si illam nouisset conditionem, illam duxisset; ergo sponsalia contracta v. g. cum serua, ex errore seruitutis, saltem dissolui poterunt, errore, vel dolo detecto, etiamsi sp̄sus quando sponsalia cum serua contraxit, taliter esset affectus, quod si illam seruitutis conditionem nouisset cōtraxisset. Respondet Sanchez concedendo Antecedens, & negando Consequentia: Disparitatis assignat rationem, quia in matrimonio illo defuit substantialis consensus, cum fuerit error circa substantiam; at vero in casu sponsaliorum, non defuit substantialis consensus, neque etiam accidentalis, cum etiam cū illa conditione contraxisset, vnde tunc solum datur ius dissoluendi sponsalia, quando cōtrahens, si errorem nouisset non consensisset. Sed non video quomodo in matrimonio cum serua quando contrahens conditionē ignorabat, & erat taliter dispositus, quod si illam nouisset adhuc contraxisset sit error circa substantiam, ac proinde

matrimonium nullum; & in sponsalibus cum eadem serua ex eodem errore, & cum eodem affectu; non sit error circa substantiam, & sponsalia non solum sint valida, verum & taliter valida, quod neque rescindi possint errore detecto. Consideret lector hanc rationem, nolo enim amplius immorari. Vnum solum addo contra illum auctorem, quod eo casu non videtur adesse errorem circa substantiam, sed solum circa conditionem seruitutis, quam si sciret sponsus adhuc contraheret. Vnde vel dicendū est matrimoniū illud, & sponsalia eo modo facta esse valida, & solum differentiam esse quod matrimonium cum sit vinculum perpetuum nullam patiatur rescisionem, bene sponsalia, vel si volumus sustinere matrimoniū esse nullum, & sponsalia valida, licet rescisioni subiecta, non oportebit recurrere ad errorem in substantia in illo, & solum in accedenti in istis, cum & in illo, & in istis sit idem consensus, & affectus, & solum differant quod in illo consensus est de

presenti, & in istis de futuro, sed uterq; in idē tēdit, sed oportebit recurrere ad ius sic disponēs de illo, & nihil de istis.

64 Probatur secūdo, quia vt supra vidimus talis assignatur ab omnibus differentia inter contractus quibus error, & dolus dant causam, & illos quibus error, & dolus incidunt, quod illi sunt iure ipso nulli, & isti sunt validi, sed rescissione subiecti, & tamen de horum ratione est, quod contrahens taliter debet esse affectus: quod si errore sciisset adhuc cōtraxisset, licet fortē non tanti; ergo id ipsū de spōsalibus dici debet.

65 Probatur tertio, quia taciti, & expressi idem est iudicium L. de quibus, sine ff. de legibus, & L. cū quid, ff. si cert. petat. Euerardus latē loco ab expresso ad tacitum, vbi profundē docet quod sicut conditio expressa impedit obligationis ortum, ita etiam conditio tacita, sed si quis sub expressa conditione promitteret sponsæ se eam ducturum si 100. scuta in dotem dederit, non tenetur promissioni stare, etiam si taliter fuisset

affectus, quod etiam cū minori dote contraxisset; ergo etiam si quis contrahat, sub tacita conditione, si nō adest error, vel dolus, rescindere sponsalia poterit, si postea error, vel dolus detegatur; etiā si à principio taliter fuisset affectus, quod si talem nouisset errorem, adhuc contraxisset.

66 Cōfirmatur hoc argumentum, quia vt habetur L. cum in plures, 62. §. locator horrei ff. locati, conditio pura menta retenta, nihil in cōtractibus operatur; ergo similiter ille affectus, vel voluntas conditionalis, si scirem adhuc contraberem, cum sit mente retenta nihil operabitur; ac proinde sicut sine illo affectu contractus rescindi posset, errore detecto, ita etiā quando talis affectus adest. Respondet Sanchez hæc verum habere quādo adest cōtrarius affectus, id est si scirem nō cōtraherē, secus quando adest affectus ille si scirem cōtraherem. Sed contra quia quando adest cōtrarius affectus tunc error nō est incidēs, sed dans causā contractui vt aduertit ille disput. 64. nu. 2. ergo &c.

E e c Sed

67 Sed obijcit Sanchez ex Molina, quia deceptio nō permittit contractum rescindere quando contrahendi causam decepto non dedit, sed solum decepto ius conceditur ad agendum pro interesse; sed in hoc casu deceptio contrahendi causam non dedit; ergo deceptus nō habet ius rescindendi contractum, sed solum ad petendum interesse, si fortè damnū ex sponsalicio oriatur contractu. Confirmat, quia sponsalia ob notabilem mutationē siue præcedentem, siue subsequutam ignoratam, tunc solum possunt dissolui quando contrahens ex tacita conditione non illa celebrasset, si talem nouisset conditionem; sed in hoc casu non adest, sed potius opposita; ergo. Respondetur ex dictis errorem esse in supposito, cum confundat dolum dantem causam contractui, & incidentem, ideo sisto.

68 Tertia difficultas, an sponsus habens ius dissoluedi sponsalia quando scilicet dolus incidēs fuit, illud amittat, si carnaliter sponsam co-

gnoscat? Affirmat Sanchez disp. 66. etiam si sponsus haberet animum non remittendi per talem copulā illud ius. Dico primò, *per copulam, habitam sponsalibus dissolutis, sponsalia non reualidantur.* Ratio est, quia illa copula non censetur habita ex mutua voluntate ineundi noua sponsalia, sed simplici affectu fornicario. Si tamen sponsalia erāt nulla ex errore dante causā, v g. sponso, contractui, & spōsus dum habuit copulam, simul animum habuit in dictis permanendi sponsalibus, seu firmandi, vel ratificandi illa, verè reualidantur, dummodo tres adsint conditiones; vna est quod sciat illa fuisse irrita, si enim hoc nesciret, non reualidarentur, cum consensus in incognitum ferri non possit. Secunda quod adhuc spōsæ consensus permaneat, nā si reuocatus fuisset, noua poni non possent sponsalia, vt patet. Tertia, quod sciat per talem copulam sponsalia ratificari posse, & eo animo illā habeat, vt per illam, internū consensum exprimat: Si enim sponsus nesciret per talem copu-

copulam, posse sponsalia ratificari, & eo animo eam non haberet sponsalia ratificari non possent; benè verum est peccare illos sic ratificantes spōsalia, cum copula illa fornicaria sit.

69 Dico secundo, *Si spōsalia facta sint per errorem, vel dolum incidentem, quo casu, dolum passus, ius habet irritandi illa, ut diximus, si copulam habeat, censetur irritandi ius amittere, dummodo contrariā non habeat voluntatem.* Hæc conclusio quoad posteriorem partem est contra Sanchez; Ratio tamen pro illa clara est; quia ideo coniuges conscij fornicationis habite post matrimonium, se cognoscentes, amittunt ius petendi diuortium, ut docet D. Thomas dist. 35. q. vnica, art. 1. & ius accusandi *L. si uxor, 13. ff. ad Leg. Iul. de adult.* quia cum copula inter illos non possit esse fornicatio, nec præsumatur animo fieri fornicario, fieri censetur animo reconciliatiuo, ac proinde relaxatiuo mutui iuris ad diuortium faciendum, & ad accusandum; at vero inter sponsos, cum co-

pula sit fornicatio, fieri potest solo fornicandi animo; absq; animo condonandi ius rescissionis; ergo vtrunque per talem copulam fieri potest, ac proinde si sponsus cognoscat sponsam animo solo fornicario, & non condonandi ius rescissionis, re vera non condonabitur.

70 Quarta difficultas, an in casu quo sponsalia dissolui possunt, propter causam præcedentem, ignoratam, vel superuenientem, si iuramento firmata sunt peti debeat iuramenti relaxatio? Respondetur negatiuè, ratio patet ex multoties dictis, quia iuramentum est accessorium, & sponsalia sunt principale, accessorium autem naturam sequitur principalis, *L. fin. C. de non num. pecunia.* Tum quia iuramentum sub tacita conditione procedit si noua causa non superueniat, vel præcedens non cognoscatur, &c. Colligitur ex cap. *quemadmodum*, de iureiur. vbi deciditur fas esse recedere à sponsalibus iuratis ob subsequentem fornicationem; & assignat textus rationem, quia



iuramentum est sub tacita conditione: *si alter contra matrimonium nō fuerit*. quæ ratio ad casum nostrum adaptari potest.

71 Quinta difficultas, an quādo sponsalia valida sunt, possent tamen rescindi, quia in altero vitium est, vel quia fornicatus est, vel quia morbo laborat Gallico, hæc tamen ignorantur, & occultantur; an tunc patiens vitium possit cogere alterum ut in sponsalibus permaneat? Respondetur a firmatiōe, quādiu vitium occultum est: ratio est quia qui vitium non nouit non habet ius resiliendi, ac proinde resiliere non poterit, & si resiliat arrhas amittet; ius nanque resiliendi ex vitio habetur noto. Ratio fundamentalis est, quia quando sponsalia sponduntur, spondi censentur cum tacita conditione, quod nullus resiliat, nisi notabilis fiat mutatio, vel antiqua cognoscatur, & tunc non sint ipso iure irrita, sed irritari possunt; ergo quādiu non cognoscitur mutatio, laborans vitio ius habet compellendi

vitij ignarum ut sponsalia adimpleat. Confirmatur à simili, quia ut suo loco dicitur, adulter quādiu adulterium ignoratur, habet ius petendi; ergo etiam habens vitium, per quod alter haberet ius resoluendi sponsalia poterit vitij ignarum compellere ad hoc ut sponsalia adimpleat. Aduertendum est tamen, quod quando vitia sunt pernicioſa, manifestari debent, quod si tegantur, tunc nulla sunt sponsalia, quia censetur error, & dolus dans causam contractui.

72 Sexta difficultas, an quando alter habet ius sponsalia dissoluendi debeat hoc facere iudicis auctoritate, an possit id facere se solo? Respondetur posse id facere se solo, attendente rei natura: Ratio est; quia sponsalia tacitam inuoluunt conditionem, ut iusta accedente causa dissolui possint; ergo quando talis causa adest propria resolui possunt potestate. Tum quia ut aduertit Sanchez disput. 69. nullo iure cauetur, quod quando iusta adest causa dissoluendi sponsalia, iudicis requi-

requiratur auctoritas. Licet tamen hoc ita sit, ad tollendum scandalum, ad iudicem recurrendū est quando sponsalia sunt publica, & causa occulta, secus quando & spōsalia, & causa publica sunt; sicut & quando vtraque occulta sunt, eo quod in casibus istis omnis scandali ratio cesset. An autem quando sponsalia publica sunt, & causa occulta, vt fornicatio, debeat hęc causa iudici manifestari, vt sponsalia dissoluan-

tur? dico, debere prius pars vitiosa moneri, vt sine rumore, & causę reuelatione sponsalia mutuo dissoluantur consensu, sicuti fieri debet quando impedimentum detegitur matrimonium dirimens; quod si pars vitiosa acquiescere nolit, causa iudici manifestari poterit, quia tunc manifestans suo vitio iure, & pars vitiosa sibi imputare debet, quod eius vitium propaletur.

## Q V A E S T I O VII.

*Quomodo impedimentum probetur, vt sponsalia dissoluantur, & matrimonium impediatur.*

73 **C**onueniunt omnes, quod ad hoc vt iudex sponsalia dissoluat, & matrimonium impediatur, ob impedimentum siue dirimens matrimonium, siue impediens vnus testis sufficiat, vt habetur c. *super eo 2. de test. & attest. & cap. prater ea 2. de sponsal.* Ratio est, quia tunc

agitur de vitando peccato, ne impediti contra Ecclesię prohibitionem contrahant, licet testis non fuerit citatus, sed à parte productus, quia tunc nō presumitur se ipsum ingerere, si nanque se ipsum ingereret esset repellendus, Mascard. post alios *de probat. concl. 1035. n. 3.* Imò etiam si testi-

testificari nollet nisi secreto, & absque nominis publicatione. Mascard. ibidem nu. 4. Amplia i. etiam si testis esset denunciator, & accusator, allegaretq; turpitudinē suam. Mascard. nu. 5. Amplia secundo, etiam si esset criminofus. Amplia tertio, vt idem intelligatur etiam quando sponsalia iurata fuissent. Limita primò quod ad hoc vt vnus testis sufficiat ad probandum impedimentum non sufficit quod sit denunciator, sed debet etiam deponere, Sanchez post alios disput. 71. nu. 9. Limita secundo, vt debeat esse iuratus, quia non iuranti parum creditur *c. tua* de cohabit. Cleric. Limita tertio, vt iuret se certò scire impedimentum. Mascard. supra.

74 Conueniunt etiam cõmuniter, quod ad dissolueda spõsalia ex alia causa præter impedimentũ impediens, vel dirimens, vnus non sufficit testis, sed duo requirantur cap. *licet ex quadam*, cap. *ueniens*, cap. *in omni negotio*, de testibus, & *L. vt iuris iur.* C. de testibus, cum agatur de tertij præiudicio, non de pec-

cato vitando, vt si quis sponsalia dissoluere vellet quia alter fornicatus est, tũc enim duo testes requiruntur,

75 Conueniunt etiam, quod testis de auditu sufficiat ad probandam consanguinitatem. Solum difficultas est quomodo testis de auditu probet; quæ difficultas vt clara maneat pono sequentem casum, qui in quodam loco accidit & pro quo sequentem scripturam composui. Casus est Titius sponsalia iniuit cum Titia, factis denunciationibus, antequam ad matrimonium deueniretur comparuit quidam senex, qui dicebat se audiuisse à patruo sponsæ matrem Titæ, & Titiam esse Titij parentem, seu consanguineam, quo audito suspendit Curatus matrimonium, rem detulit ad Ordinarium, pro qua re sequentē scripsi resolutionem, ratione cuius matrimonium perfectum fuit.

76 Spõsalia ait magistraliter Couar. 1. p. Epit. cap. 5. non sunt temere dissoluenda, sed quantum fieri potest, sine iniuria partis agendum est,

est vt sint firma, hoc agendum est in casu proposito, nam stante matrimonio per verba de futuro contracto, seu stantibus sponsalibus initis, post debitam diligentiam adhibitam ad impedimentum detegendum, dubio adhuc remanente, maximè quando est moraliter insuperabile, in matrimonij fauorem est iudicandum, cum contrahentes suam possideant libertatem; dubium nanque insuperabile, vt est in casu posito, ignorantia inuincibili æquiparatur, concurrente itidem probabili coniectura ex more loci, quo patruī, aut etiam auunculi nomine, alij quoque remotiores soleant compelli. Vnde data, vt innuitur aliqua contrahentium necessitate, tuto potest ad matrimonium procedi, cum per dictam coniecturam sufficienter elidi videatur illius testis depositio, dato quod aliquid roboris haberet; licet enim sit positua non nisi tamen in præsumptione fundatur, adeo vt non suffecto alio iuris adminiculo, nullo modo valeat matrimonium impedire, &

contrahentes absoluendi sūt, & libertati, & iuri suo restituendi. Vnde Sancius in sollicitis disp. 43. n. 44. dicit quod *dubians, an matrimonij habeat impedimentum, facta sufficienti diligentia, potest illud inire absque dispensatione, quia possessio stat pro libertate ad contrahendum, dubium vero impedimento fauet, & absque certo iure nemo spolians est sua possessione*, ita ille, & Diana de conscientia dubia resol. 17.

Clarius, quia sumus in materia, seu causa matrimoniali, quæ criminali comparatur. Ioannes Oinotomus in sua theonica super iustit. de Nupt. p. prima tit. 10. Atqui in causis criminalibus nemo cōdemnatur, nisi probatio sit clara, & moraliter conuincens, quod probat ex cap. in present. 8. extra de probat. & ex L. non nudis, 14. ex L. non epist. & ex C. de probat. Vnde per dd. vulgata illa traditur theorica, quod probatio debet esse concludens, quia non probatur hoc esse, quod contingit abesse; & dubium testis probat contra eum, qui pro-

produxit testem ; quia qui probat, clarè, & apertè probare debet, quod si non fiat nō prodest talis obscura probatio. *Glos. singularis dicto cap. in presentia.*

77 Deinde vulgata regula est, quod testi non iurato ut erat ille senex nō creditur. *Oinot. supra, de actionibus. §. pœnales tit. 6. & habetur L. ius iur. C. de testibus Layman lib. 3. tract. 6. cap. 4. n. 5. Limitatur hæc regula quando agitur de probanda consuetudine inducta à populo. Antonius de Butrio cap. cum tua, de sponsal. Abb. ibidem. Felin. cap. tuis, de testibus. Item limitatur quando statutum disponderet quod dictum testis non iurati probaret, *Lu. douic. Rom. consil. 100. incipit viso puncto. Felin. vbi supra. Hoc autem in casu matrimoniali non limitatur; imò neque partium consensu potest iuramentum testis remitti* *Glos. 2. cap. tuis, de testibus, item Glos. cap. fraternitatis, & ibi Abb. Felin. & alij Canon Alber. L. 1. ff. de ferijs.**

78 Et licet testis de audi-  
eu iuratus admittatur, dum

tractatur de consanguinitatis impedimento ad matrimoniū impediendum, hoc tamen habet verum quando talis testis taliter deponendo probat, ut assignet distinctè gradus, ut obseruat Sanchez disput. 71. post Mascardum, & alios, nec sufficit quod ab vno audierit, sed à pluribus maioribus, Sanchez ibidem num. 11. quod in dicto senex non contingit. *Vnde Coninchus disp. 27. dub. 11. nu. 79. dicit, quod ad dictum probandū impedimentum requiritur, quod testis iurare possit verè subesse impedimentum, quod facere non potest si ab vno solo audierit, sed requiritur quod saltem à duobus fide dignis audierit, & sciat consanguinitatis gradus ex vtraque parte distinguere, & habetur ex cap. licet ex quadam, de testibus, quod non currit in casu posito, quia ut dixi senex nec testatur cum iuramento, nec audiuit à pluribus, sed dicit solum se audiuisse à patruo sponsæ. Adde quod testis non debet esse vilis persona, nec talis cui displicere possit matrimoniū, quod*

quod verum habere videtur in dicto casu, cum talis senex sit patruus sponsi, cui forte displicet, vt innuitur matrimonium. Tum quia consanguineorum, domesticorum, & de familia testimonium regulariter non admittitur L. *parentes*, C. de testibus, & L. *iuriconsultis*. & L. *Iulia*, ff. de testibus Layman lib. 3. tract. 6. c. 4. n. 4. & si examinentur nõ solum probant, sed neque faciunt iudicium aliquod Bal. L. *testam.* ff. de testibus. Abb. cap. *litteris*, de test. Felin ibidem; nec sufficit in causa matrimonij quod sint testes idonei, sed debent esse omni exceptione maiores ex eodem cap. *litteris*, vbi Felin. & alij. & licet testimonium consanguineorum & de familia admittantur ad consanguinitatem probandam, non tamen debent alias habere exceptiones, vt liquet ex dictis, quia nec senex plures assignabat maiores, nec gradus distinguebat, &c. Licet similiter testes in sua depositione non teneantur sui dicti causam reddere, vt dictum suum valeat Glof. L. *non solum*, C. de

testibus Abb. c. *cum causam*. Felin. ibidem. Hoc tamen solum currit quando deponunt super aliqua re, quæ ab aliquo corporeo sensu percipi potest, quod si deponant super aliqua re, quæ solo intellectu percipitur, vt est casus, dictum non valet si causam non reddant illius, etiam non interrogati. Abb. loco citato, versic. *Innocentius tamen tradit*. Felin ibi. Fallit etiam in causis criminalibus in quibus non valet dictum testis, si dicti rationem non assignet, etiam iudice non interrogante. Salicet. L. *sciãt cuncti*. C. de probat. Alexãd. consil. 15. Lodou. Rom. L. *ait prator*, ff. de iureiur. Anto. de But. cap. *fin.* de iureiur. Atqui causa matrimonialis criminali comparatur: supra: ergo.

79 Tandem quia testi denunciante solum, & non deponenti non creditur, vt post Sanchez supra notat Reginal. lib. 31. c. 36. nu. 268. vbi dicit, *debet testis deponere non denunciare solum, debet etiam iurare asserendo se certo scire impedimentum, & denuo debet esse non vilis persona*; quæ in

dicto casu non obseruantur, vnde patet quod propter illius testis assertum impediri non debet matrimonium: ita sentio soluo semper, &c. *Frater Gabriel à Santo Vincentio.*

80 Sed quæres, an fama de aliquo, inter sponsos, impedimento, valeat matrimonium impedire? Respondetur affirmatiue: habetur expressè *cap. super eo*, de consanguinitate; quod habet verum etiam si sponsalia sint iuramento firmata *c. super eo*, de consanguin. adiuncta *Glof. verbo fidei*; non sufficit tamen iudicem famam scire, sed debet esse probata, possertamen iudex ex fama priuata inquirere de impedimento per se ipsum de plano, & sine iudiciario strepitu. *Mascard. de probat. concl. 1035. nu. 13.* Similiter non sufficit fama etiam probata ad impediendum matrimonium, quando contraria fama clarioribus inniteretur probationibus. *Mascard. nu. 14. & nu. 16.* vbi aduertit, quod contra illam famam admittuntur consanguinei iurati, & habetur *cap.*

*cum in tua*, de sponsal. vbi dicitur, *vel contra famam huiusmodi iuramentum adhibeas propinquorum.* Rumor tamen non sufficit ad probandum impedimentum. Sánchez post alios num. 18. Differt autem rumor à fama; quia fama tuac est quando maior viciniæ pars acclamat. Rumor vero quando aliqua pars, vt tertia, vel quarta. Hostiensis *cap. super eo* Ioannes Andreas, & alij ibidem. Item Angelus verb. *fama*, vbi Syluester, Tabiena, & Armilla. Quod si sponsi sponte impedimentum fateantur, sine alio sponsalia dissolui poterunt, quando tamen sibi placeret matrimonium. Item si alter tantum fateatur, dummodo matrimonium sibi placeat. *Mascard. nu. 18.* Pro foro autem conscientia sufficiet vt sponsus v.g. sponsalia dissoluat, quod moraliter sit certus, vel de impedimento, vel de sponsa fornicatione, siue hæc sciat ab vno, vel pluribus fide dignis, siue propria hoc noscat experientia.

# DISPUTATIO

## S E X T A

### *De impedimentis matrimonij.*

**M**atrimonij impedimenta duplicia sunt, alia impediunt, & dirimunt simul; alia impediunt tantum, non dirimunt. Priora sunt quatuordecim quorum 12. his continentur carminibus.

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,*

*Cultus, disparitas, vis, Ordo, Ligamen, Honestas,*

*Si sis Affinis, si forte coire nequibus.*

*Hac facienda vetant connubia, facta retractant*

Alia duo addita fuere à Tridentino sess. 24. Primum est impedimentum clandestinitatis. Secundum est impedimentum raptus, quæ hoc alio versu continentur.

*Si sponsas rapias, si clandestinus inibis.*

Posteriora, quæ scilicet tantum impediunt non dirimunt, his alijs versibus continentur.

*Ecclesie vetitum, nec non tempus feriarum,*

*Atque Catechismus, crimen, sponsalia votum,*

*Impediunt fieri, permittunt facta teneri.*

Sed antequam ad singulorum impedimentorum explanationem descendamus, aliquas proponemus quæstiones de iisdem impedimentis in communi, sit ergo.





## Q V A E S T I O I.

*An Summus Pontifex possit statuere impedimenta dirimentia.*

**I**mpedimenta dirimentia alia sunt iuris naturæ, alia iuris diuini, & alia iuris humani. Iuris naturæ vt est impedimentum impotentix; iuris diuini vt est impedimētum voti solemnis, quod iure diuino naturali matrimonium dirimit. Iuris humani vt est impedimentum v. g. affinitatis. Certum est Pontificem nō posse instituere impedimenta iuris naturalis, & diuini, cum eius potestas humana sit; vnde solum difficultas est, an possit impedimenta humana, seu iuris humani constituere. Negant plures hæretici dum dicunt non potuisse Ecclesiam matrimonia irritare clandestina.

3 Catholica veritas sequēti explicatur conclusione. *Potest Ecclesia impedimenta statuere matrimonium dirimentia, ita quod matrimonium cū tali impedimēto celebratum sit*

*nullum.* Hæc conclusio habetur in Trident. sess. 24. can. 3. & 4. vbi dicitur: *si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in ijs constituendis errasse; anathema sit.* Probatur ex dictis supra disput. 3. q. 7. vbi quæ ad consensum spectant clandestinum fusè explicuimus, quia licet matrimoniū qua sacramentum est, Ecclesie non subiaceat mutationi, id tamē habere potest ratione eius materix, seu qua matrimonium contractus ciuilis est: & hoc dupliciter, vt ibi aduertimus directè scilicet quatenus Ecclesia potest annullare, & cassare ipsum contractum, & indirectè quatenus potest personas inhabilitare, & vtroque modo potest Ecclesia impedimenta statuere, annullādo scilicet matrimonialem contractum cum illo impe-

impedimēto factū, & inhabilitando personas ad sic contrahendum. Quod Ecclesia possit impedimenta dirimentia statuere, annullando, & cassando matrimonialem contractum cum illo impedimento factum, patet, quia Ecclesia alios annullauit, cassauitque contractus, vt professionem factam ante annū 16. expletum, & ante annum expletum Nouitiatus, vt constat ex Tridentino *sess. 25. de Regularibus cap. 15. & simoniacam beneficiorum commutationem, cap. cum olim. & cap. quæsitum*, de rerum permutatione. Quod etiam Ecclesia possit impedimēta statuere inhabilitando personas ad matrimonium ineundum cum illis, etiam patet, quia in his quæ ad Ecclesiæ bonum pertinent vt est matrimoniū, illi subiiciuntur fideles tanquam membra; ergo quando tali spirituali bono expediet poterit illos inhabiles reddere ad contrahendum tali, vel tali modo. Adde, quod Ecclesia non debet esse inferioris conditionis erga suos fideles, ac est ciuiliis republi-

ca erga suos subditos; sed hæc aliquos inhabiles reddit ad contrahendum, vt minores, sine licentia, & auctoritate tutorum; ergo id ipsum facere potest Ecclesia.

4 Sed quæres primò, an Ecclesia possit impedimenta dirimentia, & impedientia statuere in matrimonio infidelium? Affirmat Guilielmus Rubionus in 4. dist. 40. q. 2. Alij satis communiter negāt, quia Pontifex est tantum caput Ecclesiæ, vt tradit Innocentius III. in cap. *Gaudemus*, de diuortijs & patet ex Apost. 1. Cor. 5. & 12. *quid enim michi cum his qui foris sunt iudicare?* Sed distinctione opus est; Pontifex namque dupliciter valet considerari, vel vt Pontifex, & hoc modo nō potest impedimenta apponere infidelium matrimonijs. Vel cōsiderari potest, vt Princeps temporalis, & hoc modo potest certa apponere impedimenta infidelium matrimonijs, vbi infideles temporali, & ciuili dominio sibi subduntur: vnde apponere potest impedimenta dirimentia, & impedimēta hebræorum ma-  
trimo-

rimonij, qui sūt hic Romę, & in toto Ecclesię dominio temporali.

5 Quęres secundò, an Episcopus possit statuere impedimenta matrimonium dirimentia? Certum est id posse Episcopum respectu infidelium sibi tēporaliter subditorum, vt sunt quidam Episcopi qui sunt suarum domini diocesum etiam in temporalibus, vt patebit ex dicendis de infidelium principibus. Certum etiā est, quod si Episcopi talē habent quoad fideles facultatem, illam expeditam non habent, non per aliquod Pontificium statutum, quia nullibi reperitur, sed ex vniuersali Ecclesię consuetudine, quę talem fecit Pontifici, & generali Concilio reservationem, vti est dispensatio votorum reseruatorum. Vnde difficultas est, an sit in Episcopo ex vi dignitatis Episcopalis, & iurisdictionis illius, talis facultas pro sua diocesi, licet sit impedita? Negat Suarez tom. 5. d. 7. sect. 4. Coninchus disput. 30. nu. 8. quia putant Episcopum vi suę ordinatio-

nis nullam accipere potestatem, seu iurisdictionem, sed illam habere à Pontifice Sed affirmatiua sententia est verior, & tenenda, quia Episcopus est plenē, & perfectē pastor & princeps in sua diocesi, quamuis Pontifici subordinatus, sicut Pontifex est in tota Ecclesiā; ergo easdem leges quas potest ferre Pontifex pro tota Ecclesia, easdē ferre potest Episcopus pro sua diocesi. Vnde licet Episcopus accipiat suę potestatis exercitium, seu in actu secundo à Pontifice, cum ab eo subditos accipiat, & possit quis ordinari Episcopus absq; eo quod subditos in actu secundo accipiat, tamen in actu primo illam recipit à Christo in sua ordinatione, quā absolutē exercere poterit habitis subditis, nisi ab Ecclesia restringatur: propter hæc, hanc sententiam sequuntur communiter scribētes, videatur Coar. 4. decret. 2. p. cap. 6. §. 1.

6 Quęres tertio, an ad hoc vt Pontifex dicta statuatur impedimenta, iusta requiratur causa? Certum est iustā causam requiri ad licitè impedimenta

menta statuenda, alioqui peccaret, potestate sibi à Christo Domino tradita abutendo. Difficultas procedit de validè. Affirmant plures apud Sanchez lib. 7. disput. 1. nu. 5. Sed verior sententia negat quam post alios sequitur idè Sánchez vbi supra n. 6. cū quibus dico Pontificem sine iusta causa impedimenta dirimentia statuentem, non solū peccare per potestatis abusū, sed nihil efficere, & matrimonia sic contracta valida, firmaque esse. Ratio est, quia licet Pontifex circa ea, quæ sunt potestatis humanæ possit ad libitum disponere, secus quoad ea quæ humanam superant facultatem, vti est matrimonium, quod iure naturali illis modis fieri potest. Nec credendum est, quod Christus Dominus dederit Pontifici facultatem, vt sine causa matrimonium non fiat, quod naturali iure fieri deberet. Namq; iure nature matrimonium clandestinū v.g. validū est; matrimonium cum rapta validum est; matrimonium cum affine, vel consanguinea intra determinatos gra-

du validum est naturali iure, & sic de alijs; vnde non est credibile quod Christus dederit Pontifici facultatem ad hæc omnia dirimenda ad libitum, & sine iusta causa. Benè verum est, quod minor causa requiritur ad statuenda impedimenta impedientia, quam dirimentia, & quod causa pro illis sufficiens, insufficiens erit pro istis.

7 Quæres quartò, an Pontifex possit impedimentum statuere solum pro certo personarum genere illas inhabiles reddendo ad contrahendum, vel earum matrimoniū irritando, ob causam v.g. magnæ perturbationis Reipublicæ, vel ad vitandas graues discordias, vel ad puniendâ grauiâ delicta? Promâ quæ mihi certa videntur. Est certum posse Pontificem impedimēta vtraque statuere pro certo personarum genere, vt de facto fecit pro consanguineis, & affinibus, vt postea dicetur. Est etiam certum, posse Pontificem impedimēta dicta statuere ad tempus pro persona particulari vel

ob Reipublicæ bonum, vel ad impedienda peccata, homicidia, lites, &c. ut si filius nobilissimæ familiæ vellet invito patre vilissimam ducere mulierem, posset illum inhabilem ad tēpus reddere donec suasionibus ab illo auerteretur matrimonio, imò posset absolutè, & pro semper illum iuuenem inhabilem reddere ad contrahendum cum illa particulari fœmina, si enim potest Pontifex inhabilem reddere pro semper ad contrahendum cum consanguinea, vel affine, cur id ipsum facere nō poterit cum duabus personis particularibus? qui enim potest inhabiles reddere omnes, & quot quot sunt certi generis, à fortiori poterit particulares, & determinatas personas.

8 Quod mihi ingerit difficultatē est, an possit Pontifex statuere impedimentum dirimens pro semper, pro certa persona, vel familia ob grauia, & ingentia delicta, respectu omnium fœminarum, taliter quod nec licitè, nec validè possit illa persona, vel illi, qui sunt de tali fami-

lia, matrimonium inire, sed cogantur perpetuam obseruare continentiam? Sanchez de matrim. l. 7. disput. 1. nu. 8. affirmat, & adducit pro se Alexand. de Neuo cap. tuas. nu. 17. de sponsal. duorum, & Calderinum ibi, qui referunt Vrbanum V. reddidisse inhabiles ad matrimonium incundum Bernabonē Vicecomitem, & Ducem Mediolanensis status, & liberos eius, cum essent Ecclesiæ rebelles, & quod tunc hinc inde questio agitata fuit de hac Pōtificia potestate, & illi sustinerunt esse Pontifici integrum id præstare. Quia licet matrimonium sit de iure naturæ, ob grauissima tamen delicta impediri potest. Bossius de *matrim.* cap. 11. nu. 32. & 33. valde dubitat, præsertim si matrimonium esset illi personæ, vel familiæ necessarium ad status conseruationem. Tum quia nullus hominum potest alium cogere ad perpetuam continentiam, præsertim si illam non obseruaret, sed sepe in plura peccata contra castitatem caderet, vel ob maximam fragilitatem,

ratem, vel ob vsum, &c. cum dicat Apost. 1. Cor. 7. quod tunc, melius sit nubere, quam vri. Pro hac sententia allegat Bossius, Hériguez, & Bellarminum, qui testantur id nunquã Pontificem fecisse.

9 Sed prima sententia mihi probabilior videtur; quam duplici ratione stabiliò, prima est, quia licet naturæ ius vnicuique matrimonium cõcedat, eo tamen iure potest Pontifex aliquem priuare, & totam illius familiam, reddendo ipsos inhabiles ad cõtrahendum. Sicut enim potest Pontifex ob grauissima delicta illos iure vitæ priuare, quod est maius, ita potest illos eisdem iure contrahendi priuare, ob eadem delicta; & hoc non solum quando filij, vel familia esset consentiens crimini patris, verum etiam si consentiens non esset; quia

si potest ob patris delicta, civilis Respublica, filios innocentes, & totam familiam, perpetua inurere infamia, vt patet ex columna infami, quæ est Mediolani, vbi Chirurgus cum tota eius familia perpetuo infamatur, quia anno 29. pestilentialia, seminauit per ciuitatem, venena; quare id ipsum nõ poterit facere Pontifex quoad matrimonij ius, cum non magis hoc, quam illud extimetur.

Secunda ratio, quia in quibusdam canonibus cautum reperitur, quod incestuosi matrimonium non contrahant; ergo etiam caueri poterit, ne illud contrahant maiora delicta patrans. Ad Pontificem tamen pertinere volo iudicare de delictorum sufficientia, quæ iudicata, illi standum erit.



## Q V A E S T I O II:

*An Princeps saecularis possit impedimenta dirimentia statuere.*

10 **Q**uia Principes saeculares alij sunt infideles, fideles alij, de vtrisque agendum est. Et prius agendus de principe infideli, deinde de fideli. Princeps infidelis alius est Gentilis, alius est Hebraeus (praescindendo à tempore, quia modo hebraei nullum habent Principem sicuti habebant ante Christi Domini aduentum). Dico primò, *princeps infidelis potest in suo dominio, Regno, aut statu statuere, respectu suorum subditorum, impedimenta matrimonium dirimentia.* Hæc conclusio est communis. Ratio est, quia Princeps infidelis potest ea omnia præstare, circa suos subditos, quæ ad illorum rectam gubernationem expedire videbuntur; atqui statuere quod infidelium matrimonia, tali modo fiant, potest ad illorum rectam gu-

bernationem pertinere; ergo poterit princeps infidelis statuere, quod suorum matrimonia subditorum sub tali fiant modo, & si aliter fiant sint irrita; cum enim matrimonium apud infideles sit purus contractus ciuilis, aliorum ciuilium contractuum naturam sapere debet; & sic cum alij contractus possint à principe infideli, nisi sub certo modo, & forma sint, irritari, ita & matrimonium; Hoc eleganter explicuit D. Thom. dist. 34. q. 1. art. 1. ad 4. dicēs. *Personæ illegitima ad matrimonium contrahendam dicuntur ex eo, quod sunt contra legem, qua matrimonium constituitur. Matrimonium autem in quantum est in officium naturæ, statuitur lege naturæ: in quantum est sacramentum, statuitur iure diuino: in quantum est in officium ciuitatis, statuitur lege ciuili: & ideo*

ideo ex qualibet diciturum legum potest aliqua persona effici ad matrimonium illegitima; nec est simile de alijs sacramentis, quæ sunt sacramenta tantum. Et quia lex naturalis secundum diuersos status recipit determinationes diuersas, & eius positium etiam variatur secundum diuersas hominum conditiones in diuersis temporibus, ideo magister ponit in diuersis temporibus, diuersas personas illegitimas suisse. Ex hac doctrina infertur, quod si infideles contraxissent matrimonium cum aliquo impedimento secundum eorum leges, dirimente, si conuerterentur ad fidem deberent iterum contrahere si in eo matrimonio permanere vellent.

11 Dico secundò. Iudæi non possunt impedimenta dirimentia statuere. Ratio est, quia modo Iudæi nec proprium habent principem, nec propriam Rempublicam, sed per orbem vagantur extraneis subditi principibus, ob grauissimum peccatum, quod commiserunt occidendo Christum. Imò nec possunt legi-

bus uti Mosaicis, quæ ad matrimoniales causas spectabant, quia per Christi mortem cessarunt, sicut & omnes leges, & præcepta cerimonialia: unde matrimonium quod sola lege Mosaica irritum erat, modo validum erit. Si tamen Hebræorum Respublica, quæ ante Christi Domini mortem erat, aliquod statuisset impedimentum dirimens, adhuc continuaretur, & matrimonium cum illo factum nullum esset. Aliqui tamen dicent non continuari, quia Respublica illa dissoluta est.

12 Dico tertio. Princeps infidelis non solum potest statuere impedimenta dirimentia respectu infidelium sibi subditorum, verum etiam fidelium subiettorum. Ratio est, quia licet matrimonium fidelium infideli Principi subditorum sit sacramentum, quæ ratione nullam pati potest mutationem, tamen est etiam naturalis contractus, secundum quam rationem sacramento supponitur; & celebrari debet secundum leges locorum, ubi celebratur: Ele-



uauit nanque Christus Dominus contractum naturalem in sacramentum, vnde antequam eleuetur, contractus supponi debet, non supponitur autem nisi celebretur secundum leges locorum, quæ in omnium sententiâ obseruari debent, quando legitimæ, iustæque sunt.

13 Circa Principes fideles fuit. *Glof. cap. si quis ingenuus 29 q. 2.* & multorum Canonistarum sententia, quod Princeps Christianus non possit suis subditis Christianis statuere impedimenta matrimonium dirimentia; eo quod matrimonium Christianorum sit sacramentum, ac proinde extra cancellos potestatis civilis; sed solius potestatis Ecclesiasticæ. Vera tamen & communis sententia est, quæ post alios multos sequitur Sæchez disput. 3. quod Principes sæculares possint talia statuere impedimenta per se loquendo, licet per accidens ratione prohibitionis Ecclesiæ talem potestatem executioni mandare non possint. Ratio desumitur ex verbis D. Thomæ relatis, quia matri-

monium qua contractus civilis est, humanæ subditur potestati, sicut & omnes alij contractus; ergo licet matrimonium qua sacramentum est, civili non subdatur potestati, qua tamen contractus est, subditur, ac proinde Princeps fidelis posset impedimenta statuere matrimonium dirimentia, qua matrimonium contractus civilis est. Nec refert quod Christianorum matrimonium sit sacramentum, quia illa impedimenta non statuerentur qua matrimonium est sacramentum, sed qua contractus civilis est. Dices matrimonium Christianorum ex Christi institutione est sacramentum; ergo civili non subditur potestati. Consequentia probatur, quia per talem eleuationem matrimonialis contractus fit sacer; ergo. Respondetur, quod licet matrimonialis contractus fiat sacer, non tamen à sua extrahitur natura, sed semper retinet quod sit contractus civilis, vt docet D. Thomas in verbis supra relatis. Vbi autem Ecclesia hanc fecerit reservationem, non inueni,

ueni, nec auctores referunt aliquem textum in quo Ecclesia prohibuerit Principibus Christianis, quod non se intromittant in causis matrimonialibus, qua parte matrimonium contractus ciuiliis est. Vnde puto hanc reservationem fecisse communem Ecclesiæ vsu, cui omnino standum est. Sed dices hanc reservationem haberi cap. *tuam* de ordine cognitionis, vbi deciditur causas matrimoniales ad solum Ecclesiæ forum pertinere. Et cap. *multorum* 2. 35. q. 6. determinatur quod causæ matrimoniales ad solos Episcopos pertineant, non ad alios Ecclesiasticos inferiores? Respõdetur quod in illis textibus nulla mentio fit de causis matrimonialibus qua matrimonium contractus ciuiliis est, ac proinde intelligi possunt de causis matrimonialibus qua ratione matrimonium sacramentum est. Sed hoc vteunq; sit, certum modo est Principem secularem non posse se intromittere in causis matrimonialibus, etiã qua ratione contractus ciuiliis est. Vnde nec potest im-

pedimenta dirimentia, nec impedientia statuere, nec relaxare, &c.

14 Sed quæres primò, quanam prohibitio requiratur ad hoc vt Pontifex, vel Concilium generale censeatur impedimenta impedientia, & dirimentia statuere? Pendet huius difficultatis resolutio ex dicendis in tractatu de legibus: pro modo dico nihil peculiare esse circa matrimonium, ac circa alias res vel contractus, vnde eadẽ verba, quæ sunt sufficientia ad alios prohibendos, & irritandos cõtractus, sufficientia itidem erunt ad impediendũ, vel irritandum matrimonium. Vnde sicuti alij contractus nõ prohibentur per verba exhortatoria, sed præceptoria, ita & matrimonium; & sicut alij contractus non irritantur per verba præceptoria, sed debent esse irritantia, annullantia, ita & matrimonium.

15 Quæres secundò, an consuetudine introduci possint matrimonij impedimenta, tum impedientia, tum dirimentia, & introducta, vel consuetudine, vel lege abrogari?

gari? Etiam huius difficultatis resolutio extractatu de legibus peadet, interim tamen dico, nulla consuetudine, nisi cognita, & approbata, saltem tacitè, à superiore potente dicta statuere impedimenta, induci possunt impedimenta. Ratio est, quia nulla prohibitio, aut irritatio induci potest, nisi per eum, qui circa ea iurisdictionem habet. Similiter nulla consuetudine possunt dicta auferri impedimenta, nisi sit cognita, & approbata, tacitè saltem à superiore potente illa auferre, seu abrogare, nisi aliquando per acci-

dens, quando scilicet lex prohibens, aut irritans, opposita consuetudine inutilis efficeretur, aut impossibilis secundum patriæ morem, eo namque casu lex illa cessaret non approbante, imò contradicente Principe, vel Pontifice. Ratio est, quia sicut lex ut validè feratur debet esse communi bono utilis, & secundum patriæ morem possibilis, ita etiam, ut validè perseueret debet continuare in esse communi bono utilis, & possibilis, alioqui nulla erit, sicut à principio nulla fuisset, sed de hac re suo loco.

### Q V A E S T I O III.

*Quot peccata committat qui cum impedimento dirimente contrahit, ubi alia difficultates explicantur.*

16 **C**onueniunt omnes, quod contrahere cum solo impedimento impediendo non dirimente, unum solum peccatum mortale committatur contra Ecclesie prohibitionem. Vnde sola diffi-

cultas est, an contrahere cum impedimento dirimente, unum solum peccatum mortale committatur contra Ecclesie preceptum, an vero duo, unum scilicet contra Ecclesie preceptum, & aliud contra religionem,

gionem, seu contra reuerentiam sacramentis debitam, quatenus sacramentum irritatur.

Prima sententia est, quod duplex peccatum intercedat vnum trāsgressionis præcepti naturalis, quando impedimentum est iuris naturalis, vel præcepti positiui quando hoc iure impedimentum est positum: Et alterum irreligiositatis irritando sacramentum. Ita Ledesma de *matrim.* q. 5. art. 1. diffic. 3.

17 Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Cōtrahentes matrimonium cum impedimento dirimente, vnum tantum peccatum committunt trāsgressionis præcepti humani, vel naturalis secundū quod impedimētum, humanum, vel naturale est.* Sánchez lib. 7. disput. 5. num. 1. & alij communiter. Probatum quia eo casu sacramenti ratio nō irritatur; ergo eo casu nequit esse peccatum irreligiositatis ratione irritati sacramenti. Antecedens ostenditur, quia vbi materia, & forma sacramenti non ponitur, ibi sacramenti irritatio esse non po-

test; sed eo casu materia, & forma sacramenti matrimonij non ponitur; ergo eo casu eiusdem sacramenti matrimonij irritatio esse nō potest. Maior patet, nam irritare sacramentum, nil aliud est, quā illud nullum reddere, quando hic, & nunc validum esse debebat, vt si quis ponat abolutionem, & verba Baptismi supra materiam innepram, vel supra Baptizatum: si ponat supra materiam aptam, sed sine intentione Baptizandi, sed irridendi, si quis confiteatur peccata, & abolutionem recipiat, sed voluntariē indipositus, &c. Minor probatur, nam materia, & forma matrimonij sunt verba mutuum consensum exprimentia; sed hæc eo casu non ponuntur; ergo. Minor probatur, quia eo casu illi consensus nulli sunt, nec sunt materia, & forma matrimonij; ergo.

18 Sed quæres primò, an contrahentes cum impedimento dirimente, à culpa excusentur, si ad id metu impellantur. Certum est in omni sententia, quod si metu in odium fidei incutiatur, vel in

con-

contemptum Ecclesie tale impedimentum ponētis, nullo modo licitum esse cū tali metu contrahere, siue impedimentum sit dirimens, siue solum impediens; vnde deberet ille talis potius mortē sustinere, quam fidem, vel Ecclesie precepta, imò quam minimam Ecclesie ceremoniam contemnere. Ratio clara est, quia hoc est intrinsicè malum, & grauissimum peccatum, vt patet. Certum etiā est, esse peccatum mortale, per metum grauem cōtrahere, quando non incutitur in odium fidei, vel Dei, vel Ecclesie, cum animo consumādi, eo quod, sicuti metus non potest excusare ab ipsa consumatione, cum sit fornicatio; ita neque ab illo animo, cum item fornicarius sit. Si vero quis contrahat cum tali impedimento, cessante scandalo, nullum est peccatum, imò neque veniale si fictio desit; Ratio est, quia tūc metus excusat ab illo externo contractu, ex duplici capite nullo, & ob impedimentum dirimens, & ob metum grauem cadentem in virum constan-

tem. Similiter, si quis per metum cōtrahat matrimonium cum impedimento impediēte, dummodo non incutiatur in odium fidei, Dei, vel Ecclesie, nulla est culpa si vero incutatur animo; & si fictè culpa erit venialis. Ratio est, quia tunc matrimonium nullum est ex metu, nec teneor eo casu ab illo externo actu, qui ad nihilum obligat, abstinere; vnde solum peccatum veniale erit ratione mēdacijs, si mentiatur. Videantur ea quæ diximus disp. 3. q. 9. vbi fusè egimus de matrimonio ex metu celebrato.

19 Quæres secundò, an copula habita inter illos, inter quos est impedimentum dirimens, specialem, & distinctam habeat malitiam, ratione impedimenti, necessario in confessione explicandam? Prima sententia est affirmatiua. Hanc sequitur Henriquez lib. 5. de Pœnitentia cap. 6. num. 3. Nauar. summa cap. 16. num. 3. & alij. Secunda sententia distinguit, vel enim Ecclesia matrimonium interdicit ob motiuum quod spectat specialis virtutis, &

tunc

sunt copula habita inter illos specialem habet malitiam; vel certè matrimonium interdicit ob poenam delicti, vel ad aliquod damnum præcauendum, & tunc copula ob illam prohibitionem, vel impedimentum, specialem non habet malitiam. Hanc sequitur Sanchez lib. 7. disp. 5. n. 7. pro qua nullum refert patronum.

20 Nostra sententia sequenti explicatur cõclusionem. *Copula habita inter illos qui impedimento laborant dirimente, (& à fortiori impediēte) non habet specialem malitiam ex solo impedimento, vel ex sola Ecclesie prohibitione, vel irritatione qua matrimonium inter illos irritatur, sed si aliquā habet aliam malitiam supra fornicationem erit aliunde, ut ex cognatione, voto, ordine, ligamine, &c. nõ præcisè ratione prohibitionis Ecclesie, matrimonium sub irritatione prohibentis. Ita Alcozer summa cap. 20. vbi ob hoc dicit copulam fidelis cum cum infideli non addere nouam malitiam supra simplicem fornicationem.*

21 Probatum primò, præcisa Ecclesie prohibitionem, ne aliqui matrimonium incant, specialis non inducitur malitia in fornicatione, ergo copula inter habentes impedimentum dirimens non affert specialem malitiam in confessione deponendā. Antecedens probatur, quia dū Ecclesia prohibet, vel irritat inter aliquos matrimonium, non ideo ex speciali motiuo prohibet, vel irritat copulam, ponendo illam in speciali vitio, in quo prius non erat; ergo præcisa Ecclesie prohibitionem ne aliqui sub irritatione matrimonium incant specialis non inducitur in fornicatione malitia. Antecedens ostenditur, quia prohibitio de non ineundo matrimonio sub irritatione, est valde diuersa ab hoc, quod est prohibere copulā; alioqui in omni prohibitionem, vel irritationem inter aliquos, malitia noua copulæ inferretur. Prohibet Ecclesia sub irritationem matrimonium inter raptorem, & raptam, & tamen nemo dicit, quod si raptor, raptam cognoscat ipsa consentiēte, quod copula aliā

habeat matitiam à fornicatione ratione impeditenti matrimonij; irritat Ecclesia matrimonium inter liberum, & seruum quando seruitutis conditio ignoratur, & tamen nemo dicit, quod fornicatio inter liberum, & seruum ex tali prohibitione, distinctam habeat malitiam. Reddidit Ecclesia inhabilem ad matrimonium cum quacunq; Barnabonem Vicecomitem, Mediolani Ducem, cum omnibus eius filijs, & tamen nemo dicit quod fornicatio Barnabonis si quam commisset & filiorum eius cum quacunq; distinctâ specie haberet malitiam, præcisè ratione illius inhabilitatis. Nemo tandem dicere rationabiliter potest, quod Sacerdotis, vel religiosi fornicatio, vel etiâ coniugati, specialem habeat malitiam in confessione deponendam ratione impeditenti dirimentis quod in illis reperitur, nec puto vllum vquam religiosum, sacerdotè, coniugatum, illam circumstantiam in confessione deposuisse, sed solum deposuisse fornicationem cum circumstantia

personæ, quod scilicet sit religiosus, vel sacerdos, vel cōiugatus, nō vero quod etiam habeat impedimentum dirimens, vel quod peccauerit cōtra castitatem habens impedimentum dirimens matrimonium.

22 Probatut secūdò, quia vt docet D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 1. corpore, simplex fornicatio est copula soluti cū soluta, soluti scilicet à cognatione, à voto, ab ordine, &c. atqui habens præcisè impedimentum dirimens, est solutus, ergo præcisè ratione impeditenti dirimentis, seu præcisè ratione prohibitionis Ecclesie, prohibētis, & irritātis matrimoniū nō fit, quod fornicatio nō fit soluti cū soluta.

23 Per quæ manet exclusio prima sententia cum fundamentis illius. Primum namque fundamentum est, quod eo ipso, quod Ecclesia matrimonium inter aliquos contrahendum dirimit, censetur speciali prohibitione copulā inter illos interdiceret. Hoc fundamentum ex dictis manet exclusum, nam Ecclesia vnum incendit, non aliud; de  
inde

inde dato, quod Ecclesia etiã censeretur copulam interdiceret, adhuc videndum restaret, an hoc faceret ex diuerso motiuo à castitate; si namq; ex diuerso motiuo copulã illã nõ interdiceret, nouã non induceret malitiam, vt patet in omnibus præceptis, quæ ex eodem motiuo procedunt. Atqui in nostro casu aliud nõ reperiretur nisi castitatis, si semel daretur; ergo &c.

24 Secundum fundamentum, quia accessus ad consanguineam à secundo vsque ad quartum gradum inclusiue, nulla alia ratione est incestus, nisi quia Ecclesia in illis gradibus matrimonium prohibuit, & dirimit; ergo ex hoc solo quod Ecclesia matrimonium dirimat, & prohibeat, copula inter illos specialẽ habebit malitiam. Hoc etiam fundamentum ex dictis manet exclusum; nam falsum est accessum ad consanguineam esse incestum ratione matrimonij irritati ab Ecclesia, nam ratione irritationis non habetur incestus, nec incestus est peccatum contra Ecclesiam irritantem, sed est

peccatum ratione consanguinitatis, quam supponit Ecclesie irritatio, vnde antecederet ad Ecclesie irritationem, accessus ad consanguineam incestus est; tum quia omnes incestus in sententia D. Thomæ, Caietani, & nostra, vt ostendimus in tractatu de penitentiã, sunt eiusdem speciei; ergo cum incestus in primo gradu non sit ex Ecclesie irritatione, vt concedunt aduersarij, neque alij erunt.

25 Manet etiam ex dictis improbata Sanchezij sententia, nam licet verum sit Ecclesiam, aliqua statuere impedimenta in penam delicti, vt est raptus, &c. & aliqua statuere simplici prohibitione statuente, & irritante, non tamen vsque modo Ecclesia aliquod statuit impedimentũ ex motiuo specialis virtutis distinctæ ab obediẽtia, in cuius virtute illa statuit impedimenta. Non nego tamen quin Ecclesia possit non solũ distinctè ex speciali motiuo prohibere fornicationem inter illos qui aliquo laborant impedimento dirimente, verum etiam per idem præcep-



tum per quod impedimentū dirimēs statuit, prohibere etiā potuit copulam inter illos, sic impeditos, ex specialis virtutis motiuo, & tunc erit quidē idem præceptum materialiter, sed diuersum formaliter, cum diuersa habeat formalia obiecta, scilicet irritare matrimonium, & prohibere copulam ex tali motiuo, specialis v.g. honestatis, inter consanguineos, & affines.

26 Ex quibus infertur primò contra Sanchez num. 8. incestum esse quidem circumstantiam distinctam à simplici fornicatione necessariò in confessione explicandam, nò ratione impedimenti dirimētis inter consanguineos vsque ad quartum gradum inclusiue, sed ratione obseruantie debitæ inter illos, quæ obseruantia habetur antecedēter ad Ecclesiæ prohibitionem; certè natura ipsa horret talem inhonestatem inter consanguineos, imò etiam inter affines ratione commixtionis carnalis etiam illicitæ; vnde vidi aliquando vnum maximè dolentem, quia accesserat ad vnā, ad quam

eius frater accesserat, & vte ego interrogavi, nihil sciebat de Ecclesiæ prohibitionem; idē audiui de alio qui sui patris cognouit concubinam.

27 Infertur secundò contra eundem auctorem, esse circumstantiam necessario in confessione deponendam, si quis spiritualem cognoscat cognatam, intra gradus prohibitos, non ratione impedimenti dirimētis, sed ratione reuerentiæ spiritualis sacramento debitæ, quæ cum non esset ita determinata secundum se, fuit ab Ecclesia modo infra dicendo, determinata; qua determinatione Ecclesiæ facta, eius violatio specialem inducit deformitatem, quæ ad sacrilegium reuocatur à D. Thom. 2. 2. quæst. 134. art. 10. ad 2. & Caietano ibidem. Idem dic de cognatione legali, quæ ad incestum reuocatur. Ad incestum etiam reducitur copula cum consanguinea sponsæ in primo gradu, non ratione impedimenti dirimētis publicæ honestatis, sed ratione violationis obseruantie debitæ consanguineis sponsæ ex  
spon-

sponsalibus ortæ, & sic ab Ecclesia determinatæ.

28 Infertur tertio, accessum fidelis ad infidelem, ut ad Turcam, vel hebræam, vel etiam hæreticam, non habere specialem deformitatem ratione impedimenti dirimentis, ut vult Sanchez (excipe matrimonium cum hæretica, quod validum est; an vero licitum infra {dicitur,} sed si quam habet, quod est probabilius, desumetur ex quadam iniuria, vel dedecore, quod Christiano prouenit nomini, ex tali commixtione, unde illa circumstantia erit irreligiositatis, vel ratione periculi subuersionis, vel ratione prolis quæ inde oriri poterit, quæ in infidelitate, vel hæresi educabitur. Ob hoc Nu. 25. laudatur Phinees, qui Dei zelo permotus occidit Iudæum cum muliere alterius sectæ scilicet Madianitarum coeuntem: & in legibus Hispaniarum, grauissimæ poenæ hijs imponuntur: nam L. Regia 9. tit. 25. p. 7. imponitur poena mortis Iudæocum Christiana coeunti.

Et L. su. tit. 25. part. eadem, dicitur quod Maurus lapidibus obruatur sicut virgine fidelis coeat.

29 Infertur quarto, quod coitus eunuchi, vel frigidi, quibus matrimonium interdicitur, & cassatur, non habet malitiam ratione prohibitionis, & annulationis matrimonij, ut vult Sanchez, sed aliunde, nempe quia in istis frustratur finis generationis ad quem natura coitum destinauit. Ad quam speciem autem peccati ordinetur fornicatio eunuchi, vel frigidi, & impotentis, est opinionum diuersitas, nam Filiucius to. 1. tract. 10. p. 2. c. 1. nu. 23. putat eunuchi fornicationem aliam non habere malitiam, nisi fornicationis. Sed verior, & communior opinio tenet addere nouam malitiam, quæ reuocatur ad peccatum contra naturam, cum sit frustratio finis, quem natura intendit. Et hoc verum habet etiam in desiderijs internis, nisi sint desideria, quæ à malitia illa contra naturam præscinderent;

vt si eunuchus desideraret habere potentiam qua caret, vt sic fornicari posset.

30 Sed dum sermo est de eunuchis, quæret aliquis an sit licitum Principi, vel Patri eunucare filium, vt suo cantu possit Ecclesiæ melius deservire? Mihi certum videtur non esse licitum filios inuitos castrare, cum per talem castrationem fiat ne sint liberi ad status electionem, nã non possunt amplius statum eligere coniugalem, & necessitantur continentiam seruare, quæ castratis valdè difficilis est, cum ardentius libidine inflammentur, & ad concubitum impatientissimè ferantur. Vnde D. Chrysostomus ho. 63. in Matt. hortatur vt eunuchemur propter regnum cœlorum, & rationem assignas dicit; *Gratias igitur nunc Deo agas. quod cum mercede, atque coronis idem sustines, quod illi sine coronis, ac premio tolerant; imò vero non idem, sed multo leuius; tum quia spe erigeris, & conscientia recti facti, tum quia non ita ingentibus concupiscentiæ*

*fluctibus iactas. Cum ergo isti secundum Chrysostomum iugentibus concupiscentiæ fluctibus iactentur, non possunt ad tantum periculum sine eorum consensu exponi.*

Difficultas ergo præsens procedit dato eorum consensu? Prima sententia negat, quam sequitur Diana post Tannerum 3. p. tract. 5. resol. 98. licet Tannerus etiam oppositam probabilem putet. Hæc sententia etiã mihi probabilior videtur. Sit tamen secunda sententia probabilis, quod fieri possit. Ratio est, quia ad bonum commune spectat, quod etiam sint ex istis eunuchis, qui suo cantu alios alliciant, dulciterque inuitent ad Ecclesias frequentandas, nam pueri non castrati, vix incipiunt benè canere, quod vocem amittunt, illi autem diu retinent, & sic perfecti in cantu fiunt. Magis haberet hæc sententia verum in casu, quo puer factus eunuchus non solum se ipsum, verum etiam proprios ex cantu alere posset parentes, vt experientia docet.

cet. Vnde hanc sententiam non solum sustinet Salonius apud Dianam supra, verum etiam plures moderni, & ita practicatur.

31 Sed petes, an eunuchus, qui occultè, sed sponte se castrare fecit, sit ab Episcopo dispensabilis, vt ad sacros Ordines promoueatur? Certum est, quod qui castratur, seu euiratur antequam vsum habeat rationis, non fiat irregularis; cum tunc in sui euirationem, seu castrationem non consentiat. Verius etiam mihi videtur, quod euirantes, seu castrantes fiat irregulares ratione voluntariæ mutilationis membri satis principalis, ac proinde etiam qui se faciunt voluntariè castrare fient irregulares, licet Tamburrinus in Decal. par. 2. lib. 6. §. 1. post Castrum Palaum non improbabiler teneat, quod qui se castrare facit non fiat irregularis. Rationem assignant, quia id non facit ex indignatione aut iusto, vel iniusto timore perdendæ castitatis, prout requiritur ad irregularitatem hæc à sacris canonibus. Tum

etiam quia nullus textus hæc poenam indicens loquitur de eo, qui sibi testiculos abscindit, sed de eo, qui sibi virilia abscindi fecerit, idem fortè dicerent de castrantibus. Sed quod dixi verius est, negari nanque non potest quod ambo testiculi non sint membrum satis principale, & sic ex hoc saltem iuris capite irregularitas inducitur. Difficultas solum est, an hæc irregularitas sit dispensabilis ab Episcopo per potestatem sibi à Tridentino concessam super irregularitate ex delicto occulto, illa excepta quæ est ex homicidio voluntario? Aliqui negare videntur, quia licet delictum occultum sit, euiratio tamen publica, & patens est. Nihilominus affirmatiua sententia quæ tradit Auila disp. 3. de irreg. dub. 3. concl. 2. Gerunda de Episcopatu l. 2. disput. 5. c. 3. nu. 21. & alij, verior est. Ratio clara est quia ad hoc vt Episcopus valeat dispensare in tali irregularitate sufficit, quod delictum occultè factū sit, licet postea publicetur, alioqui Concilium dum ta-

lem

lem facit Episcopo facultatem, parum, aut nihil concederet, cum frequenter oculatissima delicta publicentur.

32 Sed huius occasione non grauabor hic apponere dubium de quo paucis ab hinc diebus fui interrogatus, an scilicet qui sibi voluntariè facit solum vnum testiculum auferri, fiat irregularis. Respondi negatiuè, ratio est quia vnus testiculus non est membrum propriè dictum, sed dimidium membri; ergo eū iura irregularitate afficiant mutilantes membrum, de integro, & perfecto membro, non de imperfecto, & dimidiato intelligi debent. Ob hanc rationem consului aliquando non esse irregularem abscindētē pollicem, quod docet Bonaci. de censur. disp. 7. q. 4. punc. 8. n. 8. Sayrus l. 6. c. 15. n. 15. alios referēs, Auliz, Fernandez, Filliu. Moli-

na, & alij quos refert, & sequitur Diana 2. p. trac. 15. resol. 20. quibus adde Baunium de irreg. c. 15. qui omnes pro ratione assignant, quia pollex non est perfectum membrum, cum non habeat distinctum, & adequatum, se solo, officium. Potest etiam hoc confirmari ex notabili penultimo Clem. si furiosus, de homi. & Bart. L. 2. nu. 13. ff. de publ. iudic. vbi obseuat secundum leges digitum appellati partem membri. Idē docet Panorm. c. 1. qui Cleri. nu. 10. & cap. cum illorum, de sent. excommu. num. 8. Felin. super Clem. si furiosus, in fine. n. 3. Gund. à Villadiego apud Molinam to. 4. disp. 69. Naua. c. 27. nu. 206. Couar. Clem. si furiosus p. 3. nu. 8. & alij; ergo cum eadem ratio sit de vno testiculo tantum ac de pollice, idem asserendum erit.



Q V A E S T I O I V.

Quando error personæ, matrimonium dirimat,  
ubi de errore qualitatis eiusdem personæ.

33 **E**rror ab ignorantia distinguitur per hoc quod error ex sui ratione rei supponit cognitionem, non ignorantia, sed solum supponit scientiæ negationem: unde ignorantia tollit voluntarium, cum voluntarium sit, ut docet Philosophus 3. Et hic principium in aliquo sciente singularia in quibus est actus, ideo ignorantia absolutè, & simpliciter talis, putat dicitur negationis. Error vero dicitur ignorantia prauæ dispositionis, quia ponit iudicium falsum; approbare namque falsa pro veris error est, ut docet D. Augustinus in Enchir. cap. 13. Quantum autem spectat ad matrimonij impedimentum non refert an sit ignorantia, an error, nam cum matrimonium consensum petat in voluntate, & in intellectu iudicium, & aduertentiam talem consensum

regulante, sequitur quod si in intellectu ignorantia lateat, iudicium falsum sequetur, ac proinde error; & sic vnum pro alio reputatur; tum quia cōsensus in id dirigi non potest, quod ignoratur *L. cum ab eo, § Missam. ff. de contra. hen. empt.* Quia tamen iudicium falsum quando adest, est causa proxima contractus, & ignorantia, quæ à iudicio falso supponitur, remota, congruentius tale iudicium dicitur error, quam ignorantia: unde omnimoda circa personam ignorantia, non est propriè error personæ, sed illa quæ aliquam personæ, vel conditionis, vel qualitatis illius supponit cognitionem; qui enim nunquam audiuit Regem habere filiam, non potest errare in persona, nubendo alicui, putans esse Regis filiam. *Soc. dist. 30. quæst. 1. art. 1.*

34 Error quadruplex est, vt tradit magister 4. dist. 30. c. 1. & scholastici omnes cū ipso scilicet personæ vt cum vna persona pro alia supponitur, vt cum Lya, pro Rachellæ, Iacob, supposita fuit; qualitatis, vt cum quis credit se contrahere cum pulchra, nobili, virgine, &c. & est deformis, plebeia, corrupta, &c. Conditionis feruilis, vt cum quis putat se cōtrahere cum libera, & est serua. Et fortunæ, vt cum quis putat contrahere cum diuite, & est pauper.

35 Quilibet ex istis erroribus est duplex, sicut & ignorantia, vt tradit D. Tho. 1. 2. q. 6. ar. 8. scilicet antecedens, & concomitans; antecedens error ille dicitur, qui à legistis vocatur dans causam cōtractui, eo quod causam præbet ad contractum faciendū, quo non existente contractus nequaquam fieret, atque ita facit iste error, quod actus, seu consensus sit inuoluntarius, & nullus. Error concomitans, qui à legistis dicitur incidens, ille est qui ad volendum, ad contrahen-

dum non inducit, sed taliter actum concomitatur, vt si talis error non existeret, quia si res vt vt est sciretur, adhuc actus poneretur. His positis, conueniunt omnes errorem personæ non solum antecedentem, verum etiā concomitantem matrimoniū cassare. Ratio est, quia vterque error voluntariū aufert, quod error antecedens voluntarium auferat patet, quia sine eo contractus factus non fuisset; quod autem error concomitans matrimonium annullat, ostenditur; quia vt matrimonium validum sit, requiritur de necessitate consensus, & voluntas positua, sed error cōcomitans quamuis actum non efficiat esse inuoluntarium, non facit tamen esse voluntarium. Vnde matrimonium nullum esset, etiam si quis sic contraheret, *si nossem hanc esse Bertam illam ducerem*. Si autem sic contraheret, duco te quamuis non sis Berta matrimonium teneret quia tunc consensus habet in hanc personam quæcunque illa sit de presenti, in primo autem casu

su nequaquam. Et hoc verum testis quamvis error concomitans sit fatuus, & crassus ut bene advertit Sanchez lib. 7. disput. 18. nu. 7. quia semper saluatur hoc, quod licet talis error non faciat matrimonium inuoluntarium, non tamen facit positivè voluntarium; hoc enim est proprium erroris, & ignorantiae concomitantis, ut traditur cum D. Thoma supra, quod non faciat, nec voluntarium, nec inuoluntarium. Est etiã certum, matrimonium contractum cum errore qualitatis, & fortunæ, per se loquendo validum esse, cum in hoc casu error non versetur circa substantiam, sed circa accidentia matrimonij, & circa eandem substantiam verus, ut suppono, supponatur consensus: posset quidem Ecclesia si vellet etiam hoc matrimonium irritare.

36 Sed quæres primò, quo iure error personæ dirimat matrimonium? Prima sententia est matrimonium solo Ecclesiastico iure esse irritum. Hanc tenet Glos. 29. q. 1. ex qua infert integrum esse Põ-

tifici hoc impedimentum auferre, & tunc matrimonium cum tali errore validum foret.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Error persona suæ antecedens, seu concomitans, suæ vincibilis, seu invincibilis sit, suæ etiam crassus, & fatuus iure natura matrimonium dirimit.* Hæc conclusio est omnino certa, & communis, quam tradunt omnes, ut videre est apud Sanchez supra nu. 12.

37 Probatur primò, ratione desumpta ex cap. unico 29. q. 1. quia qui cõtrahit matrimonium, non intendit cõtrahere, nisi cum illa quam habet in animo, non cum illa quam præsentem habet, si diuersa sit ab illa, quam in animo habet; sed qui contrahit cum aliquo, ex dictis in conclusione, erroribus, non contrahit cum illa, quam habet in animo; ergo matrimonium non facit, & hoc re ipsa ex defectu sufficientis consensus, ac subinde naturæ iure. Maior patet, quia cum matrimonium indiuiduas respiciat personas mutuam cor-



porum faciētes traditionem, non censetur fieri cum quacunque, sed cum illa quam habet in animo, nullus namque censetur sui corporis dominium cuiunque tradere, sed illi de qua deliberavit, ac proinde quam habet in animo, alioqui subire posset onus importabile contra eius voluntatem. Minor probatur, quia quilibet ex illis erroribus est circa substantialia, seu circa corpora tradita; quod est idem ac dicere consensum non esse de ea traditione, quæ prius præcognita fuit, sed de alia non præcognita, ac proinde contrahere cum aliquo ex dictis erroribus non est contrahere cum illa, quæ prius erat in animo.

38 Probatur secundò, error suapte natura libertatem aufert; ergo etiam consensus, ac proinde matrimonium per errorem celebratum nullum erit, naturæ iure. Consequentia tenet, quia ubi non est libertas, ibi consensus sufficiens ad matrimonium, & ad quemcunque consensum esse non potest, cum

de ratione matrimonij, & cuiuscunque contractus, sit libertas; nullus namque alteri obligatur nisi volens. Antecedens ostenditur ex *L. si per errorem. ff. de iurisd. omni. iud.* ubi clare, & rotundis docetur verbis, quod contractus per errorem celebratus, libertatem non habeat; & *L. cum testamentum, & L. non idem. C. de iuris, & facti ignor.* dicitur, quod errantis nulla sit voluntas, & consensus. Et ratio est, quia nullus consentit in id quod ignorat, cum voluntas in incognitum non tendat.

39 Sed obijcies primò, propria sententia, quia qui Baptismi, vel Confirmationis, vel Pœnitentiæ, vel aliud quodlibet ministrat Sacramentum, validè ministrat, licet erret in persona cui ministrat, unde de sacramentis ingenere diximus validū esse Baptismum si quis putet baptizare Petrum, & sit Paulus, putet se baptizare filium, est filia: quis putat absolueret Petrum, & est Paulus, &c. ergo etiam quis validè contrahet matrimonium etiam si pu.

putet illam esse Bertam, cum sit Titia? Respondetur concedendo Antecedens, & negando consequentiam; ratio discriminis est, quia sacramentorum minister non alligat suam intentionem ad personam, sed ad illum qui sibi præsens est, quicumque ille sit, at vero qui matrimonium contrahit, alligat suam intentionem ad illam, quam mente concepit; unde cum errore personæ cum qua re ipsa contrahit, non habet intentionem re ipsa contrahendi, nec talem intentionem habere obligatur, ut obligatur habere, qui cetera administrat sacramenta; sicut enim contrahenti liberum est nolle cum vlla contrahere, & velle cum aliqua, ita liberum ei est, nolle cum hac determinatè, quæ re ipsa præsens est, contrahere, sed cum illa quam mente concepit. Quod si contrahens haberet intentionem contrahendi cù præsentem quæcunque illa sit, verum faceret matrimonium ut diximus n: 35. sicuti e contra, si alia administrans sacramenta suam alligaret in-

entionem ad personam quâ mente concepit, sacramentum non fieret, si illa non esset.

40. Obijcies secundò, error personæ circa alios contractus minime illos vitiat, siue error sit circa personam cum qua contrahitur, ut si vendam rem Petro existimans esse Paulum; siue circa rem venditam, ut si venditor emptorem decipiat dicens vinum esse Albanense, cum sit Ripensæ, dummodo utrumque vinû sit æquè bonum, & æquè utile; ergo etiam matrimonium validum erit cum errore personæ, dummodo illa quæ subrogatur sit æquè bona, & æquè utilis? Respondetur magnam differentiam esse inter ceteros contractus, & matrimonium, nam ceteri contractus cum ex iustitia pendeant commutativa solam respiciunt æqualitatem rei ad rem, seu præteritium, & quod res venalis, sit utilis, & commoda emptori, unde alij contractus sufficenter saluantur, quando servatur æqualitas rei, & præteritij, etiam si in substantia erretur, dum.

dummodo res quæ substituitur sit æquè utilis, ac commoda emptori; unde contrahentium intentio censetur ferri in rem præsentem, non in illam, quam mente conceperunt. Secus in matrimonio, cum ex sui natura indiuiduas respiciat personas cum quibus mutua sit corporum traditio, non censetur, nisi aliud exprimat, intentio ferri in personam præsentem, etiamsi æquè bona, utilisque sit, sed in illam quam quis mente concepit, quod si quis intentionem haberet contrahendi cum præsentem quæcunque illa sit, matrimonium teneret. Similiter si in alijs contractibus quis suam alligaret intentionem ad rem determinatam in indiuiduo, vel in specie, non fieret in foro conscientie contractus, si indiuiduum, vel species mutarentur. Unde si quis consentiret in equum A. contractus non fieret, si supponeretur equus B. si quis consentiret in vinum Albanense quale, non fieret contractus si supponeretur vinum Ripense, sed quoad contractus, talis ut

dixi, non supponitur intentio, sed sufficit quod saluetur causa motiua, ut scilicet res fiat æquè utilis, ac commoda emptori, etiamsi substantialiter varietur; licet quando substantia variatur, locus detur rescissioni contractus, ut suo loco dicitur.

41 Hinc obiter inferes primo, validam esse donationem, quam quis facit Titio, quem falso credit eius esse cognatum, licet posset talis donatio iuris beneficio rescindi. Ratio est, quia saluatur sufficiens intentio donandi, quæ ad Titium refertur. Si vero quis donaret 100. Titio, putans Titium esse Caium, nulla censeretur donatio. Ratio est, quia donans non habet intentionem donandi cui libet præsentem, sed Caio, & ad illum donans suam dirigit intentionem; ex communi namque donantium sensu, intentio donandi non est vniuersalis ad quemcunque præsentem, sed est restricta ad Titium, Caium, Ioannem, &c. licet aliunde error esset in qualitate personæ, quia scilicet putatur cognatus, & non est; nisi illa personæ qualitas esset

esset causa motiua donandi, quia donatio nulla esset ex defectu cōsensu, qui sub illa causa motiua positus est, qua non consistente, nec cōsensu consistit.

42 Hinc inferes secūdò, de cōsistētiā illius difficultatis, quā multi proponere solent, & à suis non explicant fundamētis, an scilicet eleemosyna facta ficto pauperi inualidè, vel validè detur? Nam cum eleemosyna sit liberalis donatio data ad subleuandam petentis indigentiam, videtur non sufficienter saluari, si talis non adfit indigentia, de ratione namque eleemosynæ videtur, quod sit pauperem respicere, cum eleemosyna esse nequeat, nisi vbi indigentia ratio reperitur; ob quod aliqui volūt teneri istos simulatos pauperes ad eleemosynæ restitutionem. Nihilominus probabilius est eleemosynam validè dari ficto pauperi, quia in tali datione sufficienter dantis intentio saluatur, intentio namque dantis, non est dandi vero pauperi, si enim hanc determinatam haberet intentionem,

eleemosyna validè non daretur, & restitutioni obnoxia esset, sed dantis intentio cōmuniter est dandi eleemosynam huic homini, quem credit esse pauperem. Ex quibus patet non teneri ad restitutionem illos, qui falsas narrant benefactoribus indigentias, vt sic extorqueant eleemosynam, quia tunc benefactores dant eleemosynam, quia credunt petentes, vel illos pro quibus petitur tali laborare indigentia, non quia verè laborant; si tamen benefactores talem darent eleemosynam ex præciso indigentia motiuo, ita quod illa indigentia sit causa nō impulsiva, sed verè motiua, sine qua verè eleemosyna data non fuisset, teneretur qui eleemosynam accepit ad restitutionē illius. Aliqui saluant eleemosynæ validitatem in casu, quo paupertas fingitur, & falsæ narrantur indigentia, quia tunc saluatur illa datio ex motiuo charitatis, quo mouentur benefactores; dant namq; eleemosynā principaliter ob charitatem: si ita esset, verum haberet hæc doctrina, sed non sem.

semper verum habet, nam illi qui sunt in peccato mortali proprium charitatis motuum habere non possunt, cum charitatis motuum non habeatur sine charitatis actu, qui in homine in mortali existente esse nequit; sed per charitatem volunt fortè compassium quandam amorem.

43 Quæres secundo, an error qualitatis irritet aliquando matrimonium? Est certum, ut diximus post huius quæst. principium, quod error qualitates præcisè matrimonium non irritat; cum enim matrimonialis contractus circa qualitatis non versetur, sed circa substantiam, seu circa personas ipsas contrahentes, sequitur quod etiãsi circa qualitates erretur matrimonium teneat, tunc enim etiãsi qualitas habeat aliqualem causæ motiue, vel finalis rationem, non potest tamen facere matrimonium inuoluntarium, nisi secundum quid, cum essentialem, & necessarium non impediatur consensum. Dixi quod error qualitatis præcisè non irritat matrimonium, nã si qualitas addatur per modum

conditionis, & illa non adfic, matrimonium est nullum, ut si dicatur, *contraho tecum si diues es, &c.* De qua re legimus disp. 3. q. 10. per totam. Irritat etiam error qualitatis matrimonium, quando error qualitatis transit in errorem personæ. Difficultas est, quando error qualitatis censetur in personæ errorem transire? De qua re varij varia dicunt, ut videre est apud Sylu. v. *matrim.* 8. num. 1. dicto 4. Rosellam v. *impedimētum* 2. Sotum 4. dist. 30. q. 1. art. 1. & alios, quibus relictis cum parum ad rem deseruiant, sequentè statuo regulam ad id cognoscendum omnino certo, & ad id cognoscendum probabiliter.

44 Tunc qualitatis error redundat in errorem personæ, quando qualitas illa contrahentis determinat intellectum ut certam ac determinatam concipiat personam cum qua hic, & nunc contrahere intendit, & est distincta ab illa, cum qua externum celebrat contractum. Ratio est, quia errorem qualitatis in errorem personæ redundare,

re, nil aliud est, quam quod error qualitatis in personæ errorem inducat: & hoc fit in regula dicta. Hæc regula ut patet, omnino certa est. Statuo aliam ad idem probabiliter dignoscendum: Quoties quis dum contrahit, ita à qualitate, circa quam errat, mouetur, ut ob illam consentiat, ita quod si circa qualitatem non erraret non contraheret; Ratio est, quia eo casu qualitas habet veram, & propriam rationem causæ motiue. Hæc regula valde probabilis est, quia tunc illa qualitas non facit solum inuoluntarium secundum quid, sed simpliciter, quia tunc contrahens non aliter consentire vult in substantiam, vel personam, nisi quatenus illa qualitate vestitur, & ita docet Pōtius lib. 4. cap. 21. contra Sancium lib. 7. disp. 18.

45 Hinc desumitur illius difficultatis resolutio, quam proponit Tabienæ v. *impedimentum* impedim. 1. q. 4. nu. 5. quæ suo tempore contigit: nimirum quidam iuuenis petijt ab altero suam filiam secundogenitam eo quod pul-

chra esset, ille negauit, sed promisit illi primogenitam, iuueni ignotam, misit iuuenis amicum ad videndum illam, sed quia deformis erat, pater ostendit secundogenitā dicens esse primogenitam, retulit amicus iuueni, illius foemine pulchritudinem, qua motus iuuenis duxit illam quam deformē inuenit. Dubitatum fuit, an matrimoniū fuerit validum, cum fuerit circa qualitatem, quæ secundum aliquos in errorem substantiæ, seu personæ redundabat, & secundum alios, nō redundabat. Si sequamur primam regulam traditam matrimonium validum fuit, eo quod fuerit dumtaxat error in qualitate, non in persona, cum primogenita iuueni & promissa, & data fuerit, & in illam consenserit, & solum deceptus fuerit in pulchritudine. Si vero sequamur secundam regulam, quod scilicet non consenserit in primogenitam iuuenis ille, nisi data veritate pulchritudinis, certè matrimonium nullum fuisset; licet enim verum sit, quod error qualitatis, seu cō-

ditionis personæ (excipio seruitutem de qua quæst. sequenti) si præcisè accipiatur non tollat consensum, vt si putetur virgo, pulchra, diues, nobilis, &c. cum consensus, vt in plurimum tendat ad substan-

tiam, & personam, & secundo ad qualitatem; tamen quando quis non vult absolute consentire in personam nisi tali conditione affectam, certè matrimonium non fiet.

## Q V A E S T I O V:

*De errore conditionis seruilis, seu de impedimento conditionis seruitutis.*

46 **E**timus q. præcedenti de primo matrimonij impedimento, quod est error personæ, & conditionis, seu qualitatis. Nunc agendū est de alio qualitatis specialis impedimento, quod est error seruitutis. Pro quo aduerte primò, seruos, vt notat Pannorm. in cap. 2. de Iudæis, & Saracenis notabili 1. Glos. ibidem v. *liberi*, esse in duplici differentia, quidem enim dicuntur mancipia, in quos dominus pleam habet dominium, & vt eos vendat, & vt eos quibuslibet occupet actionibus. Alij dicuntur ascriptij, eo quod glebæ seu agro

ascripti sint, quem colere tenentur in domini commodū, & vtilitatem, solum ijs deductis, quæ necessaria sunt ad propriam vitam sustentandā, quorum filij, originarij dicuntur, quia habent perpetuam obligationem colendi domini agros, ad quoscunque deueniant, nec à Domino vendi possunt, & isti cum liberi sint, excepta agi obligatione, matrimonium inire possunt, etiam si talis seruitutis obligatio ab altero ignoretur contrahente, vnde non de istis secundi generis seruis, sed de primi generis, præsens procedit quæstio.

Ad-

47 Aduerte secundo, quod error conditionis seruilis naturæ iure non irritat matrimonium, nisi in casibus in quibus aliæ qualitates irritare possunt ut præcedenti quæstione probauimus. Ita docet Angelicus dist. 36. art. 1. ad 3. Sotus ibidem, & alij communiter. Ratio est, quia hic error est solum circa accidentia, non circa substantiam ac proinde non facit inuoluntarium simpliciter, sed solum secundum quid, respectu obiecti secundarij.

48 Sed dices, quia seruus non habet liberum sui corporis dominium; ergo non potest illud tradere alteri. Antecedens patet, nam dominus potest seruum ab matrimonij usu impedire ob alias sibi datas occupationes, vel etiam ipsum vendendo in alijs regionibus, ad quas coniux non potest eum sequi? Respondetur dominum non habere corporis serui dominium quoad potentiam generatiuam, sed solum quoad opera, & venditionem illius, exigere vero opera, & vendere seruum non opponuntur substantiæ matri-

monij, quia tunc tradetur corporis potestas per matrimonium, spectato seruitutis statu, alias matrimonium naturæ iure irritum esset, etiam inter ipsos seruos, cum illa eadem incommoda etiam inter seruos interuenire possint, quod nemo dicit, cum sit contra cap. 1. 2. & ult. de coniugio seruorum. Vnde sicut matrimonium cum leprosa, vel alia incurabili infirmitate laborante validum est, etiam si & error intercedat, & rarissimus matrimonij usus permittatur, ita & in casu seruitutis, naturæ iure validum erit matrimonium, etiam si rarissimus, ob seruitutem, matrimonij usus, concedatur.

49 Dices iterum, quia matrimonium cum seruitutis errore nullo canone irritum reperitur, sed ubique irritum supponitur; ergo naturæ iure, non Ecclesiastico, vel ciuili? Respondetur verum esse canones supponere, seruitutem ignoratam nullum reddere matrimonium, non tamen dicunt esse validum iure naturæ. Vnde dicendum est, quod hoc matrimo-



nium vel viua voce fuerit irritatum, vel consuetudine legitime introducta, vel etiam aliquo iure scripto, quod tamen perierit. Igitur matrimonium cum seruitutis errore non iure naturali, sed Ecclesiastico irritum est. Tradunt communiter Theologi post D. Thomam 4. dist. 36. art. 1. ad 3. vbi habet: *ius naturale dicitur quod pœna sit pro culpa instigenda, & quod nullus sine culpa puniri debeat; sed determinare pœnam secundum conditionem personæ, & culpæ est iuris positiui; & ideo seruitus, quæ est quedam pœna determinata, est de iure positiuo, & à naturali proficiscitur, sicut determinatum ab indeterminato, & eodem iure positiuo determinatè est factum, quod seruitus ignorata matrimonium impediatur, ne aliquis sine culpa puniatur. Est enim quedam pœna uxoris quod habeat virum seruum, & e conuerso. Vbi ut vides, vult D. Thomas quod ius naturæ matrimonium non irritet, cum ignorata seruitute factum, sed fiat à iure positiuo, licet fundamentum habeat in iure na-*

turali: habet fundamentum in iure naturali quatenus hoc ius dicitur mutuam debiti redditionem, & cohabitationem, quæ difficulter habentur in seruis; determinatur à iure positiuo modo dicto, & deducitur ex cap. 1. 29. q. 2. cum sequentibus, & cap. *proposuit*. de coniugio seruorum. His vt certis suppositis, aliquas circa seruos proponamus difficultates, quas breuiter resoluemus cum non sint grandis momenti & raro occurrere possint, maximè in istis regionibus vbi seruorum paucitas reperitur.

50 Prima difficultas est, an serui contrahere possint eorum dominis inuitis? Sotus in 4. dist. 35. art. 1. dicit, quod matrimonium adeo naturali, diuinoque iure homini competat vt nulla humana lege possit alicui interdici, solus ipse homo potest per votum sibi talem legem imponere; & probat, quia sicut homo naturalem habet inclinationem ad sui sustentationem per cibum, & potum, ita naturalem habet inclinationem ad speciei conserua-

seruationem media generatione; ergo sicuti nulla lege potest quis prohiberi ne cibum, potumque sumat, ut se ipsum conseruet, ita nulla lege quis prohiberi poterit, quin matrimonium faciat, ut speciem valeat conseruare. Vnde assignat Soto differentiam inter libertatem & matrimonium, quod libertas est homini concessa in commodum priuatum, vnde ob aliquam causam potest illa priuari, at vero ius ad matrimonium est datum ob bonum speciei, ac proinde nulla causa, nulla ratione, nulla lege, poterit quis eo priuari. Sed haec sententia supra reiecta est, nam Pontifex potest ex legitima causa, etiam inter personas particulares matrimonium interdiceret. Vnde si Soti doctrina, & ratio vera essent, non potuisset Pontifex impedimenta dirimentia statuere, imò nec posset quis per votum à matrimonio abstinere, cum non possit quis bono communi renunciare, sicuti potest renunciare rei, v.g. libertati, quae in proprium resultat commodum.

Magister sententiarum 4. dist. 36. S. *Quaritur etiam*, docere videtur non posse seruos inuitis dominis matrimonium facere, eo quod cap. vlt. 29. q. 2. dicatur quod matrimonium seruorum sit validum, *per voluntatem Dominorum*. Sed hic textus non probat, ut patet, cum solum dicat esse validum matrimonium per dominorum voluntatem, non tamen quod sit nullum sine dominorum voluntate.

51 Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Serui valide matrimonium contrahere possunt inuitis dominis*. Haec determinatur expresse cap. i. de coniugio seruorum vbi dicitur *seruorum matrimonia non debent ulla ratione impediri*. Teneantur tamen prius domini consensum petere, nisi credant dominum malitiosè esse impediturum. Ratio est, quia hoc exigere videtur reuerentia, quam serui suis dominis debent exhibere.

52 Secunda difficultas an seruus teneatur potius satisfacere domino, quam coniugi? Sunt varia scribentium pla-

placita, aliqui nanque dicunt præferendum esse dominum, alij coniugem, alij volunt esse præferendum qui maiorem patitur necessitatem, & quando vterque æqualem pateretur necessitatem, dominus sit præferendus, alij volunt vxorem. Sed distinguendum puto, nam vel matrimonium in initium fuit ante seruitutem, vel post; si ante, prius satisfaciendum est coniugi rationabiliter petenti; si post, prius satisfaciendum est domino rationabiliter præcipienti, attento coniugio, & hoc indicari videtur cap. 1. de coniugio seruorum, dum dicitur, *quod dominis sint debita exhibenda à mancipio quantumuis matrimonio copuletur*. Ratio vtriusque partis distinctionis desumitur ex illa iuris regula, *qui prior est tempore, potior est iure*.

53 Tertia difficultas, an dominus vendere possit mancipium coniugatum ad partes remotas? Certum est seruum ad partes remotas vendi posse, quando eius vxor potest ipsum comitari,

difficultas est quando vxor non potest seruum maritum comitari? Est etiam de hoc opinionum diuersitas, aliqui namque affirmant id dominum posse, alij negant, alij vero dicunt tunc id dominum posse quando mancipium contraxit sine domini venia, & non posse, quando, cum domini venia contraxit. Ego puto opus esse distinctione data; nam vel seruus fuit in matrimonio antequam seruus fieret, vel post, si primū, non potest dominus seruum vendere ad illas partes ad quas vxor non potest illum sequi. Ratio est, quia tunc vxor cum prior sit tempore, potior est iure, ac proinde ius habebit ne eius maritus ad tales partes vendatur, ad quas non potest illum sequi. Si autem secundum, liberum est domino, ad quas maluerit partes seruū vendere, cum ius domini sit prior, ac proinde potior iure vxoris. An vero maritus matrimonio contracto possit se ipsum vendere, etiam inuita vxore, & contra: distinguendum est, quod scilicet id possit mari-

rus, dummodo ad tales partes non se vendat, ad quas vxor non potest illum sequi; secus si vxor maritum sequi potest. Vxor autem nullo modo se ipsam vendere potest nisi consentiente marito, plura namque permittuntur marito, quæ denegantur vxori.

54 Quarta difficultas, an quando seruus domino sciente, & non contradicente, matrimonium cum libera seruitutis ignara cōtrahit, libertatem consequatur? In Authentica *ad hoc*. C. de latina libertate. Et in Authentica *de nuptijs col. 4.* statuitur quod quando dominus seruum, vel seruam alicui libero tradit, seruitutis ignaro in coniugem tanquam liberum, libertatem consequatur. Modo difficultatur, an eandem consequatur libertatem, quando seruus matrimonium init cū libera seruitutis ignara hoc sciente, & non contradicente domino? Respondetur affirmatiuè quando dominus scit quod seruus facit, & studiosè, ac malitiosè taceat; ita statuitur in citatis legibus,

vbi autem dictæ leges non seruantur, in neutro casu seruus libertatem consequitur, vt patet, cum ex hoc quod seruus matrimonium ineat, liber non fiat.

55 Quinta difficultas, an in casu in quo seruus matrimonium faciens cum libera seruitutis ignara libertatem acquirat, validum faciat matrimonium? Respondetur affirmatiuè. Ratio est, quia licet perseueret seruitus in ignoratiã liberæ, nihil tamen facit, quia iam extincta est, quod autem extinguitur, non potest matrimonium irritare. Henriquez lib. 11. c. 10. Puto tamen etiam probabilem esse. Couarru. 4. Decret. 2. p. c. 3. §. 7. quod non valeat, quia prius est quod matrimonium celebretur, antequam libertas donetur, sed matrimonium celebratur cum adhuc seruitus adest; ergo.

56 Sexta difficultas, an seruus contrahens cum domina fiat liber, & econtra quando serua cum domino? Respondetur negatiuè stando in iure communi, cum nullus textus reperiat in quo

id statuatur. Difficultas est, an iure naturæ, seu an ex vi matrimonij seruus contrahēs cū domina libertatem acquirat? Negat Sanchez lib. 7. disput. 20. eo quod status matrimonialis cum seruitute alterius stare potest, quod colligit ex sacra scriptura Gen. 16. & 21. & ad Gallat. 4. Agar Abrahæ ancilla vocatur, & tamen eius erat vxor; & Aristoteles 1. Polit. cap. 1. refert, quod apud aliquas nationes vxores vt ancillæ habebântur. Sed verius dicendum est cum Basilio Pontio lib. 7. cap. 44. & alijs, quod matrimonium stare non potest inter liberum & seruam, taliter quod eo ipso quod dominus seruam ducit fit libera; & eo ipso quod domina seruam ducit fit liber. Ratio est, quia coniux ex vi matrimonij fit alterius socius,

& eius honore, ac nomine gaudens, & ius acquirat vt fiat vna caro cum altero, quæ stare non possunt cum seruitute; ac proinde matrimonij vi, naturaque sua seruitutem expellere debet; certè ridiculum esset dicere, quod dum seruus dominam liberam ducit, seruus maneat, cum fiat illius caput, iuxta illud Apostoli 1. Cor. 7. *vir est caput mulieris*. Ad illud de Agar patet ex alibi dictis, præsertim disput. 1. quæst. 6. vbi diximus quod Ancillarum nomine, secundæ veniebânt vxores, quæ ad domus gubernationem non assumebantur, nec vocabântur matres familias, nec earum filij instituebantur hæredes, sed solum illis alimenta dabantur. Per quæ patet quid dicendum sit ad locum Aristotelis.



Q V A E S T I O VI.

*De tertio matrimonij impedimento, quod est  
solemne votum; ubi nu. 69. nostra vin-  
dicatur religio, & nu. 80. duopul-  
cherrima dubia inueniuntur.*

57 **C**ertum est votum simplex matrimonium non dirimere, sed solum impedire, vt infra dicitur; vnde solum votum solemne matrimonium dirimere habet; illud autem votum solemne dicitur, quod fit religiosa professione, in aliqua religione à Sede Apostolica approbata, & iuxta talis religionis institutum. Etiam certum est, votum solemne esse impedimentum dirimens, vt tradit Tridentinum sess. 24. can. 9. & habetur in cap. *meminimus*, extra qui clericis, & vouetes. & cap. *unico*, de voto; & ratio clara est, quia æquum omnino videtur quod illi qui statum talem suscipiunt quo mundo moriuntur, quo ab aliorum separantur conuersatione, cum tanta populi admiratione, cælo, & mundo

spectante, profitendo obedientiam, castitatem, & paupertatem, à matrimonio abstineant. Certè magnum oritur in Ecclesia scandalum, si illi qui religionem profitentur, matrimonia inirent. Difficultas tamen non leuis est, quo iure votum solemne matrimonium dirimat.

Prima sententia est, quod votum solemne solo iure Ecclesiastico matrimonium dirimat. Ita Coninchus disp. 31. dub. 6. post Sanchez, & alios quos refert, & est communis sententia PP. societatis, vt defendant eandem esse rationem voti simplicis, & solemnis.

58 Nostra sententia sequenti explicatur cõclusionem. *Votum solemne iure diuino naturali matrimonium dirimit.* Hæc conclusio est expressa D. Thomæ sententia, in 4.

dist. 38. q. 1. art. 3. quæstion-  
 cula 3. vbi sic fatur : omnes  
 dicunt quod votum solemnè fi-  
 cut impedit matrimonium con-  
 trahendum, ita dirimit contra-  
 ctum. Quidam autem assignât  
 pro causa scandalum : sed hoc  
 nihil est, quia etiam votum  
 simplex quandoque scandalum  
 habet, cum sit quodammodo  
 publicum quandoque. Et præ-  
 terea insolubilitas matrimonij  
 est de veritate vitæ, qua non  
 est propter scandalum dimittē-  
 da. Et ideo alij dicunt quod est  
 propter statutum Ecclesiæ ; sed  
 hoc etiam non sufficit, quia se-  
 cundum istos Ecclesiæ posset cō-  
 trarium statuere, quod non vi-  
 detur verum. Et ideo dicendum  
 eum alijs quod votum solemnè  
 ex sui natura habet quod diri-  
 mat matrimonium cōtractum,  
 in quantum scilicet homo per  
 ipsum amittit sui corporis pote-  
 statem Deo illud ad perpetuam  
 continentiam tradens, vt ex di-  
 ctis patet, & ideo non potest  
 illud tradere in potestatem ux-  
 oris ad matrimonium contrahē-  
 dum, & quia matrimonium  
 quod sequitur tale votum nul-  
 lum est, ideo votum prædictum  
 dicitur dirimere matrimonium

contractum. Hæc D. Thomæ  
 elegantissimè, & profundissi-  
 mè. Vnde D. Thomam sequū-  
 tur eius discipuli Capreol. 4.  
 dist. 33. q. vnic. art. 1. concl. 1.  
 Sotus lib. 7. de iust. q. 2. art. 5.  
 & in 4. dist. 38. q. 2. art. 2. Ca-  
 iet. tom. 1. Opusc. tract. 27. de  
 dispensat. matrim. Victoria re-  
 lect. de potest. Papæ. nu. 1. Le-  
 desma 2. p. 4. q. 55. art. 2. Vi-  
 guerius cap. 16 §. 7. Turrecre-  
 mata cap. Præbyteris, dist. 27.  
 Tabiena v. dispensatio, & v. im-  
 pedim. & alij omnes, & com-  
 munitè etiam extranei. Hu-  
 ius sententiæ probatio habe-  
 tur supra disput. 2. q. 5. S. qua-  
 res 1. vbi satis fusè hanc sen-  
 tentiam confirmauimus.

59 Nihilominus vt magis  
 appareat D. Thomæ, & no-  
 stræ sententiæ veritas illam  
 iterum probabimus. Proba-  
 tur primò ex decreto Siricij  
 Papæ epist. 1. cap. 6. & refer-  
 tur cap. si quis sacro, §. velata,  
 27. q. 1. vbi dicitur, *Velata  
 virgines matrimonia contra-  
 hentes, verbo domini, & cano-  
 nica auctoritate sunt separanda.*  
 Vbi vt vides vult Pontifex  
 quod matrimonium virginū  
 velatarum, id est professarum  
 sit

fit nullum, ob quod verbo Domini separandæ sunt. Respondet Coninchus, Gratianum malè referre verba Siricij, quia non dicit Siricius verbo Domini virgines illas forè separandas, sed solum dicit talium virginum complexus legibus, ac Ecclesiastico iure prohiberi, ideoque separandas esse. Sed demus Conincho totum quod vult, adhuc sequitur votû solemne, vt erat, & est modo votû virginum velatarum, iure naturæ, & diuino, non solo Ecclesiastico, matrimonium dirimere, cum enim Pontifex ille definiat illas virgines esse separandas, signum est matrimonium esse nullum, cum Ecclesia perpetuò non separet illos, quorum matrimonium validum, firmumque est, illam autem nullitatem, ob quâ vult Pötifex, quod virgines illæ separentur, nõ definit esse ex solo iure canonico, sed etiã ex alijs legibus, quæ aliæ esse non possunt, nisi lex diuina, & naturalis, nõ enim possunt esse leges ciuiles, nec sunt Ecclesiasticæ tantû; ergo debêt esse naturalis, & diuina,

vnde patet Coninchum, Sanchium, & alios societatis scriptores, qui talem tradunt solutionem *incidere in scillam volentes euitare Charibdim.*

60 Probatur secundo, ex Concilio Tridentino sess. 24. can. 9. vbi dicitur: *si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel Regulares, castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto; anathema sit.* Vbi vt vides Concilium definit matrimonium professorum, & sacris Ordinibus ordinatorum esse nullum, non solum quia obstat lex Ecclesiastica, sed etiam quia votum ipsum obstat. Respondet Coninchus, & alij suæ societatis, Concilium solum definire Ecclesiæ cõstitutionem voto iunctam, inhabiles ad nuptias reddere, per quid autem hoc immediatè fiat, permittit doctoribus disputandum. Sed cõtra, quia Concilium nõ dicit matrimonium Regularium esse nullum, per Ecclesiæ cõstitutionem voto iunctam, sed vult vtrunque, nempe & Ec-



clesiæ constitutionem, & votum, matrimonium irritare, alioquin Cōcilium frustra votum addidisset, si sola Ecclesiæ constitutio matrimonium resolveret. Sed agamus rationibus.

61 Prima ratio est desumpta ex citato D. Thomæ testimonio; quoniam si solemne votum religionis ex se suaq; præcisa natura matrimonium nō dirimeret, sed ex sola Ecclesiæ constitutione, sequeretur, posse Pontificē hanc constitutionem abrogare, & sic possent omnes voto astricti matrimonium inire; sed hoc, inquit D. Thomas, non videtur verum, ergo. Maior patet; nam omnis cōstitutio ab Ecclesia facta, ab eadem Ecclesia valet abrogari, ergo si semel votum ex sola Ecclesiæ constitutione matrimonium habet dirimere, poterit Ecclesia hanc constitutionem auferre, & sic omnes voto solemni astricti possent stante voto, matrimonium & validè, & licitè inire. Minorem ostendo. Nam vt habet Innoc. III. cap. *cum ad monasterium*, de statu Monachorum,

*abdicatione proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa regula monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere; ergo, Respondent communiter Patres societatis concedendo maiorem, & negando minorem, ad cuius ex Innoc. probationem, dicunt, Innocentiū nil aliud velle quam quod Monachus, dum manet Monachus, seu dum retinet votum paupertatis, & castitatis, non possit per Summi Pontificis indulgentiā, licitè quidpiam tanquam proprium retinere, vel possidere, & contra castitatis votum matrimonium inire, vel quicquam aliud facere, id tamen facere poterit si Ecclesia Monachū à monachismo absoluat, & reddat illum sæcularem, tunc enim & proprium habere poterit, & matrimonium inire. Sed demus hanc esse mentē illius Pontificis, & D. Thomæ dist. citata, dum dicunt, non posse Pontificem in voto solemni dispensare, sed solum posse facere, quod in Petro v. g. Monacho vota non maneat, & tunc posse matrimonium*

nium inire, non vero id posse facere stantibus votis; Adhuc nostra ratio in suo robore manet, imò magis confirmata manet; quod sic discurrendo ostendo; nam ideo Pontifex non potest facere, quod monachus manens monachus proprium habeat, & matrimonium ineat, quia hoc suæ non est potestatis, potest tamen facere quod monachus definat esse monachus, auferendo scilicet ab eo, per dispensationem, vota, quibus ablatis matrimonium inire poterit, & proprium habere; ergo signum est, votum solenne castitatis ex se, suaque natura matrimonium dirimere, & votum paupertatis ex se, suaque natura proprietatem destruere. Antecedens patet, nam si esset Pontificis potestatis facere, quod votum castitatis matrimonium non dirimeret, & quod votum paupertatis, proprietatem non destrueret, posset facere quod monachus manens monachus, habens scilicet votum paupertatis, & castitatis, & proprium haberet, & matrimonium iniret; atqui hoc nõ

volunt illi, & benè, cum implicet votum paupertatis cum proprietate, & votum castitatis cum matrimonio; ergo. Certè votum paupertatis de sui essentia omne dominium, & proprietatem abdicat, & votum castitatis omnem concupiscentiæ usum.

62 Secunda ratio ex eodem D. Thomæ testimonio desumpta adsequentem formam redacta, est, quoniam res vni totaliter, & perfectè tradita, alteri nec validè, nec licitè tradi potest; sed qui solemnem in religione facit professionem, perfectè, & totaliter Deo, & religioni se tradit, ergo non poterit postea se eodem modo uxori tradere. Minor certa est; nullus enim alius modus in mundo reperitur, nec reperiri, nec excogitari potest, quo homo perfectiori modo se Deo, & religioni tradat, quam per solemnem professionem. Maior probatur, nam qui rem suam donando, vel vendendo alteri tradidit, non potest amplius eam alteri tradere, & si quis hoc faceret, fur, & latro haberetur,

tur,

tur, & ad restitutionem teneretur: licet enim res promissa, vel vendita traditione non facta, validè alteri tradatur, non tamen traditione sequuta. Similiter qui suum corpus vni foeminae per matrimonium tradidit, non potest amplius eo matrimonio durante, tradere alteri, & si traderet, traditio nulla esset; ergo similiter qui se Deo per solemnia tradidit vota, non poterit se ipsum naturæ iure tradere vxori; vnde sicut naturæ iure, res vni tradita, nō potest alteri tradita, ita, &c. Respondent distinguendo maiorem, res vni tradita non potest alteri tradi, quando traditiones sunt eiusdem rationis, & ordinis, ac proinde inter se se repugnantes, quales sunt illæ, quæ pro maioris probatione adducuntur, sunt enim eiusdem rationis, nempe iustitiæ, concedunt maiorem; quando traditiones sunt diuersæ rationis, & non repugnantes quales sunt traditiones voti, & matrimonij, nam illa est religionis, hæc iustitiæ, negant maiorem. Sed contra

primò, quia omnia vota solemnia sunt eiusdem rationis, vt patet ex citato Inno. decreto; ergo sicut votum paupertatis habet abdicare omnem proprietatem, ita votum castitatis habet abdicare omnem sensualitatis vsū, & sicut non esset votum paupertatis solemnis si vouens, alicuius rei retineret dominium, ita non erit votum castitatis, si quis posset conseruare ius ad aliquem sensualitatis actum, etiam intra matrimonium; ergo castitatis votū stare non potest nec cum sensualitatis actu, nec cū iure ad illū ac proinde neque stare poterit cum matrimonio; vnde dato, & non concesso quod traditio per votum non sit iustitiæ, sed solius religionis, est tamen talis, vt excludat iustitiæ traditionem. nam cum sit totalis, & perfecta, quamcunque aliam traditionem excludere habet; certè non dicetur quis Deo rem aliquam ex religionis motiue consecrare, v.g. calicem, planetam, &c. qui illam alteri venderet. Certè illa oblatio grata Deo non esset,

quæ

quæ ab offerente venderetur? Certè hominis consecratio per castitatis votum Deo non placeret, si adhuc matrimonium iniret, vel inire posset? quid enim offeret ille Deo, qui se Deo solemniter per castitatis votū offeret, si posset matrimonium postea inire? certè omnes vxorati si vera esset opposita sententia, & si Ecclesia non prohiberet possent in matrimonio manere, & se Deo solemniter per religionis vota consecrare? Item si vera esset Iesuitarum sententia non benè fecisset Ecclesia prohibendo vxoratis solemnia vota, sed debuisset non solum illa permittere, verum etiam suadere, imò etiam præcipere, vt sic omnes catholici essent vxorati, & simul religiosi, & sic tota Ecclesia esset religiosorum, & simul vxoratorum congregatio.

63 Tertia ratio; ab eo habet religionis votum vim dirimendi matrimonium post ipsum votum contractum, à quo habet vim dirimendi matrimonium, priusquam votū fiat, contractum, non quidem

consumatum, sed ratum, sed votum solemnè etià per ipsos aduersarios, non habet vim dirimendi matrimonium ratum, prius contractum, iure Ecclesiastico; ergo neque solo eodem Ecclesiastico iure, vim dirimendi habebit matrimonium, postea contractum. Maior videtur clara, nam matrimonium ante votum, & post votum contractum eiusdem rationis est; ergo etiam ius huius, & illius dirimendi eiusdem rationis esse debet. Minorem probat Sánchez lib. 2. disp. 19. vbi fusè ostendit votum solemnè religionis dirimere matrimonium ratum prius factum, nõ iure Ecclesiastico, sed diuino positiuo; & licet nos supra disput. 2. q. 7. ostēderimus votum solemnè, dirimere matrimonium ratum, iure diuino naturali, & hoc idem doceamus hic, tamen desideramus, quod sicut nos in eadem sententia constantes sumus, quod etiam illi constantes sint in sua; & si nobis concedant quod votum solemnè dirimat matrimonium ratum iure diuino, non Ecclesiasti-

co, hoc idem dicant de matrimonio post ipsum votum celebrato; sed vah inconstantia, volunt quod votum factum post matrimonium, iure diuino illud dirimat, & deinde volunt quod matrimonium, factum post ipsum votum, solo humano iure dirimatur; voto solemniter post matrimonium facto vim tribuunt diuinam, & facto ante matrimonium, solum humanam, cum potius appositum dici deberet, quod scilicet votum ante matrimonium factum, & Deo nuncupatum, ab eodem Deo virtutem aliquam habeat conseruandi, & manutenendi hominem in eo statu, impediendo, & dirumpendo omnia alia vincula sequentia, & quod votum post matrimonium factum, præcedens vinculum non soluat; & si volunt hoc, quæso admittant & illud, &c. Præsertim cum maius sit dirimere matrimonium ante contractum, quam contractum postea; vnde videmus, quod sacer Ordo dirimit matrimonium postea factum, non antea celebratum; ergo si vo-

tum solemniter habet vtramque vim, altiori iure illam habere debet.

64 Quarta ratio matrimonium consummatum vi, suaque natura, non Ecclesiastica lege subsequenter annullat professionem; ergo etiam professio, vi suaque natura subsequens dirimere debet matrimonium. Antecedens negari non potest, alioquin sequeretur quod matrimonium consummatum Ecclesiæ potestate solui posset, quod supra improbauimus, & improbant omnes; si enim matrimonium natura sua professionem non dirimeret subsequenter, vnum ex duobus dicere oporteret, vel quod matrimonium cum subsequenti professione stare possit, vel quod dirimeretur non iure naturali, nec diuino sed Ecclesiastico. Consequentia probatur, quia maiorem vim habet professio respectu matrimonij subsequenter, quam habeat matrimonium respectu subsequenter professionis; ergo si matrimonium vi sua, subsequenter annullat professionem, etiam professio vi sua,

sua, subsequens annullabit matrimonium. Antecedens patet, nam professio, præcedens annullat matrimonium ratum, at vero nullum matrimonium, præcedentem annullat professionem.

65 Quinta ratio. Si religiosa professio solum Ecclesiastico iure posterius matrimonium irritaret, sequeretur, quod hoc Ecclesiastico iure sublato matrimonium post professionem celebratum, validum, firmumque esset; atqui hoc absurdum videtur; ergo. Maiorem concedunt aduersarij, minorem negant: quam sic probo. Nā professionis, & matrimonij validitas simul, & respectu eiusdem repugnant; ergo cū tunc matrimonium professionem non casset, cassum irritumque erit matrimonium. Consequētia nota est, si enim semel matrimonium, & professio repugnant, vel vnum debet aliud cassare, v.g. matrimonium professionem, vel professio impedire debet ne matrimonium fiat. Antecedens ostenditur, nam Professus ex vi professionis Præ-

lati subditur iurisdictioni, ratione cuius compelli potest vt castitatem obseruet, & vitam quam professus est teneat; & coniux ex vi coniugij compelli potest vt castitatem non obseruet, sed coniugi debitum reddat, & cum ea cohabitet, ac proinde vt regularem vitam, & obseruantiam non faciat; atqui teneri debitum reddere, & teneri debitum non reddere repugnant; posse compelli ad castitatem obseruandam, & posse compelli ad non obseruandam, sed ad debitum reddendum, ad inuicem pugnant; posse compelli ad regularem obseruantiam, & posse compelli ad cohabitandum cum vxore, simul stare non possunt; ergo.

66 Sexta ratio. Votum solemne castitatis ex diametro pugnat cum matrimonio; ergo ex se, suaque natura dirimit illud. Antecedens probatur, nam de essentia voti castitatis est non solum abstinerere ab actibus venetijs illicitis, verum etiam à licitis; ergo votum castitatis ex diametro pugnat cum matri-

monio, quod ex natura sua admittit actus venereos coniugibus licitos. Consequentia nota est, nam vouere non ducere vxorem, & ducere illam repugnant. Antecedens ostenditur, nam si vouens solemnem castitatem, nō voueret abstinere ab actibus illicitis, & licitis, si de illis cōplaceret, contra castitatem non peccaret; atqui hoc est falsum; ergo. Sed dices vouere quidem professum omnimodam castitatem, non tantum conjugalem, & peccare non solum deſiderādo coniugibus illicita, verum etiam licita, hoc tamen non facit quominus matrimoniū subsequutum sit vi, naturaque sua castum; cum etiam votū simplex castitatis vtrāque afferat abſtinentiam, & tamen matrimonium nō dirimit subsequutum. Nam contra est, quia in voto solenni castitatis, non quoquomodo vtrāque excluditur abſtinentia, scilicet à licitis & illicitis, sed per totalem sui dationē Deo, & religioni, non sic in voto simplici vt mox in solutione primi argumēti subiiciemus.

Soluuntur argumenta in contrarium.

67 Primum argumentum: *Votum simplex castitatis ex se, suaque natura matrimonium non dirimit; ergo neque votum solemne. Antecedens est certum. Consequentiam probant, quia votum solemne nil habet supra votum simplex, nisi solemnitatem; sed solemnitas est ex iure Ecclesiastico, vt dicitur cap. unico, de voto, & voti redemptione in 6. vbi dicitur quod. *Voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesia est inuenta; ergo votum solemne solo iure Ecclesiastico matrimonium habet irritare?* Respondetur concedendo Antecedens, & negando consequentiam, Ad probationem dico Pontificem loqui de solemnitate quadam accidentali, non de essentiali, quam ipsa vota afferunt solemnia. pro quo nota, quod sicut matrimonium, duplicem habet solemnitatem, essentialis, & accidentalem, essentialis est ipsa contractus celebratio, inter personas habiles, vnde tunc matrimonium so-*

lem-

solemnizatur essentialiter, quā-  
 do celebratur; accidentalis  
 est, quando fit tali modo,  
 nempe præmissis denuncia-  
 tionibus, inter personas talis  
 ætatis, tali tempore, &c. Ita  
 religiosa professio duplicem  
 habet solemnitatem, essen-  
 tialem vnā, & accidenta-  
 lem alteram; essentialis tunc  
 est, quando religiosus se tra-  
 dit Deo, & Deus per manus  
 suorum ministrorum talem  
 acceptat traditionem, & cō-  
 surgit contractus onerosus in-  
 ter vouentem, & religionem,  
 quo religiosus suam fidem  
 adstringit Deo, & obligatur  
 religioni, & religio ipsa, Dei  
 nomine, religioso obligatur,  
 ad retinendum eum siue sa-  
 num, siue infirmum, & alen-  
 dum omni tempore, & cu-  
 randum, & tractandum illum  
 secundum religionis institu-  
 tum, ad quod requiritur non  
 solum religiosi traditio, ve-  
 rum etiam Dei acceptatio; &  
 tunc quando hic contractus  
 sic celebratur, solemnizari  
 dicitur. Quod vt magis in-  
 telligas aduerte differentiam  
 inter votum solemnne, & sim-  
 plex, quod votum simplex

non affert traditionem, sed  
 solum simplicem affert pro-  
 missionem, non transfert vo-  
 tum simplex vouentis domi-  
 nium in Deum, sed vouenti  
 relinquit illud. At vero vo-  
 tum solemnne totalem facit  
 sui in Deū translationem, nul-  
 lum relinquendo vouenti sui  
 dominium. Ratio horum est,  
 quia licet Deus se solo acce-  
 pteret promissionem, non ta-  
 men se solo acceptat alicuius  
 rei dominium, sed solum per  
 manus deputatorum homi-  
 num. Vnde si quis velit trās-  
 ferre sui equi dominium in  
 Deum, & nullus sit qui acce-  
 pteret illum nomine Dei, ille  
 equus quoad dominium bas-  
 sum iustitiæ commutatiuæ,  
 non transferretur in Deum,  
 sed manebit prioris domini,  
 licet Deus conseruet semper  
 Dominium vniuersale, quod  
 habet in omnes res, ratione  
 creationis, & conseruationis;  
 quod si fit aliquis à Deo de-  
 putatus qui equum acceptet,  
 transferretur illius dominium  
 particulare in Deum. Imò  
 addo non posse Deum se solo  
 acceptare religiosi traditio-  
 nem; rationem assigno, quia



cum in hac traditione, & acceptatione, contractus interueniat onerosus, tradentis, & acceptantis consensus, humano modo exprimi debet, quod facere non potest Deus se solo, benè autem medio suo ministro, at vero simplicem promissionem acceptare potest, cum hæc ex parte acceptantis nullâ ponat obligationem, quæ innotescere debeat promittenti. Hinc habes quomodo per votum solemne, homo non solum ex religione obligetur Deo, vt fit in simplici promissione, sed ex iustitia, & ex vero pacto, vt patet ex dictis. Est deinde alia solemnitas accidentalis ex Ecclesiæ instituto, quod scilicet talis traditio, & acceptatio non fiat, nisi per personas religionis approbataz, & nisi ab habentibus, talem, vel talem conditionem, supposito nouitiatus anno, &c. quæ duæ solemnitates, essentialis, & accidentalis, in voto simplici non reperiuntur, vt ex dictis liquet: videantur ea quæ diximus disput. 2. q. 5.

68 Secundum argumen-

tum; si solemne votum castitatis ex se, suaque natura matrimonium dirimeret, omni tempore diremisset; atqui nõ semper diremit; ergo ex se, suaque natura non dirimit. Maior clara est. Minorè probant ex S. Cypriano epist. 11, ad Pomponium, quæ in ordine est 62. vbi de Virginibus Deo per professionem dicatis loquens dicit: *si autem perseuerare nolant, vel non possunt, melius est vt nubant, quam in igne delictis suis cadant.* Vnde in primitiua Ecclesia, antequam professionis solemnitas ab Ecclesia institueretur egrediebantur religiosi à religione, professione facta, & vxorabantur; nec ante Cælestini III. tempora cap. *rursus*, qui cleric. vel vouent. & Alexand. III. cap. *insinuante*, & cap. *meminimus*, eodem tit. audita fuit distinctio voti solemnitis, & simplicis, quod clarum signum est, rationem solemnitatis ab Ecclesia fuisse inductam, & ante illam stare potuisse professionem, cū matrimonio? Responderetur concedendo maiorem, & negando minorem, Ad probationem

cx

ex S. Cypriano patet non loqui de virginibus professis, sed de illis, quæ ad monasteria ducebantur, ut periculum facerent de illius religionis austeritatibus, ut sic viderent, an perseverare vellent, vel non; & correspondebat illud probationis tempus nostro Novitiatu, vel Tirrocinio Societatis. Nec verum est, quod antequam Ecclesiæ solemnitas institueretur, religiosi verè professi, egredierentur, & vxorarentur, sed solum illi qui ad monasteria ibant, ut ibi ad tempus manerent, ut de spiritali vita instituerentur, & sic instructi ad sæculum reverterentur; vel qui ad monasteria ibant animo profitendi, sed periculo facto de asperitatibus revertebantur. Est etiam falsum quod ante tempora Coelestini, & Alexand. non esset distinctio voti solemnitis, & simplicis; nam non solum post Christum Dominum fuit in Ecclesia vera religio, & votorum solemnium nuncupatio, verum etiam ante tempora Christi, fuit namque in veteri lege vita religiosa ab Elia Propheta in Monte

Carmeli incepta, quam sequuti sunt filij prophetarum usque ad tempus S. Ioan. Baptistæ, Iesu Christi, & Apostolorum, ut habemus in officio solemnitis B. V. Mariæ de Monte Carmelo approbato sub Paulo V. anno 1609. in quo dicitur: *Viri plurimi qui vestigijs Sanctorum Patrum Prophetarum Elia, & Elisei institerant, & Ioan. Baptista præconio ad Christi aduentum comparati fuerant, rerum veritate perspecta, atque probata, Evangelicam fidem, confestim amplexati sunt, ac peculiari quodam affectu Beatissimam Virginem (cuius colloquio, & familiaritate feliciter, frui potuerunt) adeo venerari cæperunt, ut primi omnium in eo Montis Carmeli loco, ubi Elias olim ascendente nebulam Virginis typo insignem conspexerat, eidem purissima Virgini sacellum construxerint, &c.* Viuebant autem Carmelitani ante Christi D. aduentum & etiam post, sub observantia Regulæ ab Elia traditæ, quæ consistebat in 13. capitibus, quæ reperiuntur apud N. P. Thomam à Iesu in Comm. nostræ Regulæ.

Anno autem 455. Caprasius Montis Carmeli Abbas ( sic enim vocabatur tunc temporis Generalis superior) vt perfectius suos instrueret religiosos petijt à Io: 44. Hierosolymorum Patriarcha viuendi formulam, iuxta normam antiquorum Patrum Elia, & Elisei, & secundum doctrinam Iesu Christi, & Apostolorum, cui annuens Patriarcha composuit lib. cui titulus est *de institutione monachorum in lege veteri exortorum, & in noua perseverantium ad Caprasium Eremitam Montis Carmeli, &* habetur in Bib. vet. PP. Bene verum est. quod cum Ioannis Regula esset nimis longa petierunt Carmelitæ aliam breuiorem ab Alberto Hierosol. Patriarcha, & est illa quã modo obseruamus.

69. Per quæ patet non bene Patrem Bordonum lib. de Præcedentia, & Maioritate q. 107. 129. & alibi dicere de nostra Religione, quod cæperit anno 1160. quod caruerit regula vsq; ad anas 1226. quod nos Discalceati præcedentia careamus, præsertim in Processionibus, eo quod

ad illas non eamus, hoc inquam non bene dicitur, quod vt ostendam, licet sit aliquo modo extra chorum saltare.

70 Dico primò. *Sacra Carmeli religio, in eodẽ sancto Carmeli Monte sub Magno Propheta Elia instituta duxit.* Probatur primò, quia in lege veteri vera fuit religio sub Elia Propheta vt obseruat Bellarminus lib. de Monac. cap. 5. & cõtrouersitæ, vt ostendant contra hæreticos, religionem non esse nouum adiuuentum, vt ipsi dicunt, & docet sancti Patres Dorotheus in tom. 7. Bibl. PP. Athan. in vita S. Antonij Abb. Basilus ho. 48. Ephrem. Syrus cap. 90. Nissenus orat. 7. cap. 4. Nazian. orat. 11. contra Arian. Ioan. Patriarcha Hierosolymit. de instit. Monac. c. 2. Hieronym. Epist. 5. ad Paul. Ambros. Epist. ad Vercel. August. ad Fratres in Eremo c. 39. Cassianus lib. 2. c. 2. Paul. Nol. ad Sebast. Histor. trip. lib. 1. c. 11. Isid. Hispal. lib. 2. de offic. c. 15. Damian. tom. 3. opus. c. 2. Rubert. lib. 3. in Cant. cap. 4. Bernardus de vita solitaria. Vuald. lib. 3. art. 1. cap. 4. Cyrillus Cõstant. Epist. ad Euseb.

An-

Antonin. 3. p. tit. 16. S. 4. & alij plures, quos breuitatis ergo omitto, qui omnes fatentur in lege veteri religiosum viguisse institutum ab Elia inceptum, quod postea Ioannis Baptistæ tempore maiorem accepit perfectionem, ac complementum, cum tunc omnium primi edocti, à discipulis baptizati, eorundem discipulorū fuere coadiutores, vt constat ex officio B. M. V. de Monte Carmelo.

71 Probatur secūdo, quia id dicunt Summi Pontifices Ioannes XXII. Iulius II. Sixtus IV. Iulius III. Clem. VII. Gregorius XIII. Sixtus V. Clemens VIII. in suis Bullis, qui loquētes de Ordine Carmelitico dicunt. *Tanquam religionis exemplar speciali claritate fulgente SS. Prophetarum Elia & Elisei, & aliorum Sanctorum Patrum, qui Montem sanctum Carmeli inhabitauerunt, successionem hereditariam tenentes, &c.* Hac de causa Sixtus V. in Bulla eximium approbavit officia SS. Prophetarum Elia, & Elisei, tanquā Ordinis Nostri fundatorum. Et Clem. VIII. non solum in

Bulla in Apostolica dignitatis 1603. hereditariam cōfirmat successionem ab Elia, sed etiā in litteris ad Sciahabam Regem Persarū datis anno 1604 pro nostri Ordinis commendatione, dicit. *Habuerunt olim huius Religionis professores, sicut à Rom. PP. prædecessoribus nostris memoria proditum est sui instituti auctores Sanctos Prophetas Eliam, & Eliseum.* Vnde Antonius Montecasinus Aduocatus Consistorialis corā Urbano VIII. in publico Consistorio pro canonizatione B. Andreae Corsini Ordinis nostri, perorās, fatur. *Et sapienter Andreas hanc sibi præ ceteris religiosam familiam selegit, quæ tam originis antiquitate, quam vel ab ipsis Prophetis Elia, et Eliseo repetit, &c.* Ob hanc rationem Sixtus IV. ad instantiam Christophori Martignoni Carmelitici Ordinis Generalis, confirmauit indulgentias ab alijs Pontificibus ordini nostro cōcessas, qui ante annum millesimum floruerunt, vt Leo IV. Adrianus II. Stephanus V. Sergius III. & alij. Eisdem indulgentias confirmauit Grego. XIII,

in Bulla *vt laudes*, & Paulus V. anno 1609. quod non fecissent si Ordo Carmeliticus anno 1160. incepisset. His addi potest cœlestis reuelatio pluries à S. C. approbata, quæ habetur in officio S. Petri Thomæ Ordinis nostri, lectione 5. vbi sic dicitur. *Cum nocte vna Pentecostes instantissimè de more pro sui Ordinis perpetua cōseruatione. frequētes ad Deū et B.V. preces effūderet, ab ea hoc mirabili responso dignatus est. Confidite Petre, religio namque Carmelitarum in finem vsque saculi est perseueratura, Elias namque eius institutor, iam olim à filio meo id impetrauit.*

72 Probatur tertio, argumento desumpto ex illorum sanctorum officijs, qui tanquā religiosi nostri à tota coluntur religione, Summorum Pontificum ac Eminentiss. Cardin. voto, ac decreto. Sunt autem S. Dionysius Papa, qui floruit anno 272. S. Serapion, qui floruit anno 390. S. Eufrasia virgo, quæ floruit anno 400. S. Eufrosina floruit anno 430. S. Cyrillus Alexand. floruit anno 411. vt notat Baron. in

annot. ad Marty. 28. Ian. Sanctus Gerardus floruit anno 1074. S. Bertoldus an. 1164. patet autem, quod historiae in Breuiarijs contentæ, & approbatae, maximæ sint auctoritatis, cum sint veluti ab Ecclesia canonizatae, cap. *licet causam, de probat.* & cap. *in nostra de testibus.* Rota in vna Cæsaraugustana Cathedralis, coram Coccino, anno 1630. est enim tritum ex Tritemio pronunciatum: *quidquid approbauerit Ecclesia, alterius non indiget testimonio*, ac proinde certissimum erit Carmeliticum ordinem sua habuisse exordia ante annum à Bordonno assignatum.

73 Probatur quarto argumento desumpto ex multorum Conuentuum antiquitate, nō illorum, qui amplius à nostra religione non possidentur, vt erant Conuentus Terræ sanctæ, Cipri, Thebaidæ, Aegypti, de quibus Euandrus nu. 273. Luitprandus *in fragm.* 128. Coira *lib. 1. cap. 15.* & alij. Nec de domo Lauretana, quæ non solum postquā Lauretum translata est, fuit aliquando sub Carmelitarum cura,

cura, sed etiam dum erat in Nazaret. Mantuanus *de domo Lauretana*. Turfellinus in *Lauret. hist.* lib. 2. cap. 5. Pancirolus in *lib. tesori ascosti di Roma*, Bzouius anno 1489. Voertius in *suo Catalogo*. Lezana anno 4052. & alij. Sed illorum qui nunc temporis à nostris Carmelitis possidentur. Conuentus namque Senarum erectus fuit anno 707. vt habetur in *Cron. Petri Lâbuci*, & Orlandi de Maleuoltis, & in *hist. vulgari Dominici Gulielmi Dominicani*, & habetur in instrumento rogato, quod in Conuentu Traspontinæ asseruatur. Conuentus Florentinus cæpit an. 743. vt colligitur ex antiquo marmore in claustro posito cum inscriptione illorum religionum, qui illum fundarunt. Conuentus Sylvarum cæpit anno 804. vt colligitur ex scripturis authenticis illius Conuentus. Lucensis cæpit anno 1002. vt constat ex publicis instrumentis, quæ asseruatur in Cancell. illius Episc. Alios innumeros relinquo, sufficiat isti ad probandum Carmeli-

ticum Ordinem cæpisse ante annum 1160.

74 Probatur quintò argumento desumpto ex scriptorum externorum irrefragabili testimonio, qui rotundis verbis dicunt Carmeliticam religionem ab Elia incæptam hæreditaria successione perdurare. Hi sunt P. Suarez *to. 4. de relig. lib. 1. c. 10.* Sallianus *annalista to. 4. pluribus in locis*. Iacobus Turrinus in *3. Reg. 17.* Sanchez in *c. 17. lib. 3. Reg. 9. 12.* Carmatus in *Eximio opus. cui tit. Elias Testibites*. Bertius Gallus in *hist. de Patriarcatu Elia*. Carolus Tapia in *authentica ingressi*. Petrus Caluus Dominicanus in *defens. relig. c. 13.* Molanus in *Martyr. 28. Iulij*. Beyerlinch in *Theatro vite humana to. 6. v. relig.* & alij innumeri, qui videri possunt in tabula [N. P. Simonis à Spiritu Sancto, vbi etiam refertur] 50. Scriptores ex nostris, qui nostram hæreditariam successionem ab Elia Propheta recognoscunt, quorum testimonij standum est, nullus nanque in iure versatus,

potest in re domestica, tot domesticorū testimonia respicere; ad probanda nanque domestica, domestici testes inducuntur. *Glos. in authent. de monachis S. cogitandum, & Glos. in Lidonei. Federicus Pater, & Filius ff. de testibus. Decius consil. 62. Afflēt. decis. 400. nu. 2. vers. & ideo Monach. Curtius de test. concl. 4. Vide etiam Glos. cap. super precedentia 14 q. 2.*

75 Dico secundò, *nostra religio nunquam regula caruit; ut enim docet Bonifac. VIII. cap. unic. de vito, & viti redemp. & colligitur ex Tridentino sess. 25. de Reformat. c. 1. Religio sine regula esse non potest, dicuntur namq; Regulares ex regula; vnde vbi regula nulla est, nec religio esse potest; vnde non intelligo quod dicit Bodonus, quod scilicet religio nostra coepit anno 1160. & habuit regulam anno 1204. si nanque dicto anno incoepit, vel incipit cum regula, vel sine, si primum, contra se loquitur. Si secundum, contra se etiam loquitur, quia reli-*

*gio incipere nequit sine regula. Benè verum est, quod vt aduertit Petrus de Palude in 4. dist. 38. antequam regulæ, quæ nunc sunt darentur, erat quidam viuendi modus ab Ecclesia approbatus, saltem tacitè, qui idem faciebat, quod nunc facit regula scripta. Nostra ergo religio ante Christi Domini aduentum illam obseruauit regulam, cuius transcriptum reperitur apud N. P. Thomã à Iesu in Comment. Regul. Es continet 13. capita ex præceptis Parentis Eliæ deducta, & ita tradunt N. Historici. Deinde circa annum 455. Caprasius Montis Carmeli Abbas (sic enim vocabatur tunc temporis Generalis superior) vt perfectius suos institueret religiosos, formulam petijte viuendi à Ioanne 44. Patriarca Hierosolimitano quæ esset & secundum præcepta Eliæ, & Elisei, & secundum Christi Domini, & Apostolorum doctrinam; annuit Patriarca, & composuit librum cui titulus est *de institut. Monachorum in lege veteri**

seri exortorum, & in noua per-  
seuerantium, ad Caprasium,  
Eremitam montis Carmeli vt  
supra notauimus. Hic liber  
asseruatur in multis Ordinibus  
Bibliotecis, & reperitur etiã  
in Bibl. vet. PP. Formulam vi-  
uendi in hoc lib. contentam  
seruarunt Carmelitæ vsque  
ad annum 1171. Benè verum  
est quod Aymericus Frater S.  
Bertoldi, tunc temporis Prio-  
ris montis Carmeli Patriar-  
ca Antiochenus, legatus à  
latere in Siria sub Calisto  
II. & Urbano II. propter mul-  
tos Latinos, qui ad Carmeli-  
tas confugiebant, vt sacrum  
religionis habitum assume-  
rent, ex Græco idiomate in  
latinum Ioãnis regulam ver-  
tit; & hæc occasio fuit quod  
multi dixerunt Aymericum  
fuisse religionis fundatorem,  
cum tamen solam Ioan. re-  
gulam traduxerit. Vide Leã-  
dram Granateum Benedicti-  
num *disc. 4. S. 2. Lelandum lib.  
de illust. Anglia scriptor. to. 1.  
Bolducum lib. 13. de Ecclesia  
ante legem cap. 12. Tuatum ad  
Desiparam c. 1. Angelum de  
Paz lib. 5. in exposit. Symb. Me-  
ziam della Cerda de Concept.*

Hieronymum Fiedram Do-  
minicanum *serm. de S. Teresa.*  
Ægidium à Præsent. August.  
*de Concept. 4. art. 1. Vniuersi-  
tatem Coloniae Agripinæ to.  
4. sæculo 4. & alios, præsertim  
ex nostris.*

76 Tandè circa ann. 1171.  
propter multa dubia, & dif-  
ficultates, quæ ex regula sa-  
tis diffusa oriebantur pete-  
runt Carmelitæ breuiorem,  
clariorem, & compendiosio-  
rem ab Alberto Patriarca  
Hierosolimitano, quam &  
obtinuerunt, compactam ex  
priori, & ex præceptis S. Basi-  
lij, quam Albertus, vt erat  
Legatus à latere propria au-  
ctoritate approbavit, & est  
illa, quam modo Carmelitæ  
omnes obseruant. Ex qui-  
bus patet antiquissimã Car-  
melitarum familiam, nun-  
quam regula caruisse, vt di-  
xit Bordonus; excusandus ta-  
men est, quia id viderat in  
Ranucio Pico, & iste desump-  
sit ex Stephano Forerio, qui  
ad patriæ decorem volebant  
facere Albertum (natione  
Parmensem) nostræ religio-  
nis institutorem, cum tamen  
non sit, vt etiam ex regulæ



Alberti proemio colligitur, dicit enim, *Albertus Deigratia Hierosolimitana Ecclesia vocatus Patriarca, Brocardo, & ceteris fratribus Eremitis, qui iuxta fontem Elia in monte Carmeli morantur, in Domino salutem & Sancti Spiritus benedictionem, vbi supponit Carmelitas in Carmelo præhabitasse. Quia vero Concilium Lateranense sub Alexandro III. prohibuerat, quod nemo in posterum novas fundaret religiones, sine expressa sanctæ Sedis licentia, & regulæ approbatione: religiones, quæ iam ab Episcopis approbatæ fuerant, vt vt Augustiniana à Valerio Episc. vt notat Rom. cent. 1. an. 329. Cartusiana ab Vgone Episc. vt obseruat Genebrardus lib. 4. anno 1070. Sigib. in cronic. mundi. Platina in Gregor. VIII. Polidorus l. 7 cap. 3. Volteranus lib. 21. & Bellarm. l. de Monachis c. 4. vbi dicit Basilium, Augustinum, & Benedictum approbationem à Pontifice nõ quesuisse, eo quod tunc non esset necesse, voluerunt, pro maiori religiosorum consola-*

*tionem, & pro maiori regularum firmitate, earundem habere regularum à Pontificibus confirmationem, quod & nostri fecerunt, & obtinuerunt in Concilio Lugd. & habetur cap. vnic. de religio. domibus in 6. vbi dicitur. Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum Ordines, quorum institutio dictum Concilium Generale præcessit in solido statu volumus permanere. Et ita tenent Nauclerus tom. 2. Roman. p. 3. lib. 6. cap. 10. Coirus p. 2. N. Thomas à Iesu l. 1. per totum, & alij.*

77 Dico tertio, *nostra Discalceatorum familia eandem habet præcedentiam, eademque priuilegia, qua habent nostri Carmelita. Ita concessit nobis Paulus V. in Bulla quæ incipit. Decet Rom. Pontif. in qua num. 7. anathematizat eos, qui contradicere voluerint. Verba Bullæ sunt ista. Præterea religionem, & Congregationem fratrum Discalceatorum, huiusmodi, vnum ex quatuor Ordinibus mendicantium, videlicet Carmelitarum, qui primitiuam eius regulam proficebant*

sur & obseruabant, esse, ipsique omnia ad Ordinem fratrum Carmelitarum huiusmodi tam de iure, quam ex privilegijs pertinentia tanquam propria competere declarauit, & eum, qui contradicere præsumeret anathematis vinculo innodauit. Insuper religiosos Ordinis fratrum Discalceatorum huiusmodi tanquam in strictiori clausura perpetuò iuxta regulam prædictam degentes, ad Processiones Generales accedere nullatenus teneri, neque ad id compelli unquam posse, licetque ipsi tanquam Euangelica humilitatis amulatores, consilium Dominicum sectando infimum locum tam in processionibus, quam in Congregationibus, & alijs quibuscunque euentibus aliquando elegissent, seu eligerent, & ob ædificationem fideliã, maximè ad fidem catholicam conuersorum propria quieti cedentes, ad processiones tam priuatas, quam generales exiissent, vel in futuro exirent, nullo præterea temporis decursu, aut alio præscriptionis modo, locum, seu præminentiam, aut aliam prerogatiuam dicti Ordinis fratrum

Carmelitarum competentem in totum, vel in partem perdere declarauit.

78 Ex quibus omnibus explosa manet cuiusdã Crescentij Placentini, in suo Præsidio carta 164. sententia, quod scilicet nostra Carmeli Religio non cœperit sub propheta Elia, & Eliseo, sed sub Alberto Hierosolimorum Patriarca, qui ultimam nobis tradidit regulam, vt vidimus, sed religio, quæ ab Elia descendit est sua, scilicet religio sancti Hieronymini. Ex quibus, inquam, exclusa manet Crescentij sententia, nam vt patet ex eiusdem regulæ verbis citatis iã religio prius erat quando Alberti regulam accepit, & sub alia regula viuebat, licet breuiorem, & clariorem ab eodem Alberto petierit. Deinde dato quod hucusque dicta essent falsa, & Carmelitarum adinuenta, sufficeret pro confundendo Crescentio, quod nullus hucusque ex sua religione ausus est Diuuo renunciare Hieronymo, vt alium perquireret fundatorem; deinde si Crescentij religio habet  
pro

pro fūdatore Eliam Prophe-  
tam, quare eius festum ne-  
que vt fundatoris, vt faci-  
mus nos, nec vllō modo ce-  
lebrat? quare ipse, & alij suæ  
religionis, non fuerunt moti,  
vt Eliæ festum defenderent,  
dum aliqui, paucis ab hinc  
annis, apud S. C. fortiter age-  
bant, vt illud impedirent, di-  
centes Eliam adhuc non esse  
vita functum, vt fecimus nos?  
Quiescat ergo Crescentius, &  
quiescant omnes, & vnus-  
quisque sua sit antiquitate  
contentus, maximè cum non  
antiquitas, sed obseruantia,  
religiosos reddat perspicuos.

79 Hæc sufficiant pro No-  
stræ religionis defensione il-  
lius argumenti occasione. Re-  
linquo plura alia argumenta  
quæ congerit Sanchez lib. 7.  
disput. 25. quia ex dictis solu-  
ta manent. Volo tamen in  
gratiam lectoris, licet sit ali-  
qualiter etiam hic extra cho-  
rum saltare, duo dubia pro-  
ponere quæ licet propriè per-  
tineant ad tractatum de voto,  
hic tamen apponere volo, ne  
dum ad illum referuæ et tra-  
ctatum, à mente excidant.

80 Primum dubium est,

an viator possit votum facere  
non blasphemandi Deum in  
inferno si fortè ob sua pecca-  
ta damnetur? Occurrit hic  
casus aliquando, & varij ve-  
ria dicebant, aliqui namque  
dicebant illud votum nō va-  
lere cum esset de re impossi-  
bili, maledictionis namq; Dei  
abstinentia in damnatis im-  
possibilis videtur. Sed hoc  
aliquibus nō placuit eo quod  
maledictio in damnatis non  
est ex necessitate, sed ex corū  
libertate ob idque continuo  
peccant superbicado, & ma-  
ledicendo, iuxta illud Psalm.  
*superbia eorum qui te oderunt  
ascendit semper.* Alij dicebant  
illud votum morte ipsa ex-  
tingui, sicut enim matrimo-  
nium morte extinguitur, &  
professio religiosa, ob quod  
alibi diximus quod si Titius  
mortuus, Bertæ maritus, re-  
surgeret, non posset, sine no-  
uo matrimonio, ad Bertam  
accedere; & si religiosus re-  
surgeret, posset vxorem du-  
cere, cum per mortem vota  
extinguantur solemnia, ac  
subinde à fortiori simplicia,  
quale esset votum dictum.  
Sed neque hoc placuit, quia

non

nō videtur posse negati, quin possit quis se obligare ad aliquid, quod in alia vita sibi liberum erit præstare, nec est eadem ratio de matrimonio, quia cum hoc sit contractus humanus, humano modo habet obligare; tum quia id docet Apostolus 1. Cor. 7. *quod si dormierit vir eius liberata est à lege viri*; tum quia, ea, contrahentes contrahunt, intentione, vt finiatur alterutrius morte, vt sic superstes possit aliud matrimonium inire. Ad illud de religiosa professione dico valde dubium esse an morte extinguatur; propterea in aliquibus religionibus ponitur particula *vsque ad mortem*. His reiectis vt meū habeas iudicium.

81 Dico primò, mihi probabile videtur, *quod votū illud validum sit, eo quod absolute sit de meliori bono, nempe de non blasphemando Deum, quod absolute poni potest, licet de facto non ponetur; imò gaudebit damnatus se habere talem peccandi occasionem contra illud, ex odio quo Deum prosequitur.* Ratio est, quia non est necessesse ad voti validitatem

quod res promissa exequatur, sed quod exequi possibiliter possit, licet ex voluntatis peruersitate id non fiat. Dico secundò, *probabilius esse tale votum esse nullum, neque à Deo acceptari.* Ratio est, quia votū, quod moraliter exequi non potest, non obligat, nec acceptatur à Deo; sed illud votum de non blasphemando Deo, moraliter à damnatis obseruari non potest, licet physicè possit, ob physicam eorundem damnatorum libertatem; ergo non obligat, nec à Deo acceptatur. Maior patet; nam votum est promissio Deo facta moraliter exequibilis; vt suo loco, magis explicabitur. Minor probatur, nam damnati ratione status, nullum opus bonum moraliter præstare possunt, nec habent libertatem moraliter proximam, seu potentiam ad talem voti obseruationē, cum omni careant gratiæ auxilio, alioqui etiam in inferno possent damnati vota Deo nuncupare, & sic opera bona facere, quod est absurdum; propter hæc dixi illud sic vouentem mortali-

ter peccasse, nisi ignorantia eum excusauerit, sicut enim mortaliter peccaret, qui vobis Deo nuncuparet, sciens certò moraliter, se non esse tale votum obseruaturum; ita & ille mortaliter peccauit, si sciuit, se non esse in inferno, pro quo tempore vouerat, votum obseruaturum.

82 Secundum dubium, an possit quis vouere aliquid, liberè exequendum in Paradiso. Quis vouet Beatæ Virginis Mariæ, ipsam salutaturum quotidie per totam æternitatem septies, si ipsum saluet, si liberet ab aliqua tentatione, &c. non quia sint temporarij dies in cœlo, hore, & momenta temporaria, sed Angelica? Responderetur affirmatiuè dummodo illa voti materia sit pro illo beatitudinis statu compossibilis. Si enim in Deo verum, & proprium iuramentum esse potest, vt alibi ostendo, & colligitur ex pluribus sacræ Scripturæ locis, præsertim ex illo Psal. *iurauit Dominus, & non penitebit eum*; si iuramentum fuit in Christo, dum secundum

sanctorum Patrum interpretationem, multoties dixit amē, amen, &c. Si in eodem Christo Domino verum, & proprium fuit votum, quo se obligauit ad consecrandum se, ad sustinenda passionis, & mortis flagella, & opprobria, vt alibi etiam ostendo, quare non poterit quis se obligare ad præstandum aliquid, quod est compossibile cum illo beatitudinis Regno? Imò puto hoc ipsum fieri posse à Beatis in in cœlo respectu earum rerum quarum liberum habent dominium; pro quo suppono. Nec Deum, nec Christum, nec Angelos sanctos, nec Beatos facere semper *quod est maius bonū obiectiuè*, seu quod perfectius est, obiectiuè; nam Deus poterat hunc mundum perfectionem facere, saltem perfectione accidentali, vt omnes tradunt; poterat creare alium mundum isto valdè præstantiorem, etiã perfectione essentiali, quod tamen nõ fecit: poterat Christus Dominus facere actus virtutum quos faciebat maiorii intentione; id ipsum potuit.

risset B. Virgo, id ipsū pos-  
sent Angeli, & Sancti, nec se-  
per faciunt; ergo possent sal-

tem respectu aliquorum, vo-  
to se obligare, attento sem-  
per beatitudinis statu.

## Q V A E S T I O VII.

*De quarto matrimonij impedimento, quod est  
cognatio.*

83 **C**ognatio, nomen est  
genericum, quod  
de triplici dicitur specie, nē-  
pe de carnali, spiritali, &  
legali, & omnes matrimo-  
nium dirimunt, vt postea vi-  
debitur; sed vt ordinatè pro-  
cedamus prius agemus de  
cognitione carnali, quæ con-  
sanguinitas dicitur, postea de  
spiritali, & legali.

84 Consanguinitas ergo  
quæ sanguinis vnitas dicitur,  
definitur quod sit: *natur-  
alis propinquitatis, seu coniun-  
ctio duarum, vel plurium per-  
sonarum, orta ex naturali co-  
pula, qua vna persona proce-  
dit ab altera, vel à tertia.* Vn-  
de consanguinitas est mutua  
coniunctionis relatio, habens  
pro ratione fundandi natiui-  
tatem. Habet consanguini-

tas gradus, & lineas. Gradus  
est *habitus coniunctionis vnus  
consanguinei ad alterum, ita  
quod vnus rationem subie-  
cti habeat, alter termini.* Li-  
nea vero est *plurium habitu-  
dinum coniunctionis consangui-  
neorum ordinata collectio.* Est  
autem duplex vna recta, &  
est *eorum consanguineorum col-  
lectio, quorum vnus ab alio  
originatur.* Alia transuersa-  
lis, seu collateralis, & est  
collectio habitudinum ab *eo-  
dem stipite descendentium, quo-  
rum nullus ab alio originatur.*  
Recta iterum duplex, altera  
est ascendentium, & altera  
descendentium. Pro cogno-  
scendo autem in quoto gra-  
du consanguinei sint tum li-  
neæ rectæ, tum transuersalis,  
tres regulæ ab omnibus affi-

gnantur. Prima est: *in linea recta tot gradibus vnus alteri coniungitur, & ab eo distat, quot generationibus vnus descendit ab altero*; vnde filius est in primo gradu cum patre, quia ab eo vna generatione descendit, & sic deinceps. Secunda regula: quæ habetur *can. ad sedem. & can. parentella, 35. q. 5. est, in linea transfuersali equali, tot gradibus vnus coniungitur alteri & ab eo distat, quot quilibet coniungitur suo communi stipiti proximo, & ab eo distat*. vnde duo fratres sunt in primo gradu, quia in eodẽ gradu à communi distant stipite, nempe à patre, & sic de alijs. Tertia regula quæ habetur *cap. fin. de consanguin. est, in linea transfuersali inæquali tot gradibus vnus coniungitur alteri, & ab eo distat, quot distat ille qui remotior est à proximo, & communi stipite*. In prima regula conueniunt ius canonicum, & civile; in secunda vero, & tertia discrepant, quia ius civile tot gradus numerat, quot sunt personæ, vnde duo fratres sunt iure civilij in secun-

do gradu, quia duæ personæ sunt. Hoc ius civile quoad causas matrimoniales non obseruatur, benè autẽ quoad civiles hereditatis, legati dotis, &c. Sed vt ista cõsanguinitatis materia quantum factis est habeatur, aliquas de eadifficultates proponemus, & soluemus.

85 Prima difficultas est, vtrum consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ matrimonium dirimat iure naturali? Conueniunt omnes, quod quamuis olim consanguinitas matrimonium dirimeret vsque ad septimum gradum inclusiue *c. ad sedem. 35. q. 5.* tamen nunc non dirimit nisi ad quartum gradum inclusiue. *Cap. non debet, 8. de consanguin.* Ratio autem huius legis fuit reuerentia consanguineis debita, actus nanque coniugalis huic reuerentiæ repugnare videtur. Cõueniunt etiam consanguinitatem in primo gradu lineæ rectæ iure naturali matrimonium dirimere, vt inter patrem, & filiam; matrẽ, & filium. Ratio est quia & ipsi Gentiles tale improbarunt matrimonium,

vt patet ex Tertull. in Apolog. cap. 9. S. Augustino lib. qq. in Leuit. S. Amb. Epist. 66. Cyprian. ho. de Pentec. & Aristoteles de Histor. animalium c. 47. Tum quia tale matrimonium repugnat eiusdem matrimonij essentia, quæ est ex duabus, vnam carnem facere, iuxta illud *erunt duo in carne vna*: &, *relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhaerebit uxori suæ*. At qui illi qui sunt in primo gradu lineæ rectæ, vt pater, & filia, iam sunt vna caro, non per feminum comixtionem, sed per sanguinum intimam participationem, cum filia sit caro, & sanguis patris, & filius matris, nec tunc possunt dici illa verba, *relinquet homo patrem, &c. & adhaerebit uxori*. Tum denique quia matrimonium confert coniugij verum iustitiæ ius in alterum ad petendum, exigendumque debitum, hoc autem in filia respectu patris, & in filio respectu matris non potest non esse inhonestum; ergo.

86 Difficultas est, an primi gradus consanguinitas li-

neæ rectæ, ita naturæ iure dirimat matrimonium, vt etiam in casu necessitatis ad propagandum vniuersum, illud dirimat? Negat Sanchez disp. 51. Henriquez l. 12. c. 9. Pontius cap. 31. & alij, & est probabile; ratio est quia dânum commune vniuersi præponderat damno particulari reuerentiæ naturalis. Ob hoc ab incestu filia Lothi excusantur, quia putarunt omnes homines incendio absumptos. Affirmat Caiet. 2. 2. q. 154. art. 9. Ledesma q. 54. art. 3. diff. 1. & alij, & merito quia cum ille congressus sit intrinsecè malus, non potest ob quamcunque necessitatem honestari, tum quia, vt dicebamus, tale matrimonium eiusdem matrimonij essentia repugnat; ergo. An autem possit Deus dispensationem facere, affirmatiuè respondeo, vel dictam extinguendo reuerentiam erga parentes, vel alio modo illam coniunctionem honestando.

87 Secunda difficultas, an consanguinitas lineæ rectæ iure naturæ matrimonium dirimat in omnibus gradibus



vsque in infinitum, an solum in primo gradu dicto? Affirmat Vasquez 1. 2. disp. 112. Bellar. 1. de *matrim.* cap. 28. Coninchus disput. 31. dub. 1. Pontius lib. 7. cap. 31. Vnde volunt, quod si Adam resurgeret, nullam foeminam ducere posset; & rationem assignant quia cuiuscunq; ascendenti etiam remotissimo reuerentia, naturali iure, est debita, vtpote principio naturali, & per se; atqui Adam licet sit principium mediatu, & remotum, est tamen principium per se; ergo naturali iure ab omnibus posteris sibi reuerentia debetur. Sed mihi magis placet sententia negatiua, quam sequitur Sotus dist. 40. q. vn. art. 1. Couar. de decret. 2. p. cap. 6. §. 6. Lopez 2. p. *instru.* cap. 49. & alij plures. Ratio est, quia cum consanguinitas sit quaedam sanguinis participatio, paulatim minuitur, & tandem euanesceat, certe ridiculum esse videtur, quod tanta sit sanguinis participatio patris in filio filij, quam in filio ipso; tanta sit in abnepote, quam in pronepote, &c. Et sic cessante co-

sanguinitate, cessabit reuerentia, saltem sufficiens ad matrimonium dirimendum. Ad quorum autem gradum haec consanguinitas naturali iure matrimonium dirimat, est sententiarum varietas, nam Couar. vult dirimere vsque ad gradum 20. inclusiue. Lopez vsque ad 7. Sotus vsque ad 2. Sancius & alij solum intra 1. quae duae vltimae sententiae magis mihi probabiles videntur, quia in ijs solu gradibus, grauis reuerentia clauditur.

88 Tertia difficultas, vtru consanguinitas in linea transfuersali, naturali iure matrimonium dirimat? Conueniunt omnes consanguinitatem lineae transfuersalis iure naturae non dirimere matrimonium in secundo, & sequentibus gradibus, quod supponit Innoc. III. cap. *Gaudemus*, de diuortijs, dum vult quod infideles ad fidem conuersi, qui antea in secundo, & sequentibus gradibus contraxerunt, non separentur, quod dici non posset si in illis iure naturae collateralis consanguinitas, matrimoniu dirimeret. Vnde dif-

difficultas solum ad primum gradum reuocetur. Prima sententia est, quod consanguinitas primi gradus lineæ collateralis naturæ iure matrimonium dirimat. Hanc sequitur Sancius lib. 7. disp. 52. Vasquez supra, & alij, & est valde probabilis. Nihilominus secunda sententia quæ oppositum tenet, mihi probabilior videtur, præsertim cum illam sequatur D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 9. ad 3. Caietanus ibidem, & in cap. 19. *Leuit.* Rainer. 2. p. summæ tit. de matrim. cap. 18. Scotus 4. dist. 40. q. vn. ar. 2. & sibi supplem. Gab. Loares *de matrim.* Regis Angliæ dub. 2. Victo. relect. *de matrim.* 2. p. & alij innumeri quos congerit Sanchez n. 10. vbi dicit hanc sententiã esse valde probabilem, licet sibi opposita magis placeat.

89 Probatur primò, quia Abraham vir sanctissimus duxit Sarã, quæ soror eius erat, vt dicitur Gen. 20. *verè soror mea est, filia patris mei, non filia matris meæ, & ita testatur D. Hieronymus qq. Heb. in Gen. Clem. Alex. 2. Strom. Caiet. supra citata Gen. ver-*

ba. Secundò quia 2. Reg. 13. Thamar Daudis filia dum à fratre suo Amnò opprimeretur dixit: *noli frater mi, noli opprimere me, noli facere stultitiam hanc, quin potius loquere ad Regem, & non negabim tibi.* Vnde D. Greg. *respõs. 6. ad Augustinũ Angliæ Episc. & refertur c. quedam lex, 35. quæst. 3. dicit quod Romanis lege peculiari id licuit & Tiraquelli. l. 7. connub. num. 32. plura de hoc ex omnibus ferè nationibus exèpla refert. Tertiò quia in ipso mundi exordio Cain, & alij fratres suas duxerunt sorores, nec de diuina constat dispensatione. Quartò quia ratio patris, & filix, in fratribus cessat, nam illi, vt diximus, non possunt naturaliter matrimonium inire, quia cum iam sint vna caro, nõ possunt per matrimonium id ipsum fieri; non sic frater, & soror: tum quia in istis verificatur quod possunt patrem, & matrem relinquere, & adherere vxori suæ. Quintò quia nullo sufficienti fundamento ostendi potest tantam reuerentiam naturali iure illis consanguineis*

neis deberi; vt matrimonium dirimat, licet enim aliqua debeatur illis reuerentia, tãta tamen non est, quod matrimonium naturali iure dirimere valeat. Nec Innocentius III. in cap. *Gaudemus*, de diuort. qui à contrarijs afferatur nostræ obstat sententiæ, quia solum dicit, coniuges infideles ad fidem conuersos in secundo, & sequentibus gradibus separari debere, nihil dicendo de primo gradu, quia non de hoc, sed de illis rogabatur. Benè verum est, quod iure Ecclesiastico vsque ad quartum gradum inclusuè extenditur, & hoc conuenientissimè factum est, tum ob reuerentiam cognatis debitam, quæ licet nõ sit tanta vt matrimonium iure naturæ dirimat, est tamen tanta, vt sufficiens præbuerit fundamentum ad illud positiuo iure dirimendum. Tum quia, magna præberetur incestus occasio, si matrimoniũ Ecclesiastico iure non prohiberetur inter dictos consanguineos; cum enim vel simul in eadem domo habitent, vel se frequenter inuisent, si ma-

trimonium inter illos nõ prohiberetur magna aperiretur incestibus via.

90 Circa cognationẽ spirituales, quæ matrimonium dirimere habet cap. *fin.* de cognat. spirit. in 6. & alibi, nota quod spiritualis cognatio est personarum propinquitatis ex collatione sacramenti vel cõtentione ex Ecclesie statuto proueniens, & cõtrahitur in Baptismo, & Confirmatione cap. *ueniens*, de cognat. spirit. cap. 1. 30. q. 1. & hæc matrimoniũ dirimit, non quæ ex catechismo procedit, cap. *per catechism.* de cognat. spirit. in 6. licet impediatur, vt ibi dicitur, de hæc spirituali cognatione hæc statuit Tridentinum sess. 24. cap. 1. *Sancta synodus statuit, vt vnus tantum, siue vir, siue mulier, & ad summum vnus, & vna baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos & baptizatum, & illius patrẽ, & matrem nec non inter baptizantem, baptizatiq; patrẽ, & matrem tantum, spiritualis cognatio contrahitur, & infra: ea quoque cognatio quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum illius-*

illiusque patrem, & matrem, ac tementem non egrediatur. Vnde Tridentini iure fraternitas spiritualis est omnino extincta, similiter extincta est compaternitas inter patrinos ex vna parte, & Baptizantē, & Confirmantem ex altera, & etiam extincta est translatio cognationis mariti, patri- ni Baptismi in vxorem. Ultra hanc cognationem spirituale quā Ecclesia statuit in dictis sacramentis, datur alia iuris diuini inter Baptizantem, & Baptizatum, Confirmantem, & Confirmatum tantum, ratione regenerationis per gratiam, & est paternitas, & filiatio spiritualis, per gratiam; eo quod per eādem gratiam Baptismalem, & Confirmationis, fit naturalis natiuitas, & augmentatio, seu educatio in Ecclesiæ vtero, & gremio, quæ in alijs sacramentis non fit, ex eo quod gratiam non causent generatiuā, seu regeneratiuam spiritualiter. Et ob hanc causam statuit Ecclesia dictam cognationem spirituales solum in dictis sacramentis, nō in alijs; vt dicit Bonif. VIII. cap. fin. de

cognat. spirit. in 6. Ex quo patet non bene Sanchez dis. 55. & Coninchus disp. 3. 2. dub. 2. dicunt fornicationem Confessarij cum poenitente continere malitiam specie à fornicatione distinctam ratione spiritualis filiationis. Vt enim patet ex dictis talis spiritualis filiatio in alijs sacramentis præter dictis duobus non continetur. Ita Sa. v. Confessio. num. 25. Pontius l. 7. c. 18. Non sic dicendū de sollicitationis peccato, quia hoc specialiter prohibetur ab Ecclesia intuitu reuerentiæ sacramento Poenitentiae debita. Cognatio dicta ab Ecclesia inducta à solis contrahitur Baptizatis vt in tractatu de Baptismo notauimus, vnde si infidelis catholici filium baptizaret, nullam contraheret spirituales cognitionem, Sed de hac re videantur ea quæ diximus de Baptismo disput. 3. q. 6. vbi etiam explicuimus, quid dicendum sit de illo, qui alterius nomine tenet. Videantur etiam ea, quæ diximus in tractatu de Confirmat. disp. 4 q. 5.

91 Circa cognationem le-

galem nota, quod adoptio ex qua legalis oritur cognatio definitur, quod sit, *extranea persona, in filium, vel nepotem, vel deinceps legitima assumptio*, dicitur *extranea persona*, idest illius, quæ ab adoptante non originatur: dicitur *legitima assumptio*, quia est virtute legum, non naturæ; dicitur, *in filium, vel nepotem, &c.* quia adoptio secundum leges non fit in patrem, aut fratrem, sed in filios, nepotes, &c. quia adoptio in subsidium naturæ data est, vt si quis filios non habeat, vel nepotes, &c. legis beneficio illos habere possit; vnde adoptio, *legalis dicitur generatio*. Est autem adoptio duplex, perfecta, & imperfecta: perfecta quæ solius principis auctoritate fit *Arrogatio* vocatur, qua adoptatus transit in potestatem adoptantis, & fit hæres necessarius illius, etiam ex testamento. Instit. de adopt. Imperfecta, quæ ob hoc, nomen adoptionis genericum retinet, est qua adoptatus in adoptantis non transit potestatem, quia per eam in filium ille assumitur,

qui est sub patris carnalis potestate, & non est hæres necessarius ex testamento, sed tantum ab intestato, & fieri potest inferioris magistratus potestate.

92 Nota etiam, quod adoptio quoad successionem, iure ciuili inducta est, quoad matrimonium vero iure canonico, ad hoc vt qui proprios non habet liberos, natura successione optante, habere possit. Vnde minor non potest adoptare maiorem, sed oportet, quod adoptans excedat adoptantem decem, & octo annis: nec fœmina potest adoptare virum, nec potest adoptare frigidus, nec Eunuchus, bene autem ille qui vno solo caret testiculo, quia ars naturam imitatur. S. minorem, cum sequentibus instit. de adopt. Potest tamen adoptari consanguineus adoptantis, dummodo sub eius non sit potestate. Sotus dist. 42. q. 2. ar. 1. Sacerdos similiter adoptare potest, si habilis sit ad generationem, secus si sit frigidus, vel Eunuchus. Abb. cap. *unico*, de cognat. legali. Card. ibidem

restans de communi. Et de-  
 mum omnes, qui generare  
 possunt, dummodo fiat sui  
 iuris, & maiores 25. annis L.  
*adoptio*, ff. de adoptione. Vi-  
 deatur D. Tho. 4. dist. 42. q. 2.  
 art. 1. vbi elegantem assignat  
 rationem, quare spadones,  
 Eunuchi, &c. non possint ad-  
 optare, quia scilicet adoptio  
 data est in subsidium na-  
 turæ, non in subsidium eius,  
 quod ante factum est, nec  
 illius qui natura ipsa inhabi-  
 lis est, &c.

93 Sed quæres primò, an  
 cognatio legalis matrimo-  
 nium dirimat? Respondetur  
 affirmatiuè, ita habetur can.  
*ita diligere*, & can. *per adoptio-  
 nem*, 30. q. 2. & cap. *unico*, de  
 cognat. legal. vbi approban-  
 tur leges Cæsareæ quibus  
 hæc legalis cognatio inducta  
 est. Sed prius dubium est  
 circa hoc, an citatæ leges in-  
 telligantur de sola cognatio-  
 ne legali perfecta, quæ *arro-  
 gatio* dicitur, an etiam de im-  
 perfecta? Sanchez disp. 63.  
 Coninchus disp. 32. nu. 34. &  
 alij volunt dictas leges de so-  
 la cognatione legali perfecta  
 debere intelligi; & sic sola

hæc habeat matrimoniū di-  
 rimere, non imperfecta; & ra-  
 tionem assignant, quia cum  
 matrimonium res fauorabilis  
 sit, iura illud dirimentia per  
 legalem cognationem, ad  
 solum perfectam restringi de-  
 bent; imò addunt aliqui, im-  
 perfectam legalem cognatio-  
 nem neque esse impedi-  
 mentum matrimonium impediens  
 ob rationem assignatam. Ni-  
 hilominus mihi magis pla-  
 cet sententia Toleti lib. 7. c. 4;  
 & aliorum, quod dictæ le-  
 ges intelligi debeant non so-  
 lū de cognatione legali per-  
 fecta, verum etiam de im-  
 perfecta. Ratio clara vide-  
 tur; quia iura indicientia im-  
 pedimentum dirimens ma-  
 trimonium ex cognatione le-  
 gali, quæ ex adoptione con-  
 surgit, absolute, & absque  
 distinctione loquuntur, at vbi  
 lex non distinguit, nec nos  
 distinguere debemus, maxi-  
 mè cum adoptio imperfecta  
 licet sic vocitetur, sit vera, &  
 propria adoptio, vt omnes  
 tradunt. Posterius dubium  
 contra præcedentem resolu-  
 tionem est, an cognatio le-  
 galis secundum omnes tres

suas species matrimonium resoluat? Habet legelis cognatio, vt omnes tradunt, tres species; prima est lineæ rectæ, inter adoptantem, & adoptatum; alia est in linea laterali, seu transuersa, inter adoptatum, & filios carnales adoptatis; alia est veluti quædam affinitas inter adoptantem, & vxorem adoptati, & e contra, inter adoptatum, & vxorem adoptantis. Hoc posito ad propositum dubium affirmatiuè respōdeo, & aperte colligitur ex cap. *unico*, de cognat. legali, & ex cap. *per adoptionem* 30. q. 3. vbi absolute legalis cognatio à lege ciuili tradita approbatur, ac proinde secundū omnes eius species. Aduerte tamē quod adoptio matrimonio adueniens debiti non impedit petitionem, quia nullibi hoc reperitur expræssum.

94 Quæres secundò, in quoto gradu legalis cognatio matrimonium dirimat? Respondetur dirimere secundum modū explicatum triū specierum. Sed est prima difficultas, an inter adoptatum, & adoptatam ab eo-

dem adoptante sit legalis cognatio matrimonii dirimens? Affirmat Ochagauia, sed absque vllō iuris fundamento, ideo ab omnibus reicitur, vide Pontium supra. Secunda difficultas, an cognatio legalis in linea recta, dirimat matrimonium solum inter adoptatum, & adoptantem, an etiam inter alias personas? Nauar. cap. 22. nu. 45. Toletus supra, & alij volunt hanc cognitionem matrimonium dirimere inter adoptantem, & adoptatum, & eius successores in infinitum. Sed verior sententia docet hanc adoptionem extendi solum ad illos adoptati successores, qui quando adoptatus fuit, sub eius erant potestate, ita exprimitur *L. si pater familias*, ff. de adoptionibus.

65 Quæres tertio, quando duret adoptio? Concedunt omnes cognitionem legalem lineæ rectæ, & affinitatis tertiæ speciei, semper durare, & matrimonium dirimere, etiam si adoptio cesset vt constat ex *L. quin etiam*, & ex *L. adoptiuus*, ff. de ritu nuptiarum, & can. 1. 30. q. 3. Ac

vero

vero cognatio legalis secundæ speciei, solum tam diu durat, quamdiu durat adoptio. c. per adoptionem. Vnde vt frater carnalis sororê ducat adoptiuam sufficit, vel quod cesset adoptio, vel quod alteruter emancipetur, per quod desinit esse sub potestate parentis.

## Q V A E S T I O VIII:

*De quinto matrimonij impedimento, quod est crimen.*

96 **S**Vnt duo crimina, quæ non naturali, sed Ecclesiastico iure matrimoniû, & impediunt, & dirimunt, sunt autê homicidium, & adulterium, quæ crimina in quatuor casibus matrimonium dirimunt cap. *si quis viuentem*, 31. q. 1. & cap. 1. de conuersatione infidelium, & cap. *relatum* 31. q. 1. & cap. 1. 6. 7. & vlt. eodem. Primus casus est, quando vir, & foemina communi consensu mortem alteri coniugum machinantur, vt se mutuo in matrimoniû recipiant cap. *laudabilem*, de conuersatione infidelium. Secundus, quando adulter mortem coniugis suæ procurat, vel mariti adulteræ, vt cum al-

tera matrimonium inire possit: vel e contra, quando adultera procurat mortem viri sui, vel vxoris adulteri, vt cum adultero coniugium valeat celebrare. cap. *semper hoc*, de eo qui duxit. Tertius si adulteri sibi ad inuicem fidem dederint, de matrimonio inter se cōtrahendo post mortem vxoris adulteri, vel mariti adulteræ, ex eo quod ex hac fide, datur occasio procurandi mortem alterius, cap. *relatum*, 31. q. 1. Quartus si adulteri inter se matrimonium contrahant, prioribus viuentibus coniugibus. Cap. *fin. de eo qui*. In primo casu datur homicidium sine adulterio, in alijs adulterium præ-



cedit, homicidium sequitur, vel sequi potest.

97 Sed quæres primò, an ad hoc ut homicidij crimen matrimonium dirimat machinatio sufficiat, etiã si mors non sequatur, an vero requiratur, quod mors ipsa sequatur? Respondetur requiri, quod mors ipsa sequatur, ut constat ex dictis iuribus, sufficit tamen quod machinatio fiat consilio, vel mandato, unde non sufficit rati habitio quia rati habitio propriè non est machinatio, sed facti approbatio. Tum, quia, rati habitio mandato non æquiparatur, nisi in his quæ à nostra sola dependent voluntate ut rata sint, aut nisi id iure exprimat, ut contingit in rati habitioe, qua quis ratam habet violentiam clerici occisionem, ut suo loco dicetur. Sufficiet tamen ad hoc impedimentum contrahendum, quod machinatio ante baptismum facta sit, ut constat ex cap. i. de conuers. infid.

98 Quæres secundò, an ad hoc ut dicta machinatio de morte, & mors ipsa se-

quuta, impedimentum inducat dirimès, necesse sit, quod contrahendi animo facta fuerit? Negat Caietanus in Sum. v. *matrim.* c. i. impedim. 5. & alij. Sed communior sententia affirmat, Sanchez lib. 7. disp. 78. Pontius lib. eodem cap. 45. qui addit dictam intentionem deberi aliquo signo exteriori indicari, & factis clarè deducitur ex citatis iuribus, & ex fine ob quem hoc impedimentum est inductum, qui fuit ne quis matrimonij desiderio, proprium, vel alienum occidat coniugem.

99 Quæres tertio an dicta machinatio morte sequuta, & cum dicta intentione facta, ut impedimentum inducat, debeat cum adulterio coniungi? Respondetur negatiuè, quando uterque mortem machinatus est, & re ipsa sequuta est, ita habetur dicto cap. i. de conuersione infidelium. Si vero vnus solus machinatus fuisset, sola sine adulterio non sufficeret machinatio, requiretur tamen quod adulterium ipsum ab utroque scienter commit-

terc-

geretur. Toletus lib.7.cap.6. Basilius Pontius vbi supra, & alij communiter.

100 Quæres quartò, an ad hoc vt fides data inter adulteros matrimonium dirimat, requiratur, quod sit vera, an vero sufficiat ficta, vt cum quis ore tenus, & ficto animo matrimonium adulteræ promittit vt hoc modo adulterium extorqueat, alter tamen putat illum seriò promittere. Sanchez vbi supra, Coninchus, & alij dicunt sufficere fidem fictam, quia etiam ficta promissio occasionem præbet infidiandi vitæ alterius coniugis. Sed verior videtur Rebelli lib.3. q.16. sec.2. Henriquez lib.12. c.14. & aliorum sententia, quod ficta non sufficiat promissio ad inducendum impedimentum dirimens. Ratio est, quia hoc crimen, dictum inducit impedimentum in poenam eiusdem criminis, atqui poenæ natura est, vt potius restringatur, quam amplietur; ergo non debet tale impedimentum induci per fictam promissionem, cum promissio ficta, absolutè promissio

dici non possit, sine ampliatione. Tum quia sicut ad hoc vt adulterium, dictum inducat impedimentum, requiritur, quod sit verum, & completum adulterium, vt etiam aduersarij admittunt; ergo etiam, vt promissio inducat impedimentum, vera, non ficta esse debet. Non est tamen necesse, quod talis promissio sit mutua, sed sufficit quod sit acceptata, vnde si vnus promittat matrimoniù, & alter acceptet, cum adulterio, dictum inducetur impedimentum, ratio est quia licet ad sponsalia celebranda mutua requiratur acceptatio, cum sint contractus onerosus, vt supra ostendimus, hic tamen non requiritur, cum proprius non interueniat contractus. Puto tamen probabilem esse Henriquez supra, & Hugolini de matrim. c.19 sententia, quod mutua requiratur promissio, mutuaque acceptatio; nam cum iura mutuam requirant fidem videntur debere intelligi propriè, seu secundum subiectam materiam, prout scilicet est illa, quæ ad sponsalia

lia requiritur. Vnde patet à fortiori non sufficere ad acceptionem dictam, alterius taciturnitas nec in hoc casu currit regula illa, qui tacet consentire videtur, cum contingere possit, quod talis fides non sit tacenti fauorabilis, sed odiosa, cum matrimonium pro quo fides datur, non sit aequale, & tunc ille taceat, vt dum alter putat illum consentire, adulterium extorqueat. Noto etiam nō sufficere ad dictum impedimentum inducendum, quod promissio sit cōditionata, sed debet esse absoluta, vt dicta iura videntur statuere.

101 Quæres quintò, an adhuc vt matrimonium inter adulteros factum, impedimentum inducat, debeat esse coram Parocho, & testibus; vbi Tridentinum est receptum, an vero sufficiat clandestinū? Sanchez supra num. 8. putat sufficere clandestinum. Sed oppositum mihi verius videtur, quia quod adulterium cum matrimonio inter adulteros matrimonium dirimat, est pœna; ergo est restringenda. Tum quia illud so-

lum matrimonium præbet occasionem insidiandi morti coniugi, non clandestinum, cum ex se nullum sit; matrimonium autem quod inter adulteros, dictum inducit impedimentum, nullum alium habet defectum, nisi quod est nullum, alio coniuge superstitite, & eius inducit insidiæ periculum, vt non compareat, & matrimonium dissoluatur.

102 Quæres sextò, an ignorantia excuset ab hoc impedimento contrahendo? Quis adulteratur cum Berta, cum qua & matrimonium celebravit, ignorans eius coniugem esse viuum, an sic cōtrahens à dicto excusetur impedimento? Certum est, quod quando vterque adulter est coniugatus, non est necesse, quod vterque sciat alterius cōiugem esse viuum, sed sufficit quod suū noscat, quia tūc vterque peccat peccato adulterij, & machinatio interuenit, vel matrimonium, vel fides de matrimonio. Si autem vnus adulter est coniugatus, & alter non, & hic dat fidem de matrimo-  
nio,

nio, vel matrimonium init, tunc hoc impedimentum nō contrahitur, ab illo qui ignorat alterum esse coniugatum; an autem cōtrahatur ab illo, qui est coniugatus, & suum coelat coniugium? Respondetur negatiuè, ratio est, quia iura requirunt vtrinque adulterium; eo autem casu in ignorante non reperitur; sufficeret autem ignorantia, vincibilis, & etiam crassa ad excusandum ab adulterio, eo quod adulterium secundum leges, absque dolo non committitur *L. penult. ff. ad Iuliam*; vbi autem dolus exigitur, non sufficit culpa lata, iuxta *Glos.*

*l. magna negligentia 226. v. dolus, ff. de verb. signif.* Aduertendum autem est, quod hoc impedimentum nō reddit omnino inhabiles ad matrimonium quodcunque, sed solum cum illa cum qua machinatio, vel adulterium cū matrimonio, vel promissione de illo, acta sunt. At autem huius impedimenti ignorantia ab illius contractione excuset cum pœna sit, & in pœnam delicti; communis resolutio est affirmatiua; secus quando impedimentum non est pœna sed iuris dispositio vt notauimus *disp. 3. q. 7* sed de hac re suo loco.

## Q V A E S T I O IX.

*De sexto matrimonij impedimento, quod est cultus disparitas.*

103 **N**otat Sotus 4. dist. 39. q. vni. artic. 2. quod hoc impedimentum sit tantum ex more populi Christiani vim legis obtinente, ex Ecclesiae approbatione, vt colligitur ex *Conc. Calcedō.*

can. 13. *Agat. can. 67. Tolet. III. can. 14. Tolet. III. cā. 61. & cap. non oportet, cap. caue. 28. q. 1. & L. ne quis, C. de iudæis.* Et probatur argum. c. 7. *Deut.* vbi Deus prohibuit populo suo, ne matrimonia ini-

iniret cum extraneis, quia *seducet filium tuum ne sequatur me, & ut magis seruiat dijs alienis, & repetitur 3. Reg. 11.* Vnde conueniunt Theologi matrimonium personæ Baptizatae, cum non Baptizata etiam catechumena nullum esse, non quidem naturæ iure, quia natura nihil dicit de Baptismi disperitate, sed ut dixi iure Ecclesiastico, quod ius Ecclesiasticum aliquale fundamentum habet in iure diuino, ut patet ex locis citatis, & ex illo Apost. 2. Cor. 6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus.* Ob hoc conueniunt etiam Theologi, Pontificem summum posse ex legitima causa dispensare, quod fidelis matrimonium faciat cum infideli; cum enim hoc matrimonium solo Ecclesiastico iure sit irritum, poterit in eo Pontifex dispensare: nã in lege naturæ, Iacob duxit filias Laban idolatræ; Moses Aethiopiã. Imò D. Augustini tempore passim fiebãt huiusmodi matrimonia, quia tunc adhuc irrita non erant, vnde S. Monica virum habuit paganum, ut idem Augusti-

nus dicit lib. 9. confess. cap. 9. videatur idẽ Augustinus lib. de fide, & operibus cap. 29. & D. Hierony. lib. 1. contra Iouin. vbi dicunt, quod eorum tempore multa fuerunt huiusmodi coniugia.

104 Maior difficultas est de matrimonio catholici cõ hæretica, vel e contra: de qua re conueniunt omnes matrimonium catholici cum hæretica, & e contra, validum esse, ut constat ex cap. *decret. vit. 14.* de Hæreticis; & ratio est, quia nullo iure irritatur; non Ecclesiastico, quia nullibi reperitur, neque naturali, quia id non est contra rationem, & ex alia parte Baptismus supponitur; ergo. Sed dices quia in VI. Synodo can. 72. dicitur hoc matrimonium nullum, ergo? Respondetur quod ille can. nullius est auctoritatis, quia non fuit editus à VI. Synodo; sed post eius dissolutionem, à nonnullis Episcopis; sicut & alij plures, qui Trullani vocantur, non VI. Synodi. Est tamen dictum matrimonium Ecclesiastico iure prohibitum ut constat ex Concil. Calcedon.

don. cap. 13. & ex Ecclesie consuetudine, quæ illud ut illicitum habet. Hoc posito, difficultas est, an aliquando sit licitum fidelem matrimonium facere cum hæretica, & e contra? Aliqui negant, quia non vdetur dabilis casus in quo quis à sacrilegio excusetur; cum enim contrahentes sint huius sacramenti ministri, & sibi inuicem ministrèt, peccatum grande sacrilegij erit illud scienter ministrare existenti in mortali, & ab illo eodem petere, ut sibi ministraretur.

105 Vt meum habeas iudicium, & difficultatem clare percipias aduerte, quod catholicus potest ex quadruplici capite peccare contrahendo cum hæretica, & e contra, hæreticus cum catholica. Primò, quia facit contra apertam Ecclesie prohibitionem. Secundò, quia alijs scandali præbet occasionem. Tertiò, quia & se, & liberos subuersionis exponit periculò. Quartò, quia sacrilegium committit matrimonij sacramentum profanando, dum illud hæreticæ administrat. Hoc

posito: dico primò, ubi hæretici non sunt cum Catholicis permixti, non est causa excusans à dictis quatuor capitibus; in hoc conueniunt omnes, vnde ubi talis non reperitur permixtio, saltem sine dispensatione matrimonium iniuri non potest; dixi, saltem sine dispensatione, &c. quia adhuc potest esse difficultas, an Ecclesia possit tunc dispensare, cum tunc non videatur probabile quod Ecclesia dispense, quod sacramentum indigno administratur, de quo postea.

106 Dico secūdò, ubi catholici sunt cum hæreticis permixti excusari possunt à tribus primis capitibus: etiam in hac conclusione omnes conuenire debent. A' primo quidem quia lex Ecclesiastica in illis locis ubi catholici cū hæreticis sunt permixti, videtur vsu ipso abrogata. A' secundo quia ibi ratione vsus, scandalum cessat. A' tertio, quia catholicus adeo in fide firmus esse potest, quod nullum adsit peruersionis periculum; & quoad prolem potest ab initio contractus exci-

pi, quod proles catholicè educetur.

107 Tota difficultas est de quarto, quomodo namque à sacrilegio excusari possint? Aliquināque illos excusant sequendo Cani opinionem, quod contrahentes non sint huius sacramenti ministri, sed solus sacerdos, licet enim cōtrahentes sint ministri matrimonij, qua contractus ciuilis est, non tamen qua sacramentum est; sed hanc sententiam supra reiecimus disput. 3. q. 12. Alij autem illos excusant dicendo, contrahentes esse quidem huius sacramenti ministros, sed quod vnus non ministret alteri, sed sibi ipsi, sed hic etiam modus nec verus est, nec satisfacit; non est verus, quia in mutuo contractu, mutuum datur ministerium; nec contractus fieret si contrahentes sibi, non ad inuicem ministrarent; nec etiam satisfacit, quia dato, quod vnusquisque sibi sacramentum ministraret, adhuc peccare posset inducendo alium ad sibi sacramentum indignè ministrandum. Alij demum excusant

quando est spes quod fidelis, hæreticam conuerteret, quod volunt præsertim verum habere quando hæretica hoc sine cuperet matrimonium fieri, tunc enim sacrilegium non intenditur, sed permittitur, ob finem bonum; hic dicendi modus aliquam habet probabilitatem, vt eius ratio ostendit, tamen animus non omnino acquiescit, quia contrahentes, supposita huius sacramenti institutione, quando Baptizati sunt, debent habere intentionem verum efficiendi sacramentum; non possunt Baptizati matrimonium facere solum secundum quod contractus ciuilis est, si enim hoc semel fieri posset, vt quidam dicunt, & videtur insinuare Sanchez disput. 72. nu. 5. quatenus dicit, quod tunc coniugia ineuntur ad instar aliorum contractuum; omnis cessaret difficultas; si ergo Baptizati tenentur facere matrimonium, qua sacramentum est, debent de hoc intentionem habere, & sic non possunt conuersionis finem intendere & sacrilegiū permittere. Quia tamen, vt dixi,

dixi, ille modus probabilis est, in virtute illius illa matrimonia excusari possunt, & Ecclesia posset, vt fierent dispensare.

108 Ego puto catholicum excusari ab illo sacrilegio committendo ratione ignorantia, quia scilicet nescit talem contractum sacrilegum esse, & Ecclesia iustis de causis illa matrimonia permittit. Hinc deducitur illius difficultatis solutio, an sponsalia cum hæreticis, sint valida. Nauar. nãque lib. 4. *consil. vii. de sponsal. consil. 38. n. 6. vel. cõsil. 5. nu. 6.* putat ipso iure esse inualida. Ratio est, quia omnis promissio de re turpi nulla est, sed sponsalia cum hæretica, sunt promissio de re turpi; promittit namque rem prohibitam, ac proinde turpem; ergo. Ob hoc dicebat D. lfid. apud Gratianum cap. *in malis, 2. q. 4. in malis promissis rescinde fidem*, & infra, *impia est promissio qua scelere adimpletur*. Alij volunt sponsalia cum hæretica valida esse, posse tamen rescindi, si hæretica conuerti nolit. Ratio horum est, quia talium

sponsaliorum promissio est de re licita, nempe de matrimonio in quod sponsalia ferruntur; ac proinde ex obiecto licita, honestaque sunt. nec hanc honestatem obiectalem tollit status hæresis, alioqui nec hæreticus hæretico promittere matrimoniũ posset, nec catholicus catholico in mortali existenti; idem dicendum esset de alio quolibet contractu. Sed non placet, non enim in hoc casu promittitur solum res honesta, sed quæ debet ab ipso promittente administrari, atqui promittens non potest matrimonium, existenti in statu hæresis, sicut neque existenti in mortali administrare; sicut nec alia sacramenta, quãdo status peccati dignoscitur; ergo. His relictis dico, quod sponsalia cum hæretica non sunt absolutè valida, sed solum in illis casibus in quibus matrimonium validum est, vbi scilicet catholici cum hæreticis permixti sunt, vt in Germania, Anglia, Belgio, Pollonia, &c. vbi namque matrimonium licitum est, & eius promissio licita



erit; & vbi matrimonium illicitum est, eius promissio nulla erit, cum promissio de

re illicita sit nulla, vt bene probat Nauar.

## Q V A E S T I O X.

*De septimo matrimonij impedimento, quod est vis, & metus.*

109 **D**E impedimento *vis*, iam diximus fusè disput. 3. q. 9. per totam. Vbi explicuimus quando *vis*, & *metus* non solū impediunt, verum etiam dirimant matrimonium, quatenus legitimo obstant consensui, qui ad matrimonium requiritur: vnde si per vim, & metum sola extorqueantur verba, sine interiori consensu, tunc matrimonium naturæ iuræ est

nullum ex defectu interioris consensus, qui ex necessitate ad matrimonij cōtractum, sicuti ad alios quoscunque requiritur. Quod si per vim, & metum etiam interior extorqueatur consensus, tunc matrimonium nullum est iure Ecclesiastico, quando *vis*, & *metus* grauia sunt, secus si lenia; videantur ibidem dicta.

## Q V A E S T I O XI.

*De octauo matrimonij impedimento quod est Ordo.*

110 **C**onueniunt omnes Ordinem sacrum matrimonium dirime-

re Ecclesiastico iure, à tempore scilicet Inno. II. vt ex eius can. habetur, c. vt lex 27.

q. 1.

q. 1. Nam licet continentia ab Apostolis fuerit deriuata, & sacris Ordinibus annexa, vt ex eorum can. 25. colligitur, non tamen erat impedimentum dirimens, sed simplex quædam prohibitio, vt ex Cõcilio Anuiano 12. Colligitur, & ex Concilio Neocæsariensi can. 1. Postea citato cap. *vt lex*, indicta fuit cõtinentia vt impedimētum dirimens, ratione voti solemnisi annexi Ordini sacro, tamen per Ordinem sacrum solum veniebat Diaconatus, Præbyteratus, & Episcopatus, & hi solum continentiam in sui Ordinatione promittebant, postea cap. *à multis*, de ætate, & qualit. Ordin. fuit continentie votum etiam ad Subdiaconatum extensum, à quo tempore hic Ordo, sacer appellari cœpit: quæ omnia tandem confirmata sunt à sacrosancto Concil. Trident. sess. 24. can. 9. Vt autem, quæ ad hanc spectant materiam habeantur, aliquas proponemus difficultates; & soluemus.

III Prima difficultas est, an sacris Ordinibus initiati

ad continentiam teneantur ex mera Ecclesie constitutione, vel lege, vel ex voto, quod Ecclesia sacro annexuit Ordini? Hanc difficultatem resoluimus in tract. de Ordine disp. 2. q. 4. §. Tertiū Subdiaconi requisitū vbi ostēdimus teneri præcisè ratione voti, nō ratione Ecclesiasticæ constitutionis, aliōqui sacro alligatus Ordine fornicans tria cõmitteret peccata vnum luxuriæ, aliud contra votum, & aliud contra Ecclesie præceptum, quod nemo dicit, & sic in tantum Ecclesia continentiam mandat sacris initiatis Ordinibus, in quantum, illis votum apposuit: videantur ibidem dicta, vbi etiam explicuimus ad quid teneatur, qui tale votum ignorauit.

III Secunda difficultas, an votū sacris annexum Ordinibus sit simplex, vel solemnne? Respondetur esse solemnne. Ita D. Thomas 4. dist. 38. q. 1. art. 2. quæstiun. 3. in corpore, vbi sic habet: *Votum dicitur solemnne ex hoc, quod habet completam vim obligandi. Ea enim ad solemnitatem rei pertinere dicuntur, quæ ei*

completum esse tribuunt: *vo-*  
*sum* autem cum essentialiter  
*fit* promissio, complementum  
*sua* virtutis accipit, sicut &  
*promissio*, cuius quidem obliga-  
*tio* tunc completur, quando ali-  
*quis* hoc quod promittit in pra-  
*senti* dat, quodam modo panens  
*cum*, cui fit promissio in corpo-  
*rari* possessione alicuius rei, un-  
*de* habere possit quod promittit;  
*sicut* si aliquis fructus agri pro-  
*mitteret*, & promittendo agrum  
*daret*: & similiter si seruitium  
*aliquod* promitteret, & se in-  
*seruum* daret. Et ideo tunc vo-  
*tum* solemnizari dicitur, quā-  
*do* aliquis praesentialiter se dat  
*Deo* diuinis se seruitijs manci-  
*pando*, quod quidem fit per  
*Ordinis* sacri susceptionem, &  
*per* professionem certa regula  
*debito* modo facta, scilicet in  
*manum* eius, qui debet recipere,  
*&* alijs circumstantijs ser-  
*uatis*, quae secundum iura de-  
*terminantur*. Hæc D. Tho-  
*mas*, vbi vt vides radiciter  
*explicat* solemnitatis ratio-  
*nem*, quod scilicet votum sa-  
*cri* Ordinis veram habeat, &  
*essentialem* solemnitatem,  
*quia* sacro Ordine initiatus  
*nō* solum castitatem promit-

tit, verū etiam dat sui corpo-  
 ris potestatem Ecclesie, abdicā-  
 do à se sui corporis dominiū,  
 & transferendo illud in Deū,  
 quæ translatio ab Episcopo  
 Dei nomine acceptatur. Et  
 ita docet textus cap. *unico*, de  
 voto in 6. vbi Ecclesia hoc  
 votum vt solemne admittit,  
 & voto solemni religionis æ-  
 quiparat. Idem habetur in  
 extrauag. *Antiquæ*, de voto.  
 Fit autem illa traditio, & voti  
 solemnitas non per verba,  
 sed per factum, sicut enim re-  
 ligiosa professio de iure com-  
 muni solo facto solemniza-  
 tur, vt cum Nouiti us habi-  
 tum defert professorum, &  
 quæ professorum sunt propria  
 exequitur, videntibus, & non  
 contradicentibus Prelatis, ita  
 & votum solemne sacrorum  
 Ordinum, non verbis; sed fa-  
 cto solemnizatur, per ipsam  
 sacri Ordinis susceptionem,  
 ex Ecclesie lege, & constitu-  
 tione. Non tamen fit Subdia-  
 conus religiosus, licet firmū  
 assumat statum, quia licet per  
 votum solemne castitatis pri-  
 uetur corporis dominio, non  
 tamen priuatur dominio vo-  
 luntatis per votum obedi-  
 entie,

tia, nec dominio rerum externarum per votum paupertatis.

113 Tertia difficultas, quo iure hoc votum solemne matrimonium dirimat? Respondetur iure diuino naturali; licet enim hoc votum ex sola Ecclesiæ lege, sit sacris annexum Ordinibus, tamen ipsū votum solemne habet iure naturali diuino matrimonium dirimere, vt supra probauimus quæst. 9. per totam, nec est necesse amplius in hoc immorari suppositis ibidem dictis, omnino videndis.

114 Quarta difficultas, an Ordo sacer per vim, vel metum acceptus, castitatis inducat obligationem? Conueniunt omnes quod Ordo sacer, imò & non sacer, vi præcisa, & absoluta receptus nō teneat, nec castitatis inducat obligationem. Ita determinatur c. *Maiores*, de Baptismo, & ratio clara est, quia vis absoluta omnem tollit voluntatem, ac proinde Ordinis validitatem, cum sine voluntate Ordinis validitas non habeatur. Conueniunt etiam, quod si iam coniugatus, non

per vim absolutam, cum qua Ordinis non stat validitas, sed per metum cum quo stat, vt colligitur ex eodem capite *Maiores*, cum metus non tollat voluntatem, sed solum faciat inuoluntarium secundum quid, ordinetur, sacrum recipiendo Ordinem, licet Ordo teneat ad continentiam tamen non tenebitur. Abb. dicit cap. *Maiores*, & alij Canonistæ ibidem, quod verum habet, etiam si vxor contineri vellet. Hostiensis summa de atat. & qualitat. Ordia. nu. 5. Ratio clara est, quia non videtur rationi cōsonum, quod per Ordinem sacrum graui metu susceptum, quis iure prius acquisito per matrimonium priuetur. Vnde difficultas solum procedit de illo, qui ante matrimonium, per metum sacro initiatur Ordine, an scilicet ad continentiam teneatur, & sic, nō possit matrimonium inire, an vero non teneatur, & possit, si velit matrimonium facere?

Prima sententia est, quod sic per metum ordinatus ad continentiam teneatur, & si matrimonium ineat, matri-  
mo-

monium nullum sit. Hanc sententiam satis probabiliter sustinent plures Canonistæ dicto cap. *Maiores*, vt Abb. Ioannes Andreas, Pontius, & alij, & habet satis bonum fundamentum in Concilio Toletano 4. cap. 5. 6. Huius sententiæ ratio est, quia sic ordinatus, Ordinis recipit characterē, cui castitas annexa est; ergo sicuti Ordo tenet, & castitas annexa tenebit; accessorium namque principalis sequitur naturam, regula *Accessorium*, de regulis iuris in 6. & sic si principale tenet, & accessorium tenebit.

115 Nostra sententia sequenti explicatur cōclusionē. *Ordinem sacrum per metum recipiens grauem, ad castitatem non tenetur.* Hæc conclusio est communis, & illam tenet Sotus dist. 25. q. 1. art. 2. ad 3. Ledesma de sacram. Ordinis cap. 6. diffic. 3. Henriquez de sacram. Ordinis, 14. nu. 3. & 11. de matrim. cap. 3. nu. 9. & alij plures. Ratio est, quia vt diximus, Ordo sacer ad continentiam non obligat ratione sui, sed ratione voti annexi; sed votum præsertim solem-

ne castitatis ex metu graui non obligat; ergo Ordo sacer metu graui assumptus ad castitatem non obligabit. Maior patet ex dictis; præciso namque castitatis voto, Ordo sacer nihil habet per quod castitatem inducat. Minor probatur; nam continentia non debetur, nisi sponte assumatur, cap. *ante triennium*, dist. 31. & cap. *presens* 29. q. 3. & cap. *perlatum*, & cap. *dilectus*, de his quæ vi: vbi votū metu graui factum irritatur. Vnde si iste sic ex metu ordinatus nolit sacro vti Ordine, poterit matrimonium inire, ita præcitati auctores, quibus adde Nauar. sum. cap. 22. nu. 52. Nec tenebitur ad diuinū officium recitandum. Nauar. ibidem. Addit Nauar. lib. 1. consil. *de his quæ vi* consil. 3. nu. 4. vel consil. 5. nu. 4. idem dicendum esse de illo, qui sacrum suscepit Ordinem per metum quamuis metus non fuerit grauis, modo talis fuerit, vt eo secluso nullatenus fuisset initiatus. Oppositum tamen probabilius videtur Sanchez, disput. 29. num. 8. & mihi, quia iura talia vota irri-

irritantia de solo graui metu loqui videntur. Duo tamen aduertenda sunt: vnum quod nostra resolutio intelligi debet quando metus iniuste incutitur; nam si iuste incuteretur votum teneret, vt si Prælatus subdito nollenti sacros suscipere Ordines, illum præcepto, vel alio compellat, subditus sic impulsus ad castitatem teneretur, Ratio est, quia Prælatus ius habet illud præcipiendi. Hinc colligere poteris solutionem cuiusdã casus, de quo aliàs interrogatus fui, an laicus, qui ex Prælati præcepto ad statum clericalem fuit assumptus, & ex eodem præcepto ad sacros Ordines promotus, ad castitatem ex vi huius voti teneretur? Respondi negatiuè, rationem assignabam, quia licet Prælatus ius habeat compellendi choristas, seu clericos vt sacros suscipiant Ordines, quia ad hoc ex vi sui status obligantur, & Prælato subduntur, non tamen laici, cum ex vi sui status ad statum clericalem non deputentur, sed ad religionis ministeria; imò dixi non teneri illum lai-

cum Prælato sic præcipienti obedire, cum quoad hoc non se subiecerit Prælato, sed solum quoad ea, quæ sunt status laicalis.

116 Dixi tamen quod si ille laicus, esset futurus valde utilis religioni in statu clericali, vt fortè erat ille, de quo procedebat interrogatio, ad obediendum teneretur, cum ad hoc Prælati potestas, & subditi subiectio extendi videatur. Licet enim laicus Prælato obedire promiserit in his, quæ ad statum pertinent laicalem, intelligi debet, dummodo alia non vigeat causa, boni præsertim, communis, totius religionis, Prouinciæ, vel Monasterij, ad quod tã subditus, quam Prælatus aspicere debent, & obligari possunt.

117 Secundum quod hic est aduertendum est, quod ille, qui ex metu graui fuit sacro initiatus Ordine, si postea velit Ordine vti, tenetur ex Ecclesiæ lege, votum ratificare, quæ ratificatio fieri potest, & verbo, & facto, vt si sine coactione Ordine exerceat; quæ ratificatione semel facta, non

erit amplius sibi integrum re-  
filire. Quod intelligi debet  
quando sciens, & volens talē  
Ordinem exerceret, sciens  
scilicet, quod per tale exer-  
citiū, votum tacitè ratificetur,  
vt in simili dicunt omnes  
de professione religiosa, Sanchez  
post alios disp. 29. nu. 9.

118 Quinta difficultas, an  
possit vir sine vxoris licentia  
ad Ordines promoueri? Cer-  
tum, indubitatumque est nō  
posse virum post matrimoniū  
consumatum, sacrum suscipere  
Ordinem, sine expressa  
vxoris licentia. cap. *coniuga-*  
*tus*, de conuersatione coniu-  
gatorum. Tum quia gravis fit  
vxori iniuria, velle eam suo  
iure priuare, sine expressa eius  
licentia, quod si vir id faciat  
sine vxoris venia, Ordo quidē  
recipitur, solemne tamen ca-  
stitatis votum non emittitur,  
cum Ecclesia non acceptet  
illud, nec acceptare possit cū  
gravi partis iniuria. Hoc ta-  
men intelligi debet quando  
vxor non fuit adulterata, quia  
tunc vir innocens potest ad  
sacros promoueri Ordines  
vxore inuita, vt infra dicetur.  
Dubium est, an vir possit sa-

culos suscipere Ordines, sine  
vxoris venia, intra bimestre,  
ante matrimonium consuma-  
tum? Certum est hoc prohi-  
beri a Ioann. XXII. in extra-  
uag. *Antiqua*: vnde si vir id  
faciat mortaliter peccat,  
cum iura permittant eo casu  
ad religionem transire, non  
tamen ad sacros Ordines  
ascendere, vt ex eadem ex-  
trauaganti colligitur. Si ta-  
men vir id faciat, Ordo validè  
recipitur, non tamen matri-  
monium ratum dirimitur, nō  
quidem quia votum solem-  
ne, si adesset, non dirimeret  
illud, naturæ iure, sicut id præ-  
stat votum solemne religio-  
nis, sed quia tale votum tunc  
temporis non datur, quia Ec-  
clesia non acceptat illud, imò  
illi resistit. Quod si semel ac-  
ceptaret, matrimonium ratū,  
naturæ iure dirimeret, vt fa-  
cit votum solemne religionis.

119 Sed petes, an vir pos-  
sit ad primam tonsuram, &  
minores ordines promoueri,  
absque vxoris licentia? Ne-  
gat Sanchez disput. 38. nu. 6.  
& probat ex cap. *fin.* de temp.  
ordin. in 6. vbi dicitur: *Nul-*  
*lus Episcopus, vel quiuis alius,*  
cleri-

clericalem præsumat conferre tonsuram coniugato, nisi volenti religionem intrare, aut ad sacros Ordines promoueri, prout est sacris canonibus definitum. Sed verius dicendum est posse coniugatum ad primam tonsuram, seu minores Ordines sine venia vxoris promoueri, vt colligitur ex cap. *coniugatus*, de conuers. coniug. & ex extrauag. *Antiqua*, Ratio est, quia cum primæ tonsuræ, & minoribus Ordinibus continentia votum non sit annexum, nullo iure priuatur vxor per talem susceptionem, sicut priuatur per Ordines sacros. Et ita docent Innoc. dicto cap. *coniugatus*, Hostiensis, & Henricus ibidem, dicēs citatum cap. *fin.* pro Sánchezij sententia citatum intelligi debere nulla existente causa, vel Episcopo non dispensante. Igitur vir potest ex legitima causa primam tonsuram, & minores suscipere Ordines, sine vxoris venia, non tamen maiores, quod si id faciat poterit ab vxore reuocari, & tenebitur illi debitum reddere, quia illa non fuit, per talium Ordinum sacrorū

susceptionem suo iure spoliata, non tamen petere poterit, quia & petendi iure priuatus cēsetur per talium Ordinum susceptionem. Totam hanc doctrinam desumpsi ex D. Thom. 4. dist. 37. quæst. 1. art. 2. in corpore, & ad primū. In corpore sic habet: *matrimonium nō impedit Ordinis sacri susceptionem, quia si matrimonio iunctus ad sacros Ordines accedat, etiam reclamante vxore, nihilominus characterem Ordinis suscipit, sed executione Ordinis caret, si autem volente vxore, vel ipsa defuncta, Ordinem sacrum suscipiat, recipit Ordinem, & executionem.* Et ad primum sic loquitur: *vinculum Ordinis soluit vinculum matrimonij, ratione redditionis debiti ex qua parte habet repugnantiam ad matrimonium, ex parte eius qui Ordinem suscipit, quia non potest petere debitum, nec vxor tenetur ei reddere; sed tamen non soluit ex parte alterius, quia ipse vxori tenetur debitum reddere, si non possit eam inducere ad continentiam.*

120 Sexta difficultas, an ad hoc vt vir, sacros suscipiat



Ordines, matrimonio consummato, ultra vxoris licentiam aliud requiratur? Huius difficultatis resolutio ex duorum canonum intelligentia est defamanda; nam cap. *coniugatus*, de conuers. coniugatorum dicitur: *Nullus coniugatorum est ad sacros Ordines promouendus, nisi ab uxore continentiam proficiente fuerit absolutus*, vbi, vt vides, solum continentiae votum requirit hic textus in vxore, vt quis sacros valeat suscipere Ordines. In cap. *vero Episcopus*, dist. 77. sic dicitur: *Sanè si coniugati iuuenes consenserint Ordinari, etiam vxorum voluntas ita requirèda est, vt sequèstrato mansionis cubiculo, religione promissa, posteaquam pariter conuersi fuerint ordinentur*. Communis resolutio est quam tradit D. Thom. loco citato ad 2. vbi habet: *Quod si vxor sciat, & de eius consensu vir Ordinem sacrum susceperit tenetur continentiam perpetuam vouere: non tamen tenetur religionem intrare, si sibi non timeat de periculo castitatis, propter hoc quod vir eius solemne votum emisit, secus autem si emisisset*

*votum simplex. Si autem sine eius consensu susceperit, non tenetur, quia ex hoc nullum sibi præiudicium generatur*. Vbi, vt vides, vult D. Thomas, & alij communiter cum ipso teneri solum vxorem ad votum castitatis, nec teneri religionem intrare nisi ad vitandum incontinentiae periculum, & hoc modo duo illi textus Angelicè concordantur. Sed petes, an quando vir sacros suscipit Ordines de vxoris venia, & ipsa cum castitatis voto in sæculo manet, possint simul habitare? Negatur citato cap. *Episcopus*, vbi dicitur, *quod sequèstrari debeant*. & affirmatur cap. *uolumus*, dist. 81. Sed concordantur si dicatur sequèstrari debere, quando est incontinentiae periculum, secus quando abesset. Aduertit & benè Sánchez disp. 41. quod ad hoc vt vir fiat Episcopus non sufficit vxoris venia & votum castitatis illius, sed requiritur ulterius quod religionem ingrediatur, quia id statuitur cap. *sanè*, de conuers. coniugat. Sufficiet tamen ad hoc vt vir Cardinalis fiat, quia nullus de

de hoc textus in contrarium reperitur, sicut de Episcopo.

121 Septima difficultas, quæ damna incurrantur à clerico, matrimonium ineunte? Dico primò. *Primum damnum quod incurrit clericus si matrimonium validum ineat, est omnium, quæ habebat beneficiorum amissio.* Unde non debet sententiam, vt aliqui volunt, expectare, sed statim ea renunciare. Ratio est, quia iura talem statuentia beneficiorum amissionem id non faciunt in pœnam delicti, pro quo iudicis sententia desideraretur, sed id statuunt ratione impossibilitatis vinculi matrimonialis, cum beneficio Ecclesiastico. Imò etiam iura, ad beneficia ipsa, vacant. *Nauar. cap. si quando & est communis ex cap. 1. de clericis coniug. & c. quod à te, eodem titulo & alibi.* Non tamen vacat dispensatio in habilitatis ad beneficia; ea namque vti posset clericus coniuge mortua. Dico secundò. *Clericus coniugatus redditur incapax obtinendi beneficij: quia tunc ita se habet, ac laicus cap. 2. de*

clericis coniugatis. Dico tertio. *Clericū ex matrimonio nullo nō amittere beneficia, posse tamen compelli ad illa dimittenda in pœnam delicti intentati.* Sanchez disput. 43. nu. 3. Ratio primi est quia nihil impossibile cum beneficijs posuit. Ratio secundi, quia licet impossibile non posuerit, id tamen tentauit. Dico tertio, *priuatur clericus casu dicto, pensione, titulo clericali data, secus titulo laicali.* Res clara est, quia pensio clericalis incompatibilis videtur cum statu matrimoniali, secus laicalis: quid autem sit pensio clericalis, quid uè laicalis suo loco explicabitur. Pro modo dicere sufficiat pensionem clericalem illam esse, quæ loco datur beneficij, vt ratione resignationis, &c. Illa vero dicitur pensio laicalis, quæ datur ratione ministerij temporalis, vt pro pulsandis campanis, organis, pro re indefensionem Ecclesiæ utiliter gesta, vel gerenda, &c.

122 Dico quartò, *clericus coniugatus, priuilegium canonicis si quis suadente, & priuilegium*

legium fori, vt scilicet non pertineat ad forum saculare non amittit, dummodo duas seruet conditiones, vna quod virginem ducat, altera vt tonsuram, & habitum deferat clericalem. cap. unico, de cleric. coniug. & confirmatur in Tridentino sess. 23. can. 6. vbi 3. additur conditio, vt scilicet de Episcopi venia alicui deferuiat Ecclesie. Pro quibus nota primò quod cognitio, an vestes sint clericales, ad Episcopum, non ad sacularem pertinet iudicem. Couar. qq. pra&c. 33. nu. 1. Iulius clarus l. 5. receptar. §. *fn.* q. 36. n. 21. & alij communiter. Nota secundò, non sufficere vnam, aut alteram habitus dimissionem, dummodo continuo habitum deferat, quia non videtur habitum deserere, qui statim est reassumpturus L. 3. ff. de diuort. Farinacius *practica*, tit. de inquisitione. Nota tertio debere habitum deferre tempore commissi delicti, etiamsi non habuerit illum tempore capturae. Couar. & Farinac. citati, & alij, & ita fuit decisum Craemonae in facti contingentia. Imò dici-

tur Pium IV. in quadam Bulla declarasse, ad tollendas fraudes, quod clericus debeat deferre per sex menses habitum, & tonsuram, ante commissum delictum, vt sibi illa delatio suffragetur. Nota quartò, quod clericus eo modo coniugatus cum dictis circumstantijs praeter dicta priuilegia, alijs non gaudeat, dicto cap. unico. Vnde non potest esse Episcopi Vicarius, nec interesse diuinis tempore interdicti. Nec gaudet priuilegio immunitatis a Gabellis soluendis. Couar. supra q. 31. Nota quintò, quod licet sit probabilis Sanchez disp. 46. nu. 19. & aliorum sententia, quod vt clericus dicta amittat priuilegia non requiratur monitio, nec iudicis sententia. Tamen opposita probabilis etiam videtur, cum ita in alijs causis seruari videatur, cum enim haec priuilegio sit poena quaedam, vt colligitur ex Tridentino loco citato, & poena non nisi post sententiam incurratur, sequitur quod etiam haec priuilegiorum amissio ex non seruatis dictis conditionibus cap.

*unico,*

*unico*, cum poena sit, non amittatur, nisi post sententiam. Vnde Sotus lib. 1. de iust. q. 6. art. 6. concl. 2. defendit legem priuantem priuilegijs eo ipso, non obligare ante sententiam, quia trina desideratur monitio vt clericus in minoribus constitutus non deferens tonsuram clericale amittat priuilegium cap. *si vero aliquis*. cap. *in audientia*, & cap. *contingat*, de sent. excom. Nota sextò. Clericum coniugatum seruãtem dictas condiciones gaudere fori priuilegio nõ solum quoad causas criminales, verum etiam quoad ciuiles: ita Lopus allegat, 118. fine. Francus dicto cap. *unico* & alij; & clare deduci videtur ex eodẽ cap. *unico*. Nec amittunt clerici coniugati dicta priuilegia per negotiationem, quia istis negotiatio concessa est, quæ alij clericis non coniugatis negatur. Syluester V. *Clerici* & alij communiter; Quod si

amittantur dicta priuilegia, dictis nõ seruatis conditionibus, si iterum reassumantur, priuilegia reuiuiscunt, quia tunc temporis priuilegia non amittuntur, sed suspenduntur. Ita Sanchez supra nu. 29. quod à fortiori verum habet vxore defuncta, tunc enim omnia reuiuiscunt priuilegia clericis tonsuratis conuenientia, si clericus ad propria clericorum redeat ministeria. Azor. l. 13. c. vlt. q. *fin.*

123 Putant aliqui vxorem clerici coniugati gaudere priuilegio fori, licet non can. Syl. verbo *Excom. 9. cap. 5. nu. 21. fin.* Angelus eodem v. 7. Tabiena 5. & alij plures, sed verius videtur neutro gaudere priuilegio, quia priuilegia illa sunt personalia, & ipsius clerici propria; ergo non debent ad vxorem extendi, cum illa persona non sit Ecclesiastica. Sanchez disp. 46. nu. 3. post alios.



## Q V A E S T I O XII.

De nono matrimonij impedimento, quod est  
ligamen.

124 **T**heologi hoc loco  
*ligaminis nomine*  
nil aliud intelligi voluat, quã  
alterius matrimonij, iam con-  
tracti, vinculum, quod quan-  
diu durat, omne aliud subse-  
quens dirimit matrimonium,  
hocque naturæ iure cap. *licet*,  
extra de sponsal. & docet  
Apost. 1. Cor. 7. dicens: *mulier*  
*alligata est legi, quanto tem-*  
*pore vir eius vivit, quod si dor-*  
*mierit liberata est, cui vult*  
*nubat.* Vnde quandiu mors  
alterius coniugis ignoratur,  
quantacunque sit illius ab-  
sentia, tandiu alter coniu-  
gum debet ab alio matrimo-  
nio contrahendo abstinere,  
cap. *in presentia*, extra de spõ-  
fal. Ratio patet ex citato Apo-  
stoli loco, quia tunc tantum  
vxor liberatur à lege viri,  
quando vir eius dormierit,  
non somno naturali, vt malè  
intellexit, vel intelligere vo-  
luit Lutherus, vt deciperet

cuiusdam vxorem, sed dor-  
mitione mortis; ergo quan-  
diu alterius mors non est se-  
cuta, licet putetur, non libe-  
ratur vxor à lege viri. Quod  
si coniux sit dubius de morte  
sui coniugis, si verè obiit, &  
matrimonium cum tali dubio  
ineat, cum intentione verè  
contrahēdi, validum erit ma-  
trimonium. Ita Couar. p. 2.  
de matrim. cap. 3. §. 6. & alij.  
contra Nauar cap. 22. nu. 46.  
& alios quosdam. Ratio est,  
quia tunc nil deest ad matrimo-  
nij valorem, nec ex parte  
materiæ, & formæ, nec ex  
parte intentionis; ergo. Dices  
matrimonium tunc esse nul-  
lum ratione inhabilitatis, eo  
quod Clemens III. & refer-  
tur cap. *in presentia*, de spon-  
sal. decreuit mulierem non  
posse in casu longissimæ ab-  
sentia viri inire matrimoniũ,  
nisi certus habeatur nuntius  
de morte illius? Responde-  
tur

tus id esse quidem prohibi-  
bitum, non tamen irritum.  
posita viri morte, licet non  
cognita; vnde cap. *Dominas*,  
extra de secundis nuptijs per-  
mittitur mulieri secundò co-  
niugata, & dubitanti de mor-  
te prioris viri, reddere debi-  
tum secundo viro, quod non  
fieret si matrimonium irritum  
esset. Imò addo non posse  
coniugem cum alio matrimo-  
nium inire; etiam adhibita  
morali diligentia per multos  
annos de morte absentis cō-  
iugis, sed debet expectare  
donec mors coniugis absen-  
tis fuerit sufficienter probata.  
Ratio est, quia per illam dili-  
gentiam non ponitur certitu-  
do de morte viri, cum possit  
cotingere quod adhuc vivat,  
licet adhuc maneat dubium  
de morte illius. Sed pro ma-  
iori huius impedimenti intel-  
ligentia aliquas proponamus  
difficultates.

125 Prima difficultas est,  
an iure ciuile aliqua poenæ,  
secundò nubenti imponan-  
tur? Respondetur affirmati-  
uè quas supra breuiter enu-  
merauimus. Prima est quod  
si vidua intra annum luctus

nupserit, infamis efficiatur;  
tam ipsa quam vir eam du-  
cens L. 1. C. de secund. nupt.  
Secunda est, vt posteriori vi-  
ro non possit dare, nec in vl-  
tima voluntate relinquere vl-  
tra 3. suorum bonorum par-  
tem L. eadem. Tertia est,  
vt sit expers totius hæredita-  
tis, vel legati, fidei commis-  
si, & donationis causa mor-  
tis. Quartà primatur nubens,  
intra annum luctus, omnibus  
à priori viro relictis, in supræ-  
ma eius voluntate. Quinta,  
quod non possit, sic intra an-  
num luctus, nubens, suis suc-  
cedere consanguineis ab in-  
testato, vltra tertium gradū.  
Hæ tamen poenæ non efficiūt  
virum intra luctus annum nu-  
bentem, quia maior hone-  
stas in fœminis, quam in vi-  
ris requiritur, nec viri com-  
pelli debent ad vxores lugē-  
das L. *uxores*, ff. de his qui no-  
tantur infamia. Sunt tamen  
hæ poenæ iure canonico cor-  
rectæ. Clarus lib. 5. recept. S.  
stuprum nu. 6. & alij commu-  
niter: excipitur tamen poenæ  
4. vnde vidua intra annum lu-  
ctus nubens amittit donatio-  
nem antenuptialem, & om-

nia quæ ex viri liberalitate ad ipsam peruenerunt, siue donatione, siue legato, &c. & ratio est, quia cum mulier ita velociter virum suum dehonestarit, iure optimo, tanquam viro ingrata perdit, ea, quæ ab ipso liberaliter data fuere, præsertim cum ea, censentur data, intentione, vt intra annum luctus ad secundas non trāseat nuptias; Tum quia quilibet, nisi aliud de opposito constet, censetur de rebus suis iuxta leges disponere; atqui ita leges disponunt; ergo.

126 Sed petes, an hæredes defuncti mariti teneantur ad alimenta præstāda viduæ intra annum luctus nubenti? Garronus *rubrica C. de secundis nuptijs* & alij volunt, nec alimenta nec dotem deberi, nisi post annum. Alij volūt deberi integra alimenta pro toto luctus anno, & dotem, etiamsi intra annum nubat. Sed vera sententia est deberi alimēta per integrum annum luctus si nō nubat, si autem nubat, solum deberi vsque ad tempus quo nubit. Ratio est, quia

ideo leges voluerunt viduam deberi ali pro toto luctus anno, quia non habet à quo alatur; atqui statim ac nubit habet à quo alatur; ergo: &c.

127 Petes etiam, an vidua teneatur vestes lugubres restituere, si intra annum nubat? Respondetur affirmatiuè secundum leges ciuiles, quas non esse correctas docet Mazienzo lib. 5. recapit. tit. 1. L. 4. Glof. 2. n. 39. & alij communiter, & ratio est, quia leges ciuiles non statuunt vestium lugubrarum restitutionem, in pœnam secundarum nuptiarum, sed quia eo casu vestes lugubræ non censeantur accomodatae viduæ nubenti; ergo.

128 Secunda difficultas, an pœnæ quæ secundo nubenti imponuntur, quæ in liberorum fauorem resultant, fiat iurè canonico sublata? Respondetur negatiuè. Antonius Gabriel. to. 3. Commū. lib. 3. tit. de secundis nuptijs. Concl. 6. nu. 1. Couar. 4. Decret. 2. p. c. 3. §. 9. num. 5. & alij communiter. Sunt autem pœnæ sequentes. Prima est quod vidua transiens ad secun-

cundas nuptias non potest plus marito relinquere, quam reliquerit primi mariti filijs, & cui minus reliquit *L. hac edictali 6. C. de secundis nuptijs.*

129 Secunda quod mater ad secundas transiens nuptias filiorum amittat tutelam. *L. fin. & authent. sacramentum. C. quando mulier tutelæ officio.* Et hoc ipso iure absque iudicis sententia. Primò quia ita citatæ leges statuere videntur. Secundò quia ipsa mulier dum ad secundas transit nuptias, filiorum renunciare censetur tutelæ. Tertia poena est, quod vidua ad secundas transiens nuptias amittit ius executricis testamentariæ, si à marito sic fuit instituta. Ratio est, quia tutela, & testamenti executio in iure æquiparantur *Glos. L. antepenult. v. ad alium ff. de tutela.* Quarta poena est, quod quamuis filij apud matrem viduam educandi sint *L. 1. C. vbi pupilli educari debeant;* tamen si mater ad secundas transeat nuptias, eo iure priuatur. *L. citata C. vbi pupilli.* Et ratio est, quia si iura non

iudicant viduam ad secundas nuptias transeuntem, fidelem pro pupillorum bonis custodiendis, ob quod illam tutela priuant, à fortiori iudicabunt infidelem pro eorundem filiorum educatione. Placet tamen aliquorum sententia, vt *Curtij iunioris consil. 94. nu. 9. Bald. L. omnem 6. nu. 11. & aliorum,* quod mater ad secundas transiens nuptias à pupilli educatione non excludatur, nisi suspecta censetur; & quod iura hanc poenam statuentia in hac fundentur præsumptione, qua celsante non debeat mater eo iure priuari, in dubio autem priuari debet, cum tunc magis legis iura, quam matris clament. Et hoc magis habet verum quando mater est filio successura, quia substitutio pupillaris ipsam excludens facta non est, quia tunc grâdis suspicio esse potest, quod vitæ pupilli insidietur, vt illi succedat. Hæc poena in patre ad secundas nuptias transeunte locum non habet, cum nullo iure id caueatur.

130 Quinta poena est, quod licet mater bona filij admini-



frans non teneatur de modicis rationem reddere L. *quãuis*, ff. de cõdit. & demonstrat. Si tamen secundò nubat tenebitur. Authent. *de nuptijs*, §. *fin* autem tutelam. Bald. L. *cum oportet*. §. *fin*. num. 4. præsertim si à viro filiorum tutrix sit relicta. Garron. *Rubrica C. de secundis nupt.*

131 Tertia difficultas, an poenæ quas testatores in suis apponunt testamentis tran-

seuntibus ad secūdas nuptias, iure Canonico sint correctæ? Respondetur negatiuè. Ratio est, quia cap. *fin. de secundis nuptijs*, solum corriguntur poenæ à ciuilibus legibus cõstitutæ, non vero ille quæ à testatoribus in suis apponuntur testamentis, quænam autem sint ad tractatum de testamentis, & legatis, eius examen spectat.

## Q V A E S T I O XIII:

*De decimo matrimonij impedimento, quod est honestas.*

132 **P**ublicæ honestatis impedimentū duo comprehendit, sponsalia, & matrimonium ratum, est autē publica honestas, seu iustitia publicæ honestatis *quedam propinquitas ex sponsalibus orta, & ex matrimonio rato*: sic vocatur hoc impedimentum, quia publica postulat honestas, vt sponsus matrimonio non coniugatur cum sorore sponsæ, vel propriæ vxoris,

quæ defuncta est, antequam matrimonium cõsumaretur. hoc supposito aliquas proponamus difficultates.

133 Prima difficultas, quomodo hoc impedimētum ab Affinitatis impedimento distinguatur? Quidam cum Syl. v. *matrim.* 8. quæst. 14. dic. 2. & alijs volunt hanc difficultatem esse de solo nomine, præsertim loquendo de honestate matrimonij rati cum  
exten.

extendatur ad quartum gradum, sicut affinitas. Sed licet hoc ita sit quantum ad extensionem usque ad quartum gradum, nihilominus magna reperitur differentia inter matrimonium ratum, & affinitatem; nam affinitas proprie dicta, est *quædam propinquitas orta ex seminum commixtione*, at vero affinitas orta ex sponsalibus, & ex matrimonio rato non est affinitas proprie dicta, sed imperfecta, & initiatiua, & quia maior est in matrimonio rato, quam in sponsalibus cum proximius ad seminum commixtionem accedat matrimonium ratum, quam sponsalia, ideo Ecclesia affinitatem ortam ex matrimonio rato extendit usque ad quartum gradum; at vero illa, quæ est ex sponsalibus, post Tridentinum, non nisi ad primum gradum extenditur. Ecclesia ergo ut differentiat affinitatem ortam ex sponsalibus, & ex matrimonio rato, ab illa quæ oritur ex seminum commixtione, vocat *honestatem*. Hanc doctrinam desumpti ex D. Thom. 4. dist. 41. art. 1. quæstiunc. 4. ad 2.

vbi sic loquitur: *Vir, & mulier efficiuntur in carnali copula una caro per commixtionem seminum: unde quantumcunque aliquis claustra pudoris inuadat, vel frangat, nisi commixtio seminum sequatur, non contrahitur ex hoc affinitas: sed matrimonium affinitatem causat non solum ratione carnalis copulae, sed etiam ratione societatis coniugalis, secundum quam etiam matrimonium naturale est, unde & affinitas contrahitur ex ipso contractu matrimonij per verba de presenti ante carnalem copulam: & similiter etiam ex sponsalibus, in quibus fit quædam pactio coniugalis societatis, contrahitur aliquid affinitati simile, scilicet publica honestatis iustitia. Per quæ reprehendendus venit Thomas Sanchez lib. 7. disput. 64. vbi vult quod neque ex sponsalibus, neque ex matrimonio rato affinitas aliqua etiã imperfecta oriatur, sed solum publica honestas, cum hæc honestas publica nil aliud sit quam quædam affinitas, seu propinquitas, quæ prius non erat, vt ex dictis liquet.*

Secun.

134 Secunda difficultas, quomodo impedimentū publicæ honestatis ex sponsalibus causetur? Respondetur caufari ex sponsalibus tantū validis, & in primo dumtaxat gradu post Tridētinum, nam ante Tridentinum vsque ad quartum gradum extēdebat. Dixi *ex sponsalibus tantū validis*, quia ante Tridentinum ex quibuscunque sponsalibus dictum oriebatur impedimentum, vt constat ex dicto Concilio sess. 24. *de Reformat. cap. 3.* vnde ex sponsalibus conditionatis ante conditionis adimpletionem, nullum oritur impedimentū, cum non nisi conditione adimpleta perficiantur. Similiter ex sponsalibus secundis, stantibus primis validis, nullum impedimentum caufatur, cum secunda sponsalia, stante primorum validitate, inualida sint; ex inualidis autem sponsalibus impedimentum nullum procedit. *cap. unico extra de sponsal. in 6.* Dixi hoc impedimentum post Tridētinum caufari *in primo dumtaxat gradu*, lineæ scilicet tā rectæ, quam transuer-

sæ, tam ante sponsæ mortē, quam post, & ratio remotioris gradus habenda est, vt omnes tradunt. Vnde qui sponsalia cum vna contraxit, cuius sororē cognouit carnaliter, cum neutra validè contrahere potest, non cum illa cum qua sponsalia contraxit propter affinitatis impedimentum superueniens, neque cū illa cum qua copulam habuit propter sponsaliorum, cum prima, impedimentum, &c.

135 Tertia difficultas, an hoc impedimentum oriatur ex spōsalibus oretenus factis, absque interiori consensu? Affirmat Sanchez disput. 68. quando defectus consensus exterius non constat; & rationem assignat, quia quamuis sponsalia sine interno consensu sint nulla, exterius tamen apparent valida, ob quod tūc erit publica honestas, ad publicum scādalum vitandum, publicamque indecentiam, ob quæ vitanda, hoc impedimentum *cap. unico*, citato, indudum est. Sed verius dicendum est cum Ledesma q. 55. art. 4. Veracruz in Appendice, nullum oriri impedimentum;

tum, cum enim hoc impedimentum sit *iustitia publica honestatis*, ut vocat D. Thom. supra, & alij cum ipso, non obligabit nisi quando sponsalia ex iustitia obligabunt, atqui ex sponsalibus nullis, nulla oritur iustitiæ obligatio; ergo neque hoc iustitiæ impedimentum oritur: unde licet exterius indecência appareat, reuera tamen non est. Unde quoties sponsalia verè quocumodo sunt nulla, etiam si talis nullitas exterius non appareat, nullum oritur honestatis impedimentum: nec verum est hinc scandalū oriri, cum possint, sic contrahere videntes, cogitare nulla fuisse sponsalia.

136 Quarta difficultas, an ex sponsalibus validis mutuo tamen consensu dissolutis, hoc impedimentum oriatur? Affirmat Sanchez supra, quia oritur hoc impedimentum ex sponsalibus per alterius mortem dissolutis; ergo etiam ex dissolutis ex mutuo contrahentium consensu. Sed deceptus fuit Sanchez, quia in contrarium extat S. Congregationis Cardinalium decla-

ratio apud Rebell. in Appendice ad 4. lib. nu. 99. Ratio est, quia sponsalia, quæ mutuo solvuntur consensu evanescent, immediate, & ratione sui; ergo tunc nulla oritur honestas. Nec ratio opposita probat, quia sponsio quæ duos afficiebat per alterius mortem non evanuit, sed remansit in superstite, vel si aliquomodo evanuit, hoc solum mediatè fuit per subiecti destinationem, non per partis condonationem, & remissionem. Idem dicendum puto non oriri tale impedimentum ob eandem rationem quando sponsalia dissoluntur, quia vnus ob sufficientem causam resiliuit. Igitur impedimentum hoc, solum oritur ex sponsalibus cum determinata persona, & ex absolutis, & validis, non ex nullis, siue ex defectu consensus, siue ob aliud impedimentum, licet occultum, siue quia dissoluntur ex mutuo consensu, vel quia alter iustè resiliuit, &c.

137 Quinta difficultas, quomodo hoc impedimentum ex matrimonio rato causetur? Declaravit Pius V. in breui

brevi quod incipit ad Romanam quod ex matrimonio rato oriatur impedimentum dirimens vsque ad quartum gradum inclusivè, vt stabilitum erat ante Tridentinum c. 14 s. 27. q. 2. & cap. iuuenis, 3. de sponsal. & cap. duo, 25. de desponsat. Impuberum; nec fuit hoc impedimentum à Tridentino mutatum, sed vt vt erat relictum. Non oritur hoc impedimentum ex matrimonio nullo, quoquomodo nullum sit, siue ex defectu consensus, siue ex defectu solemnitatum essen-

tialium, siue ex defectu ætatis, &c. Ratio est, quia cum hoc impedimentum sit quædam affinitas vt dicit D. Tho. supra, & hæc non causetur ex matrimonio nullo; neque hoc impedimentum causabitur. Ex matrimonio conditionato conditione suspendente consensum, non oritur hoc impedimentum, quando non est purgata conditio, ante enim id tempus, matrimonium perfectum non censetur, vt in simili diximus de sponsalibus.

## Q V A E S T I O XIV.

De undecimo matrimonij impedimento, quod est affinitas.

338 **A**ffinitas est quædam personarum propinquitas proveniens ex copula ad generandum idonea siue licita, siue illicita sit cap. discretionem, de eo qui dixit. Trident. sess. 24. c. 4. vnde copula ad generandum non idonea affinitatem non indu-

cit cap. lex, 37. q. 2. & cap. extraordinaria 35. q. 1. vnde copula absque seminis introductione affinitatem non generat, imò neque viri seminatio intra vas femine secundum veriorem sententiam, affinitatem causat, nisi fiat & femine seminatio; ratio

rio est, quia affinitas tunc solum oritur, quando sanguis viri (sic vocatur semen honestieri vocabulo, quia semen ex sanguine proximè generatur) & sanguis menstruus foeminae commiscetur intra eiusdem foeminae matricem, ut tradit Benedictus cap. *Lex diuina*, 23. q. 2. ut sic fiat ex vtriusque sanguinis, seu seminis commixtione vna caro. Vnde ad affinitatem caufandum requiritur immissio seminis prolifici viri, & non sufficit sensen Eunuchorum, seu euiratorum, quia hoc nõ est aptum generationi; nec sufficit emissio, nec immissio seminis sodomiticè facta, quia generationi est innepta. Discrepant tamen Theologi, an sufficiat immissio seminis sine membri penetratione, ut si Demonis arte, vel alia, solum semen, non virile, intromittatur, negat Pontius lib. 7. c. 33. & alij aliqui. Sed oppositum, quod communiter tenetur mihi magis placeat, quia ea seminis immissio est generationi idonea, & per illam fit vna caro, vnusq; sanguis, quod etiam verum ha-

bet, quando ille cuius semen intromittitur non est habilis ad generationem, quia v.g. non potest vas foemineum penetrare. Benè etiam docet Inno. cap. *fraternitatis*, de eo qui consanguineam cognouit, & Ludouicus Lopex 2. p. instructo. cap. 50. non fieri affinitatem nisi foemina seminet, etiam si semen menstruum intra matricem præcontineretur; quia semen intra matricem præcontentum non sufficit ad generationem, sed requiritur semen quod tunc temporis emittatur quando fit seminis viri immissio, quia illud prius semen censetur mortuum, per suorum spirituum euaporationem, & sic non potest esse sufficiens, ad fouendum semen viri, ut generatio fiat.

139 Sed quæres primò, quomodo affinitatis gradus cognoscantur? Responderetur cognosci sequenti regula, ut posita carnali copula inter virum, & foeminam, quo gradu aliquis est viro consanguineus, eodem gradu fit affinis mulieris, & e contra; eo gradu quo quis est consanguini-

acus mulieris, eodem gradu sit affinis viri. Vnde consanguinitas affinitatem parit, non tamen affinitas affinitatem, quod debet bene notari, & colligitur ex cap. *quod autem*. 35. q. 5. & sic affinitas, quæ oritur ex copula coniugali inter uxorem, & consanguineos mariti, & econtrà, non impedit quin consanguinei mariti in eam matrimonium cum consanguineis uxoris. Imò potest vnus, & idem successiue accipere duas uxores, quæ antea duobus fratribus nupserant. Exempli causa, si duæ mulieres sibi inuicem extraneæ nubant duobus fratribus. Titius qui illis duobus defunctis, cõsanguineus, vt suppono, non erat, accipiat primò in uxorem viduam maioris natu, qua mortua accipere poterit viduam minoris natu, quia hoc nec per cognationem impeditur, cum illam non habeat cum defunctis, nec per affinitatem quia illam non contraxit, cum Titius non esset consanguineus illorum duorum fratrum; vnde licet illæ mulieres sint ad inuicem affines, non tamen

cum Titio; & sic ista duo distinguntur. Affinis tuus, & affinis tui: non licet tibi contrahere cum affine tuo, licet tamen tibi contrahere cum affine tui, idest tuæ vxoris; & horum ratio est quia licet vir & foemina media copula fiant vna caro, & vnus sanguis, & consanguinei vnus fiant propinqui, & affines alterius, & econtrà, non tamen ipse vir, & ipsa foemina, qui fuerunt carnaliter commixti, quia potius sunt stipites, seu truncus, vnde affinitatis initium sumitur; vnde quolibet mortuo affinitas in eis consanguineis perseverat cum altero superstitè, licet persona deficiat, quæ origo, & principium fuit affinitatis. Hinc duo fratres accipere possunt duas sorores: & pater & filius, matrem, & filiam, quia vxor fit quidem affinis cum omnibus consanguineis mariti, & in eodem gradu ac est ille, & econtrà, non tamen filia vxoris patris fit affinis filij mariti suæ matris, & licet frater fiat affinis cum sorore suæ vxoris, non tamen soror suæ vxoris fit affinis fratris viri suæ

suæ sororis, cum affinitas af-  
finitatem non causet.

140 Quæres secundò, utrū  
affinitas naturali iure oriatur  
ex copula carnali explicata,  
in qua fit sanguinum commi-  
xtio? Duo certa sunt apud  
omnes. Primum, quod ex  
quacunque copula perfecta  
siue licita, siue illicita, affini-  
tas oriatur iure Ecclesiastico  
cap. non debet, 8. de consan-  
guinit. & affin. & cap. discretio-  
nem, 6. de eo qui cognouit cō-  
sanguineam. Secundum, quod  
ex dicta copula, quando con-  
iugalis est, naturaliter affini-  
tas oriatur. Ratio est, quia  
ex dicta copula fiunt coniu-  
ges vna caro, & sanguis, ra-  
tione cuius quilibet cōiux na-  
turaliter fit affinis consanguineis  
alterius. Dubium solum  
est, an ex copula fornicatia  
affinitas naturaliter oriatur.  
Negat Sanchez lib. 7. dist. 65.  
& alij suæ societatis. Sed op-  
positum omnino tenendum  
est, vt tenent Ioan. Andreas,  
& alij Canonistæ. c. 1. de con-  
uers. infid. & aperte colligitur  
ex Apostolo, cuius hodie dū  
hæc scribo conuersionem col-  
imus, 1. Cor. 6. vbi dicit. *Qui*

*adhaeret meretrici, vnum cor-  
pus efficitur, & assignat ratio-  
nem, quia, erunt duo in carne  
vna. Ex quo loco efficacissi-  
ma contra Sancium ratio de-  
sumitur, nam ideo in copula  
coniugali affinitas naturaliter  
cum consanguineis coniugis,  
causatur, quia per illam con-  
iuges fiunt vnum corpus, &  
vna caro; atqui hoc idem per  
Apostolum fit in copula for-  
nicaria; ergo. Sed arguit  
Sánchez ex L. non facile, S. sciē-  
dum est ff. de gradibus affini-  
tatis vbi dicitur, quod nuptijs  
interdictis nulla affinitas, nec  
cognatio oriatur? Responde-  
tur quod ibi nil determina-  
tur, nisi quod ex interdictis  
nuptijs affinitas non oriatur,  
non absolute, sed quoad ci-  
uiles quos parit effectus, suc-  
cessionis, hæreditatis, &c.  
Arguit secundò, quia si ex  
copula illicita affinitas orire-  
tur naturaliter, natura ali-  
qua illi nomina dedisset; at-  
qui non dedit, vt dedit affi-  
nitati ex copula licita; ergo?  
Respondetur quod ideo na-  
tura nomina non dedit affini-  
bus ex copula fornicaria quia  
probro ducitur; certè vere-*



condarentur fratres concubinarij si à concubina, cognati vocarentur, & econtra; licet ergo ab istis abstinenceamus nominibus, tamen in substantia sunt illa eadem, quæ applicantur affinibus ex copula coniugali. Arguit tertio, quia illa sola carnalis copula affinitatē causat naturæ iure, quæ apta nata est causare amicitiam; atqui hoc non habet copula fornicaria; ergo. Respondetur quod amicitia non est necesse, quod de facto causetur cum affinibus fornicarij, sed sufficit quod secundum se causetur vna caro, vnusque sanguis, ex quo, nisi aliud interesse impediatur, amicitia causari posset, quod in nostro casu contingit, nisi enim ob aliud interesse consanguineis fornicarij fornicatio displiceret, amicitia causaretur.

141 Quæres tertio, an affinitas in primo gradu lineæ rectæ matrimonium naturæ iure dirimat, Affirmat Couar. 4. Decret. 2. p. c. 6. Coninchus disput. 32. & alij plures apud Sanchez disp. 66. Sed verior videtur Caietani 2. 2. q. 154.

ar. 9. Pontij lib. 7. cap. 34. Henriquez lib. 12. cap. 1. & 5. Sanchez dis. 66. & aliorum apud istos sententia, quod scilicet primi gradus affinitas lineæ rectæ naturæ iure matrimonium non dirimat; vnde posset quis ex Pontificis dispensatione ducere vxorem patris sui demortui, quæ eius mater non sit, cum ex alio matrimonio fuerit natus. Ratio est, quia in eo casu nouerca, vulgo matrigna, non habet rationem principij respectu filij, quem non genuit; ergo naturæ iure talis non debetur reuerentia, quæ eodem naturæ iure matrimonium dirimat; vnde licet accessus filij ad patris vxorem habeat aliquam indecentiam, non tamen impietatem, nec adeo grandem irreuerentiam quæ naturæ iure matrimonium dirimat. Secus esset si filius ad nouercam accederet viuente patre, vt patet. Vnde videmus Pontifices pro conscientie foro iam hac affinitate dispensare, quando ex copula oritur fornicaria, cum tamē sit eiusdem rationis cum illa, quæ ex copula oritur coniugali.

gali. Sed arguunt quia Apost. 1. ad Cor. 5. videtur hanc sententiam reprobare dum dicit: *Auditor inter vos fornicatio, & talis, qualis neque inter gentes, ita ut uxorem patris sui quis habeat?* Respondetur Apostolum loqui solum de fornicatione, cum nouerca viuente patre, quæ certè ut diximus maiorem habet indecèntiam cum nouerca, quam cū omnino extranea, & nullo modo affine, & inter affines fornicatio in primo gradu maior affert indecentiam, quam in reliquis, licet speciem non variet, sicut neque consanguinitas secundum D. Thomæ, & aliorum sententiã, de qua in trac. de *pœnit.* Sed hoc magis patebit ex duobus sequenti.

142 Quæres quartò, utrū affinitas in linea transuersa naturæ iure matrimonium dirimat? Affirmarunt aliqui antiqui, & affirmant nostri temporis hæretici ut defendant Henricum VIII. Angliæ Regem, qui Catharinam filiam Ferdinandi, & Elisabetã uxorem fratris sui Arthuri, quam ex Iulij II. dispensatione du-

xerat repudiavit, & ea viuente duxit Annam Bolenam: dicebat enim non potuisse Pontificem talem facere dispensationem, & matrimonium fuisse nullum, & sic Elisabeta repudiata, Bolenam duxit: Maximum Henrici fundamentum desumebatur ex Matt. 14. & Marc. 6. vbi D. Ioannes Baptista arguebat Herodem, quia duxerat uxorem fratris sui, vnde dicebat: *non licet tibi habere uxorem fratris tui,* non poterat Herodes argui, quia Leuitici legem non obseruaret, scilicet: *turpitudinem uxoris fratris tui, non reuelabis,* Leu. 18. quia cum Herodes gentilis esset, non poterat de lege Hebræorum non obseruata reprehendi.

143 Sed vera sententiã est illa, quam docet S. Thomas 2. 2. q. 154. art. 9. ad 3. Caietanus ibidem Pontius lib. 7. cap. 34. Sanchez lib. eodem disp. 66. & alij plures, quod Affinitas primi gradus in linea transuersa naturæ iure matrimonium non dirimat, ac proinde possit in ea Pontifex dispensare? Probatum primò ex Pontificum factis, Alexander

der namque VI. dispensauit cum Emanuele Rege Portugalie anno 1500. vt acciperet in vxorem Mariam filiam Regis Catholici, & sororem Elisabethæ prioris vxoris defunctæ. Iulius II. anno 1509. dispensauit cū Henrico VIII. quam dispensationem Leo XI. approbavit, licet postea cum, libidine motus, vellet iste Rex accipere Annam Bolenam, & repudiare Elisabethā, cæperit agere de illius dispensationis inualiditate. Vnde ob hoc Clemens VII. habito, vniuersitatum Europæ totius iudicio, in publico Cardinalium Collegio, die 23. Martij anno 1534. illam dispensationem iterum confirmauit; quod decretum refert Alfonso à Castro lib. 1. *de potest. legis pœnalis* cap. 12. Idem Pontifex Clem. VII. paulo post dispensauit cum Petro Aluicardo Indorum occidentaliū Gubernatore, vt refert Estius 4. dist. 43. §. 1. Clemens VIII. dispensauit cum Duce Francouille, vt duceret filiam Comitissæ de Salinas post obitum sororis demortuæ. Greg. XIII. dispensauit cum Comitissā

de S. Gadea quæ votum etiā habebat castitatis emissū in manus cuiusdam Episcopi, vt duceret fratrem patris sui, vt refert Henriquez lib. 12. c. 3. num. 9. Paulus V. dispensauit cū Sigismūdo Poloniæ Rege, vt duceret filiam Archiducis Austriæ fratris primæ vxoris. Et Vrbanus VIII. dispensauit cum Michaele de Neura, & Maria de Castro filia Marchionis de Castro Rodrigo; & cū Claudio Lamoral Principe de Ligne, & Clara Maria de Ligne Principissā de Nassau sorore prioris vxoris.

144 Probatur secundò ex factis antiqui testamenti, nā Iacob duas accepit vxores Gen. 29. Tamar nurus Iudæ Patriarchæ duobus eius filijs matrimonio iuncta est; ergo signum est naturæ iure hoc matrimonium non esse nullum.

145 Probatur tertio ex dictis præcedenti difficultate, nam si naturæ iure non est nullum matrimonium in primo affinitatis gradu lineæ rectæ, vt inter nouercam, & priuignum vulgo *figliastro*; focerum, & nurum; aut focerum,

& c.

& generum; à fortiori nō erit nullum matrimonium in primo affinitatis gradu lineæ transuersæ. Nec Baptistæ reprehensio nobis obest. Primò quia Herodes duxerat vxorē fratris sui viuentis. Secundò quia Herodes legem profitebatur hebraicam quæ hoc vetabat, vt patet ex loco Leu. citato. Maneat ergo affinitatem cuiuscunque lineæ, naturæ iure non dirimere matrimonium, sed solum iure Ecclesiastico, & quidem ex copula licita vsque ad quartum gradum inclusiuè cap.

non debet 8. de consanguin. & affinitate: & ex copula illicita solum vsque ad secundum gradum inclusiuè ex Tridentino sess. 23. c. 4. & ex Pio V. in Breui Ad Romanam, vbi declarat quod affinitas tertij, & quarti gradus, quæ ante Tridentinū erat impedimentum dirimens, modo non sit nec dirimens, nec impediens. Quid autem faciat affinitas matrimonio contracto superueniens disput. sequenti dicitur, quod scilicet priuet iure petendi, & quomodo.

## Q V A E S T I O X V.

*De duodecimo matrimonij impedimento quod est impotentia.*

146 **P**er impotentiam nil aliud venire volūt Theologi, nisi inhabilitatem ad matrimonium consummandum, siue sit ex parte masculi, siue foeminae; Hæc inhabilitas ex duplici capite oriri potest, vel ex natura, vel ex arte: ex natura, vt ex nimia

caliditate, vel frigiditate in viro, ratione cuius intra vas feminare non potest, vt cum quis est adeo calidus, vt vix foeminae pudenda tangit, quod semen spargit; vel cum est adeo frigidus quod virile non erigat, nec sit potens ad verum emittendum semen in

natu-

naturale mulieris vas : & si tunc est vir naturaliter impotens ad matrimonium, quando est inneptus ad verum, & debitum semen emittendum intra vas foemineum: & tunc mulier est naturaliter impotens ad matrimonium, quando non potest viri semen accipere. cap. *laudabilem*, de frigidis, & maleficiatis, vbi vir, & mulier impotentes tunc dicuntur, quando vna caro effici non possunt. Et sic talis impotentia consistit in defectu seminationis, siue actiua, siue passiva. Et quia inter steriles ista debiti seminis emissio, & receptio reperitur, etiam si generatio ob aliquam indispositionem impediatur, siue ex parte vtriusque contrahentium, siue vnus; ideo haec impotentia in illis non reperitur, & sic steriles matrimonium inire possunt cap. *penult.* & fin. 32. q. 7. & notat Glos. recepta cap. *quod sedem*, de frig. & malefic.

147 Sed dices, quia sterilitas videtur vera, & propria impotentia, ac proinde sterilius matrimonium nullum erit; ergo male dictum est ste-

ritatem non esse impedimentum, sed quod sufficiat seminis effusio intra vas foemineum, & non sit necesse quod per se generatio sequi possit. Antecedens ostenditur ex cap. *accepisti*, de frigid. & malefic. vbi dicitur: *mulierem quae proclamat, mater esse vult, vult filios procreare, & ideo maritum accepit, posse separari a viro impotenti, & alteri nubere.* Vbi vt vides disponit Pontifex, quod non sufficiat veri, & debiti seminis emissio, & receptio ad matrimonium, verum etiam generatio. Probari etiam potest idem Antecedens ex cap. *selet*, 32. quaestio. 2. vbi dicitur: non esse matrimonium sine spe filiorum procreandorum? Respondetur negando Antecedens, ratio patet ex dictis, quia licet copula non sit de matrimonij essentia,abilitas tamen ad illam est de essentia, vt scilicet vna caro fieri queant contrahentes, non tamen est de matrimonij essentia, quod hic & nunc sequi possit generatio, cum illud sit de essentia, hoc effectus secundarius. Ad textus adductos respondetur, quod

quod in priori textu solum petitur sub illis verbis honestioribus, potentia seminandi: & faciūt sensum volo habere copulam conjugalem; nec enim honestum est foeminam proclamare volo virum seminare, &c. In posteriori autem textu solum præcipitur, quod non apponatur conditio de filiorum euitanda procreatione, vt ibi est videre.

148 Potest etiam hæc impotentia oriri ex arte, scilicet dæmonum, per maleficium; habent dæmones potestatem grassandi in homines nisi à Deo impediuntur Iob 40. Pro quo nota, quod contingit frequenter, quod striges, seu maleficæ, dæmonum arte carnalem impediāt copulam inter contrahentes, vt nō raro obseruauimus, sæpe namque probatur non à causa naturali, sed libera ligari contrahentes, ne seminent, vel ne carnali fruatur copula, quod cognoscitur quando nec vir est frigidus, nec foemina arcta, & tamen respectu huius membrum erigi non potest, & si erigatur, ad mulieris vas re-

ctum reclinatur; vel quando vir horrorem concipit in mulieris congressu, licet ante illum optauerit congressi; vel si antequam vir illam duce- ret foeminam, sibi pulchra videbatur, post matrimonium vero factum, deformis, cum qua sibi stomachari videtur, &c. Possunt autem hæc maleficia multis modis fieri dæmonum arte; primò si dæmon per talia, vel talia strigis signa hominis, vel foeminæ phantasinata moueat, & inficiat vt viri aspectus horribilis foeminæ appareat, vel e contra. Secundò species alterando, vel ex pluribus vnā componendo, vel ad phantasiā, & sensum communem aliam horribilem adducendo. Tertio impediendo ne virile membrum erigatur, vel erectum relaxado, vt dictum est. Quarto citissimo tempore actiua passiuus applicando, per quæ induretur, restringatur, & arctetur vas foeminæ, taliter quod virile membrum ingredi non possit; vel certe talia applicando per quæ viri lumbi infrigidentur, & spiritus quibus membrum erigendum

dum esset exsufflentur, vel alijs similibus modis virtutē generatiuam in vtro exficando, & conceptricem in foemina, ita quod statim ac viri semen intra matricem receptum est, ex nimia eiusdem matricis siccitate, exsiccetur, & generatio hoc modo impediatur.

149 Aduerte etiam impotentiam siue naturalem, siue ex artificio duplicem esse, perpetuam vnam, temporalem alteram. Illa perpetua dicitur, quæ nulla arte humana licita, vel saltem sine euidenti corporis periculo remoueri potest, cap. *fraternis*. de frigido. & malef. Quæ namque non licent, impossibilia iure reputantur, & in nostra non esse potestate. Et sic impedimentum, quod est ex maleficio, perpetuum censetur, si sine alio maleficio tolli non possit. Illa vero impotentia temporalis dicitur, quæ medio humano licito tolli, vel superari potest. Et sic quando mulier est impotens ratione arētitudinis, si prudenti medicorū iudicio possit reddi potens, per leuem aliquam

incisionem, etiam cū aliquo dolore, sine tamen vitæ periculo, censetur impedimentum temporale, & sic si iam matrimonium contractū sit, tenetur foemina talem pati incisionem; quia per matrimonium se obligauit ad reddendum debitum marito postulanti illud. Sed huius oppositum tenet Pontius de *impedim.* cap. 32. §. 3. vbi putat tale impedimentum esse perpetuum. Primò quia natura talem horret incisionem, cum foeminae honestas pati non videatur, quod artificio corrumpatur, vt viro possit concumbere. Secundò quia quando vir, & foemina mutuo se tradūt in matrimonio, hac id faciunt conditione, *si ad eum usum aptus, vel apta fuerit*, vnde cum hæc conditio in hoc casu deficiat, mulier talem pati non tenebitur incisionem. Tertiò quia Ecclesia nunquam mediū istud præcepit, consuluit, aut permisit ad multas lites dirimendas, quæ passim circa impotentiam mouentur, sed solum triuma decreuit annorum cohabitationem. Sed licet hæc

Basi-

Basiliana sententia sua non careat probabilitate, tamen opposita est sustinenda, præsertim cum illam sustineat D. Thom. dist. 34. q. 1. art. 2. ad 5. ubi dicit: *non potest esse perpetuum, impedimentum naturale in viro respectu unius personæ; & non respectu alterius, sed si non possit implere carnalem actum cum virgine, & possit cum corrupta, tunc medicinaliter aliquo instrumento posset claustra pudoris frangere, & ei coniungi, nec esset hoc contra matrimonium, quia non fieret ad delectationem, sed ad medicamentum. Abominatio autem mulieris non est causa naturalis, sed accidentalis extrinseca, & ideo de ea idem est iudicium quod de maleficio, ut postea dicitur. Hoc autem facit in sequenti articulo ubi sic habet: *Impotentia coeundi ex maleficio aut est perpetua, & tunc matrimonium dirimit: aut non est perpetua: & tunc non dirimit: & ad hoc experiendum eodem modo Ecclesia tempus præfixit, triennium scilicet, sicut de frigiditate. Nec ea quæ à Basilio obijciuntur illi profunt, sed potius obsunt. Et**

quidem primum; nam natura non horret illud ad quod quis pro maiori suo bono, vel alterius, cui ex iustitiæ debito, vel naturæ obligatur, etiam sustinendo aliquod leue malum, ut tali debito satisfaciat, aliàs contra naturæ legem peccaret. Etiam secundum obest, quia solū illa conditio intelligitur, quando ad talem usum apta reddi non potest, seu quando impedimentum perpetuum est, secus quando, (licet aliquod leue malum sit sustinendum) est temporale, & superabile. Et tadem tertium obest, quia ideo Ecclesia illud non præcepit medium, quia quando medicorum iudicio, & matronarum, arētudo est superabilis, lis non mouetur.

150 Tandem aduerte vtrâque impotentiam tam perpetuam, quam temporalem duplicem esse: absolutam scilicet respectu omnium, quando scilicet vir cum nulla muliere potest matrimoniū consummare: Et respectiuam, quando talis impotentia est solum respectu quarundam personarum, ut si respectu unius,



quæ nimis arcta est, copulam quis habere non possit, benè cum alijs, quæ arctæ nō sunt. His politis sit.

151 Prima conclusio *impotentia perpetua matrimonij antecedens illud natura iure dirimit, secus si sit subsequens matrimonium. Quod impotentia perpetua matrimonij præcedens, naturæ iure dirimat, habetur toto titulo de frigidis, & maleficiatis, vbi plura de hac re habentur capita. Hoc idem docent omnes Theologi hoc loco post D. Thomam 4. dist. 34. q. 1. art. 2. vbi hoc sequenti probat discursu: in matrimonio est contractus quidam, quo vnus alteri obligatur ad debitum carnale soluendum: vnde sicuti in alijs contractibus non est conueniens obligatio si aliquis se obligat ad hoc quod non potest dare, vel facere, ita non est conueniens matrimonio contractus, si fiat ab aliquo qui debitum carnale soluere non possit, & hoc impedimentum vocatur impotentia coeundi. Hæc Diuus Thomas vbi postea illam impotentiam diuidit in naturalem, & ab arte, in perpetuam,*

& temporalem, & vult solum perpetuam matrimonium facere nullum, quod eius ratio probat. Confirmatur, & explicatur D. Thom. ratio, quia ad impossibile nulla est obligatio cap. nemo de regu. iuris in 6. sed quando impotentia est perpetua, obligatio ad copulam est impossibilis; ergo nulla. Adde quod illa obligatio est nulla, quæ est contra finem matrimonij; sed quando adest impotentia perpetua, obligatio est contra finem matrimonij; ergo nulla. Minor probatur, quia matrimonij finis primarius & essentialis est tribuere mutuum ius in ordine ad vnã carnem per carnalem commixtionem; sed quando est perpetua impotentia tale ius non habetur; ergo.

152 Quod autem impotentia matrimonium subsequens illud non dirimat patet ex cap. si qui, 32. quæst. 7. & cap. si uxorem, 32. quæst. 5. Ratio est, quia matrimonium consummatum semel validum non nisi morte resoluitur, vt docet Apost. 1. Cor. 2. & hoc nō valet solum de matrimo-  
nio

nio consummato, verum etiam de rato; hoc enim per nullū superueniens impedimētum resoluitur, licet resolui possit per Pontificis dispensationē, & per religionis ingressum, vt per dicta superius constat. Quod si sit probabile dubiū vtrum impotentia præcesserit nec ne, præcessisse præsumitur, & tunc resolui debet cum prudentum consilio, & Episcopi auctoritate vt censent communiter, cum Riccardo 4. dist. 34. ar. 3. quæst. 1. Nec obstat cap. licet, extra de test. & attestat. vbi dicitur: *quod in dubio pro matrimonio est iudicandum*. Nam respondetur ex Panormitano cap. fraternit. de frig. apud Gab. 4. dist. 34. q. vnica. art. 1. quod hic textus locum habet vbi matrimonium suum habuit effectum, quoad primum finem, secus vbi impotentia est perpetua, ratione cuius nullus finium matrimonij saluatur, scilicet nec prolis generatio, nec concupiscentiæ remedium.

Sed petes, an ad hoc vt impotētia matrimonium dirimat, debeat esse ignorata?

Respondetur negatiuē, quia naturæ iure ad contrahendūabilitas exigitur, quæ in personarum conditione non in scientia fundatur, nec possūt contrahentes huic naturali iuri renunciare, vt patet.

153 Hinc infertur perfectè eunuchos naturæ iure inhabiles esse ad matrimonium contrahendum, vt declarauit Sixtus V. in motu proprio anno 1581. & ratio est quia perfectè eunuchi secundum Philosophos, & Medicos semen prolificum nō emittunt, sed quædam aqueum humorem, secus est de eunuchis imperfectis qui vnum scilicet habent testiculum; hi enim potentes sunt, vt docent omnes, & communis testatur experientia.

154 Sed quæres primò, an vxor teneatur reddere debitum marito, qui contracto matrimonio se castrare fecit? Certum apud omnes est, vt nu. 152. diximus, quod per talem castrationem matrimonium non dissoluatur, cum matrimonium per nullum impedimētum superueniens dirimatur. Est etiam certum,

vt post Caietanum, & Nauar. tradit Toletus lib. 6. cap. 16. nu. 2. quod ille, qui se castrare fecit, possit suam cognoscere vxorem, eo quod tunc suo vtatur iure, cum id sibi matrimonium iam factū permittat, quod autem semen nō emittat prolificum, est per accidens, vt in sene etiam contingit, alioqui ille qui sciret semen in vasis suis ob morbum, vel ob aliud esse corruptum, suam nequiret cognoscere vxorem; nō enim matrimonium est solum ob prolis generationem, verum etiam in libidinis remedium. Mihi etiam certum omnino videtur, quod ille, cui vel à se, vel ab alio virga scissa est, etiam si testiculos habeat & verum emittat semen nō possit debitum petere, nec vxor reddere, quando non nisi extra vas seminare potest, cum hoc sit intrinsecè malum. Vnde difficultas solum est, an vxor viro suo teneatur debitum reddere, quando post matrimonium se castrare fecit, præsertim si id fecit sine vrgenti causa. Negat Butrius cap. 2. nu. 6. de frigid.

& mascul. Et ibi Præpositus, & Alexander de Neuo, vnde dicunt, tunc teneri vxorem solum ad alia obsequia præstanda. Sed omnino dicendum est teneri vxorem debitum reddere; ratio patet ex dictis, quia vir tunc temporis suo vtatur iure, quod per legitimum matrimonium in corpus vxoris acquisiuit, quod ius per castrationē non amittit, cum per illam matrimonium non dissoluatur, vt patet. Nec potest vxor, vt quidam in facti contingentia dicebant, illud debitum negare eo quod maritus sua sponte castrare se fecit, cum non possit vxor mariti delicta punire, nec id iure aliquo sibi concedatur, cum non ipsa, sed vir sit caput.

155 Quæres secundò, an herniæ sint inhabiles ad matrimonium? Hernia est tumor in scroto, seu in tunica testiculorum, quæ etiam scortum appellatur, qui tumor varias habet denominationes, ex humorum, seu materiarum opplentium, varietate si enim peritonæo rupto intestina in scrotum descendant

dant vocatur; à Græcis *Enterocele*, à latinis *Ramex intestinorum*. Si humor densus in scrotum colligatur *Hydrocele*, idest *ramex aquosus* nuncupatur. Si caro dura intra testium tunicas increascat, *Sarcocoele*, idest *ramex carnosus* dicitur. Si omentum, seu rete, in scrotum deoluatur, *Epiplocele*, hoc est *ramex omēti* nominatur. Si venæ ultra modum repletæ, ac dilatatæ glomerentur, *Circocoele*, idest *varicosus ramex* vocatur. Unde vno verbo Hernia est omnis tumor siue ex delapsu intestini, siue Omenti, siue etiã vasorum spermaticorum varicis, tophi, siue lenti humoris, siue aquosæ substantiæ &c. Vocatur etiam Hernia morbus seu tumor in inguine, quando aliquis validus tendo, qui etiam membranæ dicitur, qui ante inguina ortum habet, & pubis ossi inseritur, laxescit, eiusque robur infirmius fit, & cum eo totus inguinum locus laxior redditur, recipiendo in se quasdam partes corporis adiacentes, vt Omenti, intestinorum, &c. Vnde quando

intestina in inguinibus herēt, etiam Hernia seu ramex inguinalis vocatur. Sed de hac Hernia nulla est difficultas, sed solum de Hernia testiculorum, de qua re certum est quod quamdiu hic morbus durat manentibus in suo loco testiculis Hernista est matrimonio habilis, cum adhuc prolificum emittat semen; item quamdiu curatur medicaminibus exsiccantibus, siue interius, siue exterius applicatis; solum est difficultas quando curatio fit per reclusionem testis, vel testium in inguen: solent Chyrurgi Herniam sic curare; scindunt partē peritonij, quæ ad testiculos vergit, & ex illa testem vel testes in inguen deducūt, & ibi recludunt, ligato scorto, vt descendere nequeant; an scilicet sic curati ad matrimonium sint habiles? Respōdetur affirmatiuè; ita Diana p. 12. resol. 4. Miscel. post Pontium de matrim. lib. 7. cap. 68. nu. 3. Leandrum de sacram. to. 2. trac. 9. disp. 21. q. 16. vbi etiam refert votum medicorum Vallisoletanæ Academiæ. Ratio est, quia licet re-

Res

nes intra inguen ponantur, nil facit, cum etiam ex eo loco possint priori fungi officio, cum non nisi situm amittant, absque artus, & carnis eorumdem testium passione, & qualitatum amissione, scilicet caliditatis, & humiditatis. Ad hoc facit quod docet Galenus li. 2. de semine, quod sit *proportio maxima inter genitalia masculi, & femina; omnia siquidem genitalia membrum masculus, tum femina habere eadem videntur, positione tantum, & magnitudine differentia. Quin, & vasa testes nutrientia utriusque sexui ex eiusdem renis, & arterijs procedunt*, parum ergo refert, quod testes intra, vel extra corpus afferentur, ut eorum conseruent naturam, vim, & efficaciam concurrendi ad generationem, dummodo per positionem intra inguen, seminis non impediatur effusio, quod maxime verum habet in eorum sententia, qui volunt seminis decisionem non fieri ex testibus, sed ex omnibus, vel saltem ex potioribus corporis partibus, & solum testes requi-

rantur, ut suo calore semen perficiatur, quod æque bene fieri potest, dum, modo dicto, reconduantur. Hoc confirmari potest ex eo, quod docet Fortunatus Affaitatus in Opus. de partu Androgineo ad Paulum III. de quodam, qui tunc temporis, non solum testes; verum etiam virgam intus habebat, licet exterius femina appareret, qui tamen se ipso concepit; cum utriusque sexus organa haberet, pro generatione ponenda, quod si verum est, valde dicta confirmat. Sed quia res ista difficilis valde est, expectanda est Summi Pontificis, vel Sacrae congregat. iudicium, cui ut Diana aduertit, est hoc negotium deuolutum.

156 Secunda conclusio, *impotētia perpetua respectiua, matrimonium dirimit*. Est certa, & habetur cap. *fraternitatis*. Ratio clara est, quia matrimonium indiuiduam respicit personam, ut supra vidimus; ergo si respectu talis personæ indiuiduæ, & particularis, impedimentum est perpetuum, matrimonium respectu

Et illius nullum erit. Tertia conclusio. *Impotentia temporalis quacunque illa sit, matrimonium non dirimit.* Habetur citato cap. *fraternit.* de frigidis, & malef. Et ratio est, quia ad hoc ut matrimonium valeat ex parte potentiae generatiuae non requiritur, quod potentia sit actualis, sed sufficit aptitudinalis, taliter quod suo tempore executioni valeat mandari; sed impotentia ad tempus non tollit aptitudinem; ergo non facit matrimonium nullum. Sed ad plenam horum intelligentiam.

157 Quæres primò, an impotentia ad solam generationem, quæ communiter sterilitas vocitatur, quamuis absoluta, perpetua, & naturalis, matrimonium dirimat? Respondetur negatiuè, ut iam tetigimus, quando steriles aliàs ad feminandum potentes sunt. Ratio est, quia steriles nec naturæ iure prohibentur, nec Ecclesiastico; nõ naturæ iure, quia steriles ad actum conjugalem exercendū potentes sunt, ratione cuius quantum est ex parte illius, cōiuges sunt vna caro, vnus-

que sanguis, per quod finis primarius matrimonij saluatur, licet ratione alicuius impedimenti generatio non sequatur. Vnde senes dum potentes sunt ad feminandum, quamuis non nisi adiuti arte medicinæ, ad matrimonium contrahendum sunt habiles, tunc enim sit vna caro, licet generatio sequi nõ possit, ob feminis debilitatem.

158 Quæres secundò, an impotentia perpetua naturalis ad coeūdum, dirimat matrimonium in ordine ad castè viuendum, seu in ordine ad naturalem vitæ, & officiorum societatem, an solum in ordine ad generationem. Pauldanus 4. dist. 34. ar. 2. Diuus Antoninus 3. p. tit. 1. cap. 22. Pontius lib. 7. cap. 56. & alij, volunt talem impotentiam solum dirimere matrimonium in ordine ad generationem, non in ordine ad castè viuendum. Vnde secundum istos tales impotentes possunt validè, & licitè matrimonium inire in ordine ad castè viuendum, seu in ordine ad naturalem vitæ, & officiorum societatem, quod probant ex

cap. *Consultationi* 4. & ex cap. *Laudabilem* 5. de frig. & malef. vbi supponi videtur posse inter impotentes matrimonium celebrari in ordine ad viuendum vt frater, & soror, & idem supponere videtur Sixtus V. in suo motu proprio de Eunuchis. Et ratione assignant quia ad matrimonium non requiritur mutua corporum traditio in ordine ad coitum, sed sufficit, quod talis fiat traditio ad dictam societatem, cum matrimoniū ad vtrūque ordinetur, & pro vtroque eligi possit; alioqui saluari non posset matrimonium inter B. Virginem, & Sanctum Ioseph, qui ad hanc solam societatem, & solatiū, nō ad coitum matrimonium contraxerunt.

159 Nihilominus non est relinquenda D. Thomæ sententia, quod omnibus modis matrimonium inter impotentes sit nullum, id habet in 4. dist. 34. q. 1. art. 2. idem habet ibidem D. Bonau, Ricardus, Sotus, & alij hoc loco. Et hoc definitum videtur à Sixto V. in proprio motu; dum absolute decernit, absq; vlla ma-

trimonij distinctione ad hūc, vel illum vsum, matrimoniū impotentium esse nullū. Imò idem deducitur ex citatis capitibus pro contraria sententia, cum absolute velint talia matrimonia esse absolute nulla. Vnde solum in illis cap. permittuntur impotētes, exceptis eunuchis, vt in matrimonio permaneant, non quia validum sit, sed vt experimētum faciant, an sint validi, nec permittebantur (hoc sic attentantes) separari, quando volebant casuē viuere, & faciebant quendam quasi societatis contractum, quæ tamen modo fieri non permittuntur.

160 Probatum primò, à priori quia vt liquet ex dictis supra per matrimonij cōtractum traditur mutua corporum potestas, vt tradit Apost. 1. Cor. 7. in ordine ad copulā possibilem, licet non sit necesse, quod sequatur, imò possunt coniuges ad illā non ponendam voto adstringi, vt fecit B. V. & S. Ioseph. Sed per traditionem dominij, seu potestatis ad dictam societatem, mutua corporum potestas

As non traditur; ergo per illam matrimonium fieri non potest. Minor patet, nam nil aliud est mutuum fieri corporum traditionem, quã potestatem tradi ad copulam sibi possibilem, vt ea media fiat vna caro, vnusque sanguis; ergo.

161 Probatur secundò ex absurdis, quæ inde sequerentur; sequeretur namque primò, posse esse matrimonium inter patrem, & filiam, & inter matrem, & filium; sunt namque personæ ad dictam societatem idoneæ. Sequeretur secundò, quod copula inter sic coniugatos esset peccatum simplicis fornicationis, quia ad non suam accederet in ordine ad coitum, & alter accedendo ad sic vxoratum, adulterium non committeret; cum non accederet ad illam qua parte vxor illius est, in ordine scilicet ad coitum. Sequeretur tertio matrimonij vinculum non esse perpetuum, sed absolute dissolubile, cum tota eius indissolubilitas. vt supra vidimus, fundetur in significatione vnionis Christi cum

Ecclesia vnicate carnis; non in societate vitæ, & officiorum. Vnde licet verum sit matrimonium ordinari etiam ad mutuum vitæ societatem, hic tamen nõ est finis primarius, sed secundarius, qui subsistere non potest, primario non subsistente, & per hæc patet ad oppositæ sententiæ fundamenta.

162 Quæres tertio, an impotens ad seminandum, sit inhabilis ad matrimonium, licet sit potens ad penetrandum? Glos. in cap. *Hi qui*, 32. q. 7. Hugolinus de matrimonio cap. 9. & alij, volunt quod potentes ad penetrandum, licet sint impotentes ad seminandum, validum, & licitum facere possint matrimonium. Primò quia nullo iure id expressè cautum videtur. Secundò quia potentia ad penetrandum sine seminatione est sufficiens ad sedandam propriam, & alterius concupiscentiam. Sed oppositum est omnino tenendum, quod tenent omnes hoc loco, & significatur cap. 1. de frig. & malef. & cap. 5. tit. eodem 33. q. 1. dū supponitur quod ad matrimonij



validitatem requiratur potētia ad carnalem commixtionem, vt scilicet fiant vna caro, vnusque sanguis, atqui ex sola vasis penetratione non fit vna caro, vnusque sanguis; ergo. Alioqui spadones essent ad matrimonium habiles cōtra motum Sixti V. cum sint habiles ad penetrandum, licet non ad seminandum semen saltem prolificum. Sed dices, senes, & infirmi possūt validè matrimonium contrahere, & tamen non sunt habiles ad seminandū; ergo, &c. Respondetur quod senes, qui nulla arte iuvari possunt ad seminandum, & penetrandū, non possunt matrimonium contrahere, quia censentur impotentes impotentia perpetua, secus illi qui medicina arte possunt calefieri, vt valeant penetrare, & seminare. Infirmi etiam morti proximi possunt matrimonium inire, quia eorum impotentia non censetur perpetua, cum absolutè potentes sint.

163 Sed petes, an fœmina impotens ad seminandum, potens tamen ad penetrandū passiuè, sit habilis ad matri-

monium? Negat Sanchez disput. 92. & alij, quia sine femininatione fieri nō potest vna caro, vnusque sanguis; & hoc mihi probabilius videtur. Nō puto tamen oppositum improbabile, sed probabile valdè, cum secūdum multorum sententiā fœminæ feminatio ad generationem non requiratur, vnde sufficiet quod possit fieri vna caro in ordine ad prolis generationem, seu in prole genita, cui mater materiā subministrat ad nutritionem, & augmentationē: suaderem tamen illam fœminam sic impotentem, vt non nuberet, nisi graues carnis pateretur tentationes, pro quibus superandis sequi posset huius sententiæ probabilitatem, & se exponere periculo non concipiendi, vt prima docet sententia.

164 Quæres quartò, an hermaphroditus possit matrimonium inire? Hermaphroditus dicitur, qui vtroq; gaudet sexu masculino scilicet, & fœminino. Hoc posito statuitur in *L. queritur*, ff. de statu hominum, posse hermaphroditum matrimonium facere iuxta

iuxta sexum prævalentem; quod si uterque sexus æqualis sit, poterit iuxta sexum quem maluerit matrimoniū inire, expediet tamen illum ad matrimonium non admittere, nisi coram Ecclesiastico iudice protestetur, & iuret se nunquam altero vsurum sexu argu. cap. 15. *Presbyteros*, 16. q. 1. intra idem matrimoniū, si tamen viduus fiat, poterit aliud inire matrimoniū iuxta alterum sexum, nō solum validè verum etiam licitè. Difficultas esse potest, an hermaphroditus possit matrimonium inire iuxta sexum minus prævalentem, quando tamen etiam secundum illum est potens. Negat Sanchez disput. 106. Sed melius affirmat Pötius c. 65. Et ratio est, quia naturali iure non prohibetur, cum sit habilis, ut suppono: nec positivo quia nullibi reperitur; in L. namque *Quaritur*, quæ pro parte opposita citatur, nihil cōtra hoc determinatur, sed solum dicitur, quod in dubio censendus est magis vir, quam foemina; quod est verissimum.

165 Quæres quintò, quantum tempus detur ad expectandam impotentiam, ut iudicetur perpetua, & sic matrimonium dissoluatur? Respondetur dari triennium, quando dubitatur de impotentia perpetuitate cap. *laudabilem*, & cap. *fn. de frig. & malef.* Dixi, quando de impotentia perpetuitate dubitatur, nam pro foro conscientia quando contrahentes sūt de illa impotentia certi, nullo modo conari possunt ad copulam; cum enim tunc pro conscientia foro matrimonium nullum sit, talis conatus non potest non esse luxurie peccatum. Similiter, quando etiam iudici per euidencia signa constare potest de impotentia perpetuitate nō debet expectare triennium ad matrimonium dissoluendum, sed illud statim dissolvere debet; quod, si non constet, triennium expectandum est, ut si vnus impotentiam fateatur, & alter neget cap. *Laudabilem*; sed quid, si uterque impotentiam fateatur, iudex tamen non habet euidencia signa

signa de tali impotentia, an tunc triennium sit expectandum? Negat Angelus v. *matrim.* 3. Rosella v. *diuortium.* num. 1. & alij, qui volunt sufficere tempus arbitrarium. Sed oppositum quod docet Pontius cap. 66. Sanchez disput. 108. videtur verius, & deducitur ex cap. *laudabilem*, quatenus absolutè dicitur triennium requiri, quando de impotentia non constat. Unde confessio vtriusque coniugis de perpetuitate impotentia, etiam iuramento adhibito non tollit necessitatem triennalis experientia à iure stabilita. Computatur autem triennium hoc à die conatus, & debet hoc triennium esse continuum moraliter, nam si magna poneretur interpolatio, supplenda postea esset post triennium. Quod si ante, vel post triennium declarata impotentia perpetuitate, matrimonium dissoluatur, si postea constet de impotentia cessatione debent coniuges ad matrimoniū restitui, quia tunc constat illam impotentiam non fuisse perpetuam; si

tamen talis impotentia miraculosè fuisset ablata, restitui non possent, quia tunc vera matrimonium nullum fuisset.

166 Quæres sextò, an impotentia temporalis ex defectu ætatis matrimonium dirimat, an defectus ipse ætatis? Respondetur quod defectus ipse ætatis, non impotentia temporalis, vnde si Ecclesia non statueret tempus ad matrimonium cōtrahendum annum scilicet 12. in fœmina, & 14 in masculo, possent pueri ante id tempus etiam si malitia ætatem non suppleat, dummodo vsum haberet rationis, matrimonium inire. Ratio est, quia ad matrimonium incundum non est necesse, quod actu dum matrimonium initur potentia generatiua sit in actu secundò potens, sed sufficit, quod sit in actu primo, & talis conditionis, quod suo tēpore possit ad actum secundum exire, Quodnam autem peccatum sit matrimonium contrahere ante tempus ab Ecclesia statutum, Sanchez lib. 1. disp. 17. vult

vult nullū esse peccatū quādo malitia supplet aetate; sed verius dicendum est cum Pōtio, & alijs esse mortale, nisi vrgentissima causa excuset, vt bonum pacis, & tunc fieri debet cum Ordinarij licētia. Dicitur autem aetas ad matrimonium pubertas, à pau-

pere, seu aquaticulo, qui est vltima pars hypogastrij vbi pudenda occultātur, licet alij velint pubertatem sic dici, quia tunc circa pudenda lanugo incipiat, & finiat ad annum 25. vnde pubis idem est quod lanugo.

## Q V A E S T I O XVI.

*De alijs duobus matrimonij impedimentis, Raptu, & clandestinitate.*

167 **C**oncilium Tridē-  
tinum sess. 24. c. 6.  
sequētia de Raptu statuit:  
Decernit Sancta Synodus, in-  
ter raptorem, & raptam, quā-  
diu ipsa in potestate raptoris  
manserit, nullum posse consiste-  
re matrimoniū. Quod si rapta  
à raptore separata, & in loco  
ruto, & libero constituta, illum  
in virum habere consenserit; et  
raptor in uxorem habeat: &  
nihilominus raptor ipse, ac  
omnes illi consilium, auxilium,  
& fauorem prabentes, sint ipso  
iure excommunicati, ac perpe-  
tuo infames, & si Clerici fue-

rint, de proprio gradu decendant.  
Teneatur praeterea raptor mu-  
lierem raptam, siue eam in  
uxorem duxerit, siue non du-  
xerit, decenter arbitrio iudicis  
dotare. Sed vt hoc statutum  
intelligatur. Quæres primò,  
an raptus quo foemina virum  
rapit matrimonium resolu-  
uat? Affirmat Henriquez li-  
bro 12. cap. 4. & alij. Sed  
oppositum est tenendum cū  
Sanchez lib. 7. disp. 13. & alijs  
communiter. Patet primò  
ex citato Tridentini Decre-  
to, quod solum de raptore,  
non de raptrice loquitur; &

cum

cum sit poenale non est ad raptricem extendendū, praesertim cum sit maior ratio ad fauendum foeminis, quam viris. Secundò ex *L. unica*, de raptu, vbi raptus definitur, quod sit *violenta puella extractio de domo patris*.

168 Quæres secundò, an matrimonium dirimat raptus puellæ consentientis, parentibus tamen iauitis? Affirmat Henriquez supra. *Sa. v. matrim.* & alij. Sed tu tene oppositum cum Sanchez supra, & alijs. Et ratio est, quia Concilium de illo solo loquitur raptu, quo matrimonij læditur libertas, cuius læsioni occurrere intendit, ob idque statuit, quod matrimonium non teneat quamdiu puella in tuto posita est, vt sic omnino liberè, si velit, consentire possit, sed quādo puella consentiens, inuitis rapitur parentibus, licet sit verus raptus, matrimonij tamē libertas non læditur; ergo tunc matrimonium non resoluitur; nam ad matrimonium, non parentū, sed puellæ consensus requiratur.

169 Quæres tertio, an ra-

ptus propriæ sponsæ dirimat matrimonium? Negat Henriquez supra, & alij. Sed oppositum est tenendum, quia Tridentinum absolutè loquitur; Tum quia ille raptus matrimonij lædit libertatem; ergo matrimonium dirimit.

170 Quæres quartò, an raptus factus causa libidinis, non causa contrahendi matrimonium, illud dirimat? Affirmat *Sa. v. matrim.* & alij, Sed oppositum est tenendum quod inter alios tenet Sanchez supra. Ratio est, quia hoc impedimentum inductū est à Concilio ne matrimonij libertas lædatur; sed qui causa libidinis foeminaam rapit, matrimonij non lædit libertatem, ergo raptus libidinis causa factus matrimonium non dirimit.

171 Circa poenas alias à Tridentino raptoribus, & fautoribus appositas nota, quod excommunicatio ipso facto incurritur, vt Tridentini verba sonant, non sic poena infamiae, incapacitatis ad dignitates, & obligationis dotandi, quia istæ poenæ non nisi post iudicis sententiā incur-

run-

runtur, ut est omnibus poenis commune, idem dic de priuatione gradus clericalis quando raptor est clericus. Adde istas poenas non esse à iudice imponendas quando raptor raptam ducit, excepta dotandi poena praesertim si foemina sit pauper, &c. Circa clâdestinitatem praeter ea quae diximus supra disput. 3. q. 7. aduerte breuiter quod desponsatio clandestina tripliciter accipitur. Primò, quando sine legitimis testibus celebratur. Secundò, quando sine trina denunciatine. Tertiò, quando sine solemnibus benedictionibus. Sola clâdestinitas primo modo matrimonium dirimit, ut loco citato probauimus. De Parocho dicitur in Tridentino, quod debeat contrahentes in Ecclesia facia coniugere, quod dictum variè interpretatur. Nam in Lusitania,

Germania, & alijs prouincijs volunt quod *Ly in facie Ecclesia* idem sit; ac in ipsa Ecclesiae ianua, ac proinde contrahentes inibi coniugunt. In Belgio ipsam intelligunt Ecclesiam, vnde contrahentes coniungi solent in Altari maiori. In Hispania per *Ly in facie Ecclesia* intelligunt in praesentia amicorum, & cognatorum. Sed vnaquaeque regio suum obseruet morem, dummodo matrimonium non nisi coram Parocho, & testibus celebretur. Clandestinitas secundo modo solum impedit matrimonium non dirimit, quibus autem casibus possint denunciationes omitti diximus supra. Clandestinitas autem tertio modo nec dirimit, nec impedit matrimonium, cum solemnes benedictiones fiant matrimonio iam contracto.



## Q V A E S T I O XVII.

*De impedimentis impediētibz tantum matrimonium, non dirimentibus.*

**E**xplicatis impedimentis dirimentibus, restat vt explicemus impedimēta impediētia tantum, quæ (præter peccatum mortale, excommunicationem, & denunciationes non factas, quæ matrimonium illicitum reddunt cum peccatum morta-

*Ecclesie vetitum, nec non tempus feriarum.*

*Atque catechismus, crimen, sponsalia votum,*

*Impediunt fieri, permittunt facta teneri.*

Ecclesie vetitum, est prohibitio Ecclesie, vel Ordinarij, vel etiam Parochi ob dubium alicuius impedimenti, vel inhabilitatis inter copulandos. Tempus feriarum secundum Tridentinum sess. 24. c. 10. incipit à prima dominica aduentus, vsque ad Epiphaniam inclusiuè: & à prima cinerum die vsque ad octauam Paschæ inclusiuè. Hoc autem tēpore non prohibetur matrimonij contractus, nec illius consumatio, sed solum nuptiarum solem-

le, & excommunicatio faciāt sacrilegam huius sacramenti administrationem, & malam faciant denunciationes non factæ, nisi dispensatio, vel alia legitima causa excuset de quibus supra) ad numerum senarium reuocantur, scilicet.

nitatis, vt solemnis in Ecclesia matrimonij benedictio sponsæ in sponsi domum clamorosa traductio, solemnna conuiuia, tripudia, saltationes, comedix, &c. Ita Caietanus in sum. v. *matrim.* Nauar. cap. 22. n. 71. Ratio est, quia Tridentinum, sicut non prohibet matrimonij consumationem, ante benedictionem, sed solum, ne fiat, hortatur, ita non prohibet matrimoniū ipsum, sed matrimonij solemnitates. Catechismus ab eo contrahitur, qui pro in-

fan-

fante respondet, quando ceremoniæ post Baptismum, in necessitate collatum, supplètur, sed hoc impedimentum, vt communiter volunt Theologi hic, est per Tridentinum sublatum.

173 Crimen, quod est aliud impedimentum impediens matrimonium, est multiplex. Primum est incestus can. 1. 2. & 4. de eo qui cognouit consanguineã vxoris. Pro quo nota quod incestus est copula cum cõsanguineis sponsæ, vel proprijs, si est cum consanguineis spõsæ seu vxoris ducendæ, est impedimentum dirimens, licet occultissimus sit, & de hoc impedimento egimus supra de impedimento affinitatis. Si vero incestus sit cum consanguineis proprijs est impedimentum impediens matrimonium cum quacũque alia persona; vnde qui habuit incestum cum matre, sorore, &c. cum nulla, stante huius impedimenti veritate, contrahere potest. Secundum crimen est vxoricidium cap. *interfecti*. 33. q. 2. Quod de simplici vxoricidio intelligi de-

bet, nam si aliquis vxorem occidat animo contrahendi cum altera, nempe adultera, valide contrahere non potest vt supra de impedimẽto criminis dictum est; ergo qui simpliciter vxorem occidit in huius delicti pœnam cõ nulla contrahere potest. Tertium crimen est Presbytericidium cap. *qui Presbyterum*. de pœnit. est remiss. vnde qui Presbyterum occidit, à matrimonio ineundo cum quacunque in huius delicti pœnam prohibetur. Quartum est hæresis teste D. Tho. dist. 39. q. 1. art. 6. Quintum periuurium cap. *de ijs*, de sponsal. Sextum quoduis peccatum mortale, quod indignam ponit huius sacramenti susceptionem, vt in huius q. principio notauimus. Sed hoc criminis impedimentũ est nõ vsu abrogatum, vt omnes notant hoc loco. Sponsalia non dissoluta, matrimonium cum quacunque alia impediunt, vt patet ex dictis de sponsalibus. Tandem votum simplex castitatis, siue religionis, siue non nubendi, siue sacros suscipiendi Ordines,



nes, matrimonium impedit,  
ne licite fiat, nam promissio  
facta alteri, impedit ne res

promissa alteri tradatur, vt  
patet ex dictis de sponsali-  
bus.

# DISPUTATIO SEPTIMA

## De usu matrimonij.

**S**UPRA disput. 1. q. 2.  
probauimus matri-  
monium esse hone-  
stum, licitumque, ac proinde  
eius usum esse bonum, si de-  
bite fiat, & disput. 3. quest. 3.  
aliquid etiam circa hoc idem  
notauimus. Vnde de fide est  
matrimonij usum licitum esse,  
vt colligitur ex illo Apost. 1.  
Corin. 7. *uxori vir debitum  
reddat*, per quod reprehenduntur  
Encratitæ, Manichæi,  
Priscillianistæ, & alij eiusdem  
farinæ hæretici, qui dicebant  
matrimonij usum esse malum  
& diaboli inuentum. Bene  
verum est, quod matrimonialis  
usus post peccatum originale  
quædam habet indecentiam,

ob pudendos corporis mo-  
tus, & ob concupiscentiæ ar-  
dorem, quibus ratio quo-  
dammodo absorbetur, pro-  
pterea in scriptura, & à Patri-  
bus vocatur aliquando mari-  
talis conianctio *immunda*;   
vnde de virginibus dicitur  
Apoc. 14. *Hi sunt qui cum  
mulieribus non sunt coinqui-  
nati, virgines enim sunt*, &c.  
Dixi matrimonij usum hone-  
stum, licitumque esse, si de-  
bite fiat, nam si fiat ex prauo  
fine, vel si positiuè finis ex-  
cludatur primarius, malus  
erit; videantur dicta citatis  
locis; vt tamen ea, quæ ad  
matrimonij usum spectant ma-  
neant explicata, ut.

## Q V A E S T I O I.

*An coniuges teneantur sibi debitum reddere ?*

2 **C**oncedunt communi-  
ter omnes hoc loco,  
quod coniux per se loquendo  
numquam tenetur debitum  
petere. Ratio est, quia nullus  
per se loquendo cogitur re  
sua uti, vel uti iure suo, & sic  
cum alterius coniugis corpus  
vi matrimonialis contractus  
sit suum, non tenetur illo uti.  
Per accidens tamen poterit  
cōiux obligari ad petendum  
debitum, ad impediendum  
continētia periculum in alio.  
Ratio est, quia vnusquisque  
tenetur, si id potest sine graui  
suo incommodo, peccatum  
proximi sui impedire, & hoc  
p̄ceptum maiorem vim ha-  
bet obligandi respectu per-  
sonarum coniunctarum. Nō  
nulla difficultas est, an hęc  
obligatio petendi debitum  
per accidens, ex sola oriatur  
charitate, an etiam ex iusti-  
tia: p̄stat hoc scire, quia si  
primum dicamus sufficiet in  
confessione dicere, non impe-  
diui cum possem peccatum in-

proximo, absq; eo quod nul-  
lam iustitię violatę mentio-  
nem faciat. Si vero secundum  
dicatur oportebit in confes-  
sione explicare etiam iustitiã  
violatam esse, dicendo hoc,  
vel simili modo, non impedi-  
ui cum possem, & ex iustitia  
tenerer peccatum proximi  
mei. Quidam apud Sanchez  
lib. 9. disput. 2. num. 7. putant  
illam in coniuge obligationē  
non solum ex charitate pro-  
cedere verum etiam ex iusti-  
tia. Sed oppositum est tenen-  
dum. Ratio est, quia per ma-  
trimonium traditur quidem  
corporis dominium, & ius eo  
utendi, non tamen illi cui ta-  
le ius non traditur, obligatio  
imponitur, vt eo iure utatur,  
sed in sua relinquitur liber-  
tate; sicut cum vendo equum  
Titio, trado quidem illi do-  
minium equi, non tamen im-  
pono illi obligationem vt eo-  
dem equo utatur, nec cogere  
possum vt utatur, ergo in casu  
dicto, nec tenetur ex iustitia

coniux' debitum petere, nec ad id obligatus fuit ex vi matrimonialis contractus. Puto tamen hoc posse in pactum deduci, cum pactum hoc fit matrimonij fauorabile; sicut enim quis in rei suae venditione potest simile pactum adijcere, (licet tunc minoris vendi debeat) ita & in casu nostro, sed numquam legi, nec audiui tale pactum fuisse adiectum.

3 Sed dices primò, pro prima sententia, quia quoties coniux tacitè, vel expressè debitum petit, alter reddere tenetur; sed quando coniux periclitatur, tacitè debitum petit; ergo alter reddere tenetur? Respondetur negando maiore, est enim valdè probabile neminè teneri ad debitum soluendum ex iustitia quando tempus præfixum non est, nisi alter expressè debitum petat; sed quidquid de hoc sit, neganda est minor, ratio negationis est, quia in hac materia nullus periclitatur nisi volens, quando autè quis volens in hac materia periclitatur, censetur nolle adiuuari, quia vult li-

berius indulgere voluptati.

4 Dices secūdò, Medicus tenetur adhibere medicinam ægrotò nollenti illam petere; ergo etiam coniux, tenetur adhibere, media debiti petitione, medicinam coniugi nollenti illà habere, vt peccet liberius? Respondetur concedendo Antecedens, & negando consequentiã. Primò quia ægrotus nollens medicinam, censetur id facere, vel quia morbi ignorat periculum, vel quia phrenesim patitur, &c At vero coniux nollens petitionis medicinã præsumitur sciens, & volens id facere. Secundò quia Medicus ad illud ex officio tenetur, non sic coniux, quia solù se obligauit ad medicinam reddendam quando petitur; non vero se obligauit ad sponte suam offerendam medicinam; ex quibus patet nõ aliter coniugem teneri ad hoc peccatum in coniuge impediendum, quam teneatur ad cetera.

5 His positis quæritur, an coniux teneatur debitum reddere, quando ab altero expressè saltè petitur. Sit vnice

conclusio. *Tenetur coniux ex iusticia debitum reddere, quoties alter debite petit, & rationabiliter, & in tali debiti redditione nullum incommodum patitur.* Hæc conclusio constat ex illo Apo. testimonio 1. Cor. 7. *vir uxori debitum reddat, &c.* Illam concedunt omnes. Ratio sumitur ex eodem Apostolo ibidem: dum dicit, *quod vir potestatem sui corporis non habet, sed uxor, & e contra, ex vi scilicet contractus matrimonialis; ergo quando vir corporis mulieris usum petit rationabiliter, non potest illi denegari.* Ex quibus infertur primò non teneri coniugem debitum reddere, quando petitio est immoderata. Ratio est, quia nullus cõsetur se obligare ad immoderatam, & importunam petitionem, aliàs matrimonium mutuum non afferret societatem, sed seruitutem; & hoc maximè in viro verum habet, cum vir ex debiti redditione magis patiatur quam foemina, magisque debilitetur, ac laxetur, ob quod dicit Philosophus de lōgitudine, & breuitate vitæ cap. *sn.* quod ni-

nia spermatis emissio homines cito senescere faciat; imò & canescere, unde dicitur quod libidinosi citius in temporibus canescant, quam in occipitio, quia ad tempora sunt viæ descendendum spirituum à capite, qui ex nimio coitu absumuntur, & sic deficiente capillorum alimento, vel alimenti causa, albescent.

6 Infertur secundò, in debiti huius redditione dari paruitatem materiæ, ratione cuius à mortali, non reddens excusetur, vt si mulier petat quater in mense, peccatum non erit vnã negare redditionem, imò si ter petere soleat, & vnã negetur, cum tertia pars totius sit parua respectu eiusdem, peccatum mortale non erit. Itẽ si ad aliud tempus differatur, præciso pollutionis voluntariæ periculo, vt si petatur vesperi, & petat petita uxor, vt differatur mane. Ob hoc consului aliquando quendam coniugem nõ teneri debitum reddere statim post prandiũ, vel cœnam, sed potuisse in commo dius tempus differre, præsertim

tertium cum natura tunc temporis nimis patiatur, cum digestiui spiritus descendant, & absumantur; dummodo semper volutarie pollutionis periculum non adsit; tunc enim reddere teneretur cum aliquo saluti detrimento, ad vitandum coniugis peccatū, secus si pollutio inuoluntarie sequeretur. Similiter non est peccatum debitum reddere, quando alter remisit peti, ut etiam liquet in alijs debitis, qui namque remisit peti censetur, facile velle dilationem indulgere. Hortandi tamen sunt coniuges, ne se difficiles reddant in debiti redditione, ne sic occasionem præbeant alia pabula queritandi.

7 Inferitur tertio, excusari coniuges à debiti petitione, quando peteretur in die solemni, vel statim post communionem, dummodo incontinentiæ periculum absit. Maneat ergo teneri solum coniugem ad debitum reddendum, quando serio, & ex animo petitur, & alter hoc nouit, licet ille cui debitum petitur possit præcibus se excusare, vel alio petentem diuertere,

quod si adhuc persistat reddi debet.

8 Sed quæres primo, an sit peccatum in coniuge, qui se impotentem reddit ad debitum reddendum? Hanc difficultatem sic resoluit Angelicus 4. dist. 32. art. 1. ad 3. his verbis: *Si aliquis redditur impotens ad debitum soluendum ex causa ex matrimonio consequuta, puta, cum prius debitum redditur, & est impotens ad debitum soluendum, ulterius mulier non habet ius petendi, & in petendo ulterius se magis meretricem, quam coniugem exhibet. Si autem reddatur ex altera causa, si illa est licita sic iterum non tenetur, nec potest mulier exigere: & si non est, tunc peccat, & peccatum uxoris, si in fornicationem propter hoc labatur, aliquo modo sibi imputatur, & ideo debet quantum potest operam dare, ut uxor contineat.* Vbi ut vides D. Thomas tria dicit: Primum non peccare virum dum debitum non reddit, quia factus est impotens, ex priori redditione. Secundum: non peccare quando factus est impotens per me-  
dia

dia licita, vt seruando Ecclesie ieiunia, dando operam moderatè orationi, moderatis studijs, & secus si immoderatè hæc faciat. Ratio est, quia non censetur coniux se obligasse ad debitum reddendum, nisi secundum legis Christianæ obseruatiã, & secundum sui status exigentiam, ac proinde, & Ecclesie præcepta obseruare poterit, & studijs vacare, &c. quia tunc coniux non se reddit absolutè impotentem, sed minus potens efficitur; hoc tamen intelligi debet absente incontinentiæ periculo, si enim adesset teneretur coniux non ieiunare, vt sui coniugis peccatum impediret, cū charitatis præceptum magis obliget, quam præceptum v.g. ieiunij. Ob hoc dicunt Doctores non teneri vxorem ieiunare, si ex ieiunio nimis palleſcat, & sic grata minus marito efficiatur, quia tunc aliqua datur occasio marito vt ad alias diuertatur. Ob hocque etiam dicunt Doctores in materia voti, non posse virum inconsulta vxore, &

econtra vouere abstinentias, preces nimias, &c. quæ impediunt moderatam debiti redditionem, quia quantum ad hoc vir potestatem sui corporis non habet, sed vxor, & econtra. Angel. v. *votum Syl. eodem verbo*. Nauar. cap. 12. num. 61. qui volunt, quod quantum ad hoc vir, & vxor sint æquales, licet aliqui non improbabiler velint, posse virum sine vxoris venia, tales vouere abstinentias, non vxor, quia vir, est caput vxoris non econtra; ita Sanchez lib. 9 disp. 3. nu. 7. Sed oppositum est verius, quia licet quantum ad domus gubernationem vir sit caput, quantum tamen ad debitum coniugale sunt æquales. Noto tamen, quod illa vota non sunt ipso iure irrita, sed irritanda à parte si velit; vnde si vir longam voueat peregrinationem, votum tenet, sed irritari potest ab vxore ratione potestatis quam habet in corpus viri. Nauar. supra, & alij.

9 Tertium quod dicit D. Thomas est, peccare coniugem,

gem, qui scienter reddit se impotentem medijs illicitis, ad debitum reddendum. Ratio est, quia eadem lege qua quis tenetur ad finem, obligatur etiam ad non ponendum illicita, quæ illius finis consecutionem habent impedire. Vnde qui crebro polluitur, vel ad alias feminas accedit peccat mortaliter, non solum peccato pollutionis, vel adulterij, violando fidem vxori datam, verum etiam aliam addit malitiam contra legem iustitiæ, qua tenetur se habilem perseuerare ad debitum reddendum: vnde coniux se polluendo non tenetur coniugij circumstantiam explicare nisi quando se impotentem reddit ad debitum reddendum.

Quia coniux ad hoc per matrimonium se obligauit, scilicet ad non violandam fidem vxoris, accedendo ad ad alias, & ad non reddendum se impotentem pro debito coniugali reddendo, & sic cum per internas cogitationes seu desideria vxorati neutrum ius violent, non te-

nentur, dum illa interiora desideria confitentur, circumstantiam sui coniugij explicare. Non tenentur tamen coniuges calidis vt, vt sic fortiores sint pro debito reddendo, sed sufficit, quod positiuè non se impotentes reddant. Aduerte tamen, quod licet coniux peccauerit se impotentem reddendo, non tamen postea peccat debitum non reddendo; sicut licet peccet qui se impotentem reddit ad ieiunandum, non tamen postea peccat non ieiunando, cum ieiunium non obliget impotentes. Vnde, vt hoc obiter dicatur, mihi eorum non displicet sententia, qui dicunt ieiunij præceptum obligare me solum ad ieiunandum, quâdo potens sum, non tamen me obligat vt non me reddam inhabilem, quia habeo ius ad illum laborem suscipiendum per quem à ieiunio excusabor; etiam si talem laborem suscipiam animo fugiendi ieiunium; imò id verum putant quamuis inhabilitas contracta sit ex opere illicito, vnde dicunt illum  
con-

contra ieiunium non peccare qui ex nimio coitu inhabilis factus est. Videatur Diana de ieiunio resol. 52. post Suarez, & alios. Vnde sequendo hanc doctrinam, licet peccet coniux nimis se polluendo, non tamen peccabit contra iustitiam nõ reddendo debitum, quia solum obligatur coniux ad reddendum, quando potens est, non tamen obligatur hoc speciali iure, vt se potentem cõseruet. Oppositum tamen est probabilius, ob rationem dictã, quia lex, vel præceptum de aliquo videtur me obligare vt voluntariè non me reddam impotentem ad illius obseruantiam; & hoc est semper suadendum.

10 Quæres secundò? an coniuges teneantur simul cohabitare, vt sibi debitum reddere possint? Respondetur affirmatiuè, ita Aristoteles 8. Ethic. cap. 12. & D. Thomas ibidem & Theologi omnes hoc loco, taliter, quod non solum in eadem domo habitare debeant, verum etiam in eadem mensa comedere, & in eodem lecto, vel toro

dormire, nisi ex mutuo cõsensu separentur, vt docet Apost. 1. Cor. 7. Quod si non cohabitent sine mutuo cõsensu, potest non solum iudex Ecclesiasticus, verum etiam sæcularis illos ad simul habitandum cogere, dummodo de valore matrimonij controuersia non sit, quia tunc ad solum iudicem Ecclesiasticũ id munus pertinebit. Glos. cap. non est, de sponsal. & ibi Abb. Præpositus, Ioan. Andreas, & alij. Ob hoc potest vir suam vendicare vxorem ab alio detentam, & vxor virum, inuocato ad hoc non solum Ecclesiastico, verum etiam sæculari brachio, Abb. cap. illud, nu. 10. de præsumpt. Imò cap. non est de sponsal. aduertitur posse filium agere contra patrem pro sua vxore recuperanda, licet in alijs rebus filius contra patrem litigare non permittatur. Limitanda tamen est nostra responsio, vt intelligatur quando non est sufficiens ratio non cohabitandi simul, data namque sufficienti causa, potest coniux abesse etiam diu, vt ratione belli,



ratione litis, quæ alibi agitur, ratione magni lucris, &c. Sot. dist. 32. ar. 3. Nauar. c. 16. nu. 32. & alij hoc loco. Quod si tunc vxor velit virum sequi, quando non est statim redditurus, tenetur vir illam deferre cap. super, de voto. Si tamen mulier consensit viro in votum longe peregrinationis, V. g. terræ sanctæ, non tenetur vir illam consentientem in votum, deferre, quia tunc per talem consensum censetur suo iuri renunciaffe.

¶ Quæres tertio, an vir teneatur vxorem alere, vt sibi debitum reddat? Respondetur quod dote non soluta non tenetur vir vxorem alere, tenetur tamen debitum reddere. Angelus v. dos. Syl. & Armilla ibidem. Ratio secundæ, quod scilicet teneatur vxori debitum reddere etiam dote non soluta est, quia debiti redditio non à dotis ratione desumitur, sed à matrimonij natura, quæ est vt mutua fiat corporum traditio. Ratio primæ est quia dos datur ad onera matrimonij sustinenda, inter quæ est ipsius vxoris sustentatio, & sic si dos

non tradatur, non tenetur vir vxorem alere, sed potest illam ad sui patris domum dimittere. Secus dicendum est, si absque dotis promissione vir foeminam duxit, quia sibi imputare debet, si dotem non petijt, Syl. v. dos. Angelus, & alij summissæ eodem verbo. Videatur Sanchez lib. 9. disp. 5. nu. 17. vbi probabiliter factis sustinet, non posse virum dimittere vxorem ad sui patris domum ob dotem non solutam; licet non teneatur eam alere, oppositum tamen quod diximus videtur verius; nam si vir non potest vxorem dimittere ob dotem non solutam, sed tenetur illam domi retinere, certè oportebit quod vir illam alat, cum pater vxoris nolet dum est in domo mariti, alere. Dote autem soluta tenetur vir vxorem alere, nisi sine viri culpa, sed propria temeritate, à viri consortio recedat, quia tunc cessat in viro alendæ vxoris obligatio, cum vxor in viri non maneat obsequio cap. hac imago 33. qu. 5. Tum quia qui non facit, quod debet, non recipit, quod oportet,

ret *L. fca C. de condit. infert.*  
 & *L. Iul. S. affinis, ff. de act. empt.* Dixi sine viri culpa, quia si recedat ob culpam viri, v.g. ob sæuitiam ali debet, *L. iure ciuili, ff. de condition.* & demonstr. vbi dicitur, quod *conditio pro impleta habetur, quando deficit culpa eius, cui implenda erat, cum autem* (quando vir est sæuus) vxori non imputetur quod in viri non maneat obsequio, perinde censendum est, ac si in viri esset obsequio, vt alimenta recipiat. Couar. 4. Decret. 2. p. c. 7. §. 5. Gutierrez qq. canon. lib. 1. c. 24. nu. 7. Surdus de alimentis tit. 1. q. 32. n. 17. & tit. 7. q. 16. num. 1. Brunorus in suo compend. v. *maritus cogitur*, & alij communiter. Quod si vxor carceretur, non tamen culpa viri, sed culpa eiusdem vxoris, vt ob hæresim, tenetur vir eam alerere, si dos apud ipsum maneat, imò etiam quãdo id fieri potest, si dos sequestretur. Surd. vbi supra. Similiter tenetur vxor virum pauperem alere si carceretur, etiam sine vxoris culpa, sicut etiam ad id tenetur extra carceris casum,

quando id vxor præstare potest, id enim affert matrimonio vinculum. Sed nota, quod ad videndum cuius culpa separatio facta sit, attendendū est ad vltimam culpam *L. illud, 17. ff. de periculo, & cõmodo rei venditæ ibi: equum est posteriorem moram nocere.* Vnde si vxor quæ sua culpa recesserat, poenitentia ducta reuertatur, & vir nolit eam admittere, iam vxoris culpa purgata censetur, & vir tenebitur eam alere. Alexand. consil. 78. nu. 1. Et econtra, vxor, quæ culpa mariti aufugit, & vir sufficientem præstat de emendatione cautionem, & adhuc vxor redire renuit, non tenebitur vir illam amplius alere, quia vir per talem cautionem, suam purgat culpam, & illam in vxorem transfundit. Videatur Sanchez supra disput. 4. vbi nu. 28. pertractat legalẽ quæstionem, an vxor teneatur soluere mariti debita, quæ contraxit pro ipsa, & familia sustentanda & partem resoluit negatiuam, & bene, quia vxor marito mortuo suã potest integram recuperare do-  
 tem,

tem, nisi in eius consenserit alienationem, &c. idem dicit de filijs, quod non teneatur patris pauperis debita

soluere etiam pro iisdem filijs alendis, sed hoc sua non caret difficultate, de qua iuris prudentiæ doctores.

## Q V A E S T I O II.

*An quoties coniux peccat petendo debitum, alter peccet reddendo.*

12 **P**rima sententia affirmat, quam post Rubionem 4. dist. 35. q. 2. cūcl. 3. tenet Vgolinus de sacram. tract. de matrim. cap. 10. nu. 2. Cucus lib. 5. instit. tit. 12. n. 19.

Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Quando coniux peccat petendo, peccato se tenente ex parte actus, alter reddendo peccat ad talem actum cooperando, secus quando peccatum non se tenet ex parte actus, sed ex parte personæ.* Explicatur cōclusio: peccatum coniugis petentis vel se tenet ex parte personæ petentis, seu est circumstantia illius, vel se tenet ex parte ipsius copulæ, seu est circumstantia illius, si peccatum est circumstantia personæ, & non

actus, nullum erit peccatum cooperari ad actum; secus si peccatum sit ipsius actus circumstantia. Exemplis res clarior fiet. Si coniux voto alligatus castitatis debitum petat, peccat, cum contra votū operetur, alter tamen coniux reddendo non peccat, quia votum non est circumstantia copulæ, sed personæ, cū persona ipsa sit voto astricta non actus. At vero si coniux peteret in loco sacro, vel in loco publico, vel cum abortus periculo, &c. peccaret petendo; & alter peccaret reddendo, quia circumstantia loci sacri, publicitatis, &c. est circumstantia afficiens actum, vt ex se liquet; & sic cum in hoc casu actus sit malus ratione illius

illius circumstantiæ, cooperari ad illum, malum erit; & cū in priori casu actus malus nō fit, sed persona, cooperari ad illum actum, malum nō erit.

13 Sed contra hoc posterius obijcies primò, quia licet circumstantia voti v.g. nō afficiat actum, tamen per actum talem ipse petens peccat, nec aliter peccat, nisi quia ponit actum sibi ob votum illicitū; ergo non licet talem reddere actum. Consequentia probatur, quia tunc est cooperari ad malum, quod nullo casu fieri potest? Respondetur cōcedendo Antecedens, & negando Consequentiam. Ad probationē dico quod aliud est cooperari ad actum, qui extrinsecè, seu obiectiuè, respectu illius cui illicitus est, est malus, & aliud est cooperari ad malum; hoc licitum non est, bene illud, sufficienti existente causa; alioqui non liceret mutuum ab usurario recipere; imò nec petere, nec liceret elemosynam recipere, vel petere, quando habeo sufficientem causam petendi, quando scio alterum malo animo dare. Et sic cum coniux

sufficientem habeat reddendi causam, ne rixæ, vel iurgia domi nascantur, vel ad impediendum maius malum, quia fortè ad alienā accedet mulierem, &c. non peccabit reddendo, si tamen fructum ex correptione speraret, teneretur illam præmittere. Sed cōmuniter non speratur, cum quando vir petit, libidine iacalescat.

14 Obijcies secūdò, quia si ob aliquam rationem coniux teneretur debitum petēti reddere quādo peccatum est circumstantia personæ, maxime quia per illud votum non abdicauit à se dominium corporis sui coniugis, ac proinde cum debitum petit, suum petit, etiam si malè petat; atqui hæc ratio nulla est; ergo. Minor probatur à simili, nam depositarius non potest deponenti ensē concedere quando illum petit vt se, vel alium occidat; ergo neq; coniux teneretur vsum sui corporis concedere, quando alter petit vt se spiritualiter occidat, licet enim petat suum, non tamen dari debet, quando eo malo animo petitur? Respondetur

detur concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dico, quod etiã in casu depositi, si grauiora timerentur mala dari posset, & deberet; cum autem in nostro casu illa mala sequantur, vt dictum est, ideo corporis depositum reddi debet. Imò puto posse corporis depositũ reddi ratione grauioris mali, etiam quando petitio esset mala non solum ratione personæ, verum etiam ratione actus, quando scilicet, actus ipse non esset malus, nisi ratione alicuius extrinseci, v.g. ratione indecentiæ ex circumstantia loci, vel temporis, vel alicuius periculi, si nõ sit adeo notabilis. Vnde si vir peteret debitũ in Ecclesia, dummodo hoc non faceret in loci sacri contemptum, & vxor nõ posset denegare sine graui incommodo, reddere illud posset. Si vir debitum petat cum aliquo abortus periculo, non tamen cum certo, & vxor sine suo graui incommodo negare non posset, ad euitandum maius malum illud reddere posset. Dixi, non tamen cum certo abortus periculo, quia

tunc copula nõ videtur quomodo possit cohonestari, preferim quãdo foetus esset animatus.

15 Sed quæres primò, an in casu quo peccatum solum se tenet ex parte personæ penitentis, & non actus, alter non solum possit debitum reddere, verum etiam ad id teneatur? Respondetur affirmatiuè, est communis scribentiũ sententia hoc loco. Ratio tacta est in secũdo argumento, quia coniux per votum v. g. per quod copula fit mala non in se, sed penitenti, non amisit corporis alterius cõiugis dominium, nec per tale votum, coniux non vouens, liberatur ab obligatione reddendi; ergo tenetur eo casu reddere, sicut etiam teneor Titio suam pecuniam reddere etiam si sciã illam velle in vsuras implicare, & hoc non aliter, nisi quia rem suam petit; ita & in nostro casu, cum coniux rem suam petat, reddi debet, etiã si ea malè vti velit.

16 Quæres secundò, an quando coniux peccat venialiter ex parte actus, in debiti exigitione, alter reddendo nullo

nullo modo peccet? Respondetur affirmatiuè, ratio est, quia ad excusandum à veniali, minima sufficit causa, quando actus non est intrinsecè malus, vti est mendacium, quod nulla causa excusari potest. Atqui coniux dū peccat venialiter petendo debitum, non petit rem intrinsecè malam, sed solum ex aliqua circumstantia v.g. situs, vt si præposterè petat, seruato tamè vase; si in magno festo; si post Eucharistiæ sumptionem, &c. ergo non peccat alter reddendo cum semper sufficientem habere censeatur causam, vt ne coniugem vel leuiter contristet, vel quia verecundatur negando, &c.

17 Quæres tertio, an detur casus, in quo coniux debitum reddere non teneatur, etiamsi petentis culpa non in actum, sed in solam petentis personam refundatur? Respondetur affirmatiuè, & est quando coniux, qui debitum petit priuatus est iure petendi, propter affinitatem contractam, quia scilicet cognouit vxoris consanguineam intra secundum gradum cap. discretionē,

& cap. sua, de eo qui cognouit consanguineam. Si tamen innocens petat, alter reddere tenetur, & ex tunc, volunt aliqui Canonistæ apud Sanchez disp. 6. nu. 5. quod fiat poenæ remissio, cum illa poena in fauorem innocentis sit inducta. Sed oppositū est verius, quod scilicet illa poena, cum in penam incestus sit inducta, ab innocente remitti non possit, sed dispensatio requiratur, quæ posita debitum non amplius negari potest. Aduerte tamè teneri aliquando innocentem charitatis lege debitum reddere coniugi petenti, qui propter incestum priuatus est iure petendi, quando periclitatur, seu quando est in eo incontinentiæ periculum. Excipitur casus in quo priuatus iure petendi, non teneatur innocenti debitum reddere, quando scilicet intra bimestre matrimoniū non est consummatum; vel quando alter fuit adulteratus, Palud. dist. 38. q. 3. art. 6. nu. 43. Syluest. v. matrim. 7. q. 5. dicto 6. & v. matrim. 8. q. 15. dicto 7. Vnde qui cōtraxit affinitatem cum vxore ratione copulæ cū eius

cōsanguinea excusatur à debiti redditione intra bimestre, quia tunc vxor innocens ius petendi non habet. Item qui per castitatis votum iure petendi priuatur, non potest debitum reddere, quando alter, non habet ius petendi, vt si adulterium cōmisit, &c.

18 Quæres quartò, an cōiux priuatus iure petendi ob affinitatem, vel castitatis votum, possit aliquando nõ obstante illa iuris petendi priuatione petere? Hanc difficultatem resoluit Doctor Angelicus 4. dist. 34 q. 1. art. 2. quæstion. 2. ad 4. vbi sic habet: *Qui habet votum castitatis, non potest debitum petere sine peccato, quamuis possit sine peccato debitum reddere exigenti, postquam ad hoc obligatus est per carnalem copulam, (hoc est matrimonio consumato.) Hoc autem intelligendum est siue mulier petat expressè, siue interpretatiuè, vt quando mulier verecunda est, & vir sensu eius voluntatem, tunc enim sine peccato reddere potest, & præcipuè si ei timet de periculo castitatis. Quidam tamen dicunt quod potest &*

*petere, & reddere ne nimis onerosum reddatur matrimonium vxori semper exigenti. Ex quibus habes posse castitatis voto astrictum, vel qui affinitatè contraxit insinuare vxori vt petat, & offerre se illi ad vsum coniugalem, quia hoc non est petere, sed reddere. Similiter posse sic ligatum, debitum petere, quãdo alter præ verecundia non audet. Hæc tamen ratio cessat quãdo petendi impedimentum est in vxore, quia in viro talis non præsumitur verecundia. Item potest sic ligatus debitum petere quando in altero incontinentiæ aduertit periculum, quia tunc est virtualiter reddere. Poterit tamen illis ligatus impedimentis, alteri insinuare quod suam nõ expectet petitionem, quia prohibitus est, non tamen potest illum excitare ad petendum quando in illo nulla est indigentia ratio, quia tunc non est reddere, sed petere.*

19 Sed quid si votum, alterius cōsensu factum est, vel vterque castitatem vouit? Respondetur neutrum posse debitum petere, possunt tamen

com-

commiseri quando quilibet  
aduertit alium indigere pro-  
pter incontinentiae periculū,  
Nauar. cap. 16. num. 31, & alij

hoc loco. Ratio est, quia tunc  
neuter petit, & sic neuter cō-  
tra votum delinquit, sed vter-  
que reddit.

## Q V A E S T I O III.

*Ex quibus circumstantijs vsus matrimonij  
posse vitari.*

30 **P**rima, & potissima  
circumstantia, est  
circumstantia finis, cum ex fi-  
ne omnia regulentur. Circa  
hanc circumstantiam conue-  
niunt omnes, quod quoties  
matrimonij vsus in finē mor-  
talem refertur, mortalis sit,  
quoties in venialem, sit ve-  
nialis; actus namque talis est,  
qualis est finis in quem refer-  
tur, cap. cum minister, 32. q. 5.  
Conueniunt etiam Theologi,  
quod quādo matrimonij vsus  
in gratia exercetur, merito-  
rius sit, nisi à fine ultimo ex-  
trahatur, gratia namque ha-  
bet dignificare omnes potē-  
tias, & habitus, & actus, nisi  
finis ultimus excludatur; unde  
si quis in gratia existens ma-  
trimonio vtatur, vel vt suc-

cessionem habeat, vel vt for-  
nicationem vitet, vel ad de-  
lectationem captandam, vel  
ob sanitatem habendam, &c.  
dummodo in istis positiuè nō  
sistat, excludendo vltimum  
finem, merebitur, si vero vlti-  
mum finem excludat volen-  
do illa praecise propter se, ve-  
nialiter peccabit, nisi in illis  
vltimi finis rationem ponat,  
tunc enim peccabit mortali-  
ter, censetur autem quis vl-  
timum finem non excludere,  
quando illos fines intendit  
non recordatus finis vltimi.  
Quod si matrimonio vtens in  
gratia non sit, vsus ille ma-  
trimonij ob fines dictos erit  
honestus, non meritorius, nisi  
positiuè ob prauū finem fiat.  
Hanc doctrinam colligo ex



D. Thom. dist. 31. q. 2. art. 2. ad primum, vbi sic fatur: *Proles prout est bonum sacramenti addit supra prolem prout est intentum à natura. Natura enim intendit prolem prout in ipsa saluatur bonum speciei, sed in prole secundum quod est bonum sacramenti matrimonij, ultra hoc intelligitur vt proles suscepta ulterius ordinetur in Deum, & ideo oportet quod intentio natura qua prolem intendit referatur actu, vel habitu ad intentionem prolis prout est bonum sacramenti, alias staretur in creatura, quod sine peccato esse non potest, & ideo quando natura tantum mouet ad actum matrimonij non excusatur à peccato omnino nisi in quantum motus natura ordinatur actu, vel habitu ulterius ad prolem secundum quod est bonum sacramenti, nec tamen sequitur, quod motus natura sit malus, sed imperfectus, nisi ad aliquod bonum matrimonij ulterius ordinetur. Ex quibus habes quod ad hoc vt matrimonij usus sit meritorius in existente in gratia, sufficit, quod habitu in Deum referatur, tunc autem habitu referri cense-*

tur quando posituè ab ultimo fine non excluditur. Similiter habes, quod peccabit ille uenialiter qui uellet matrimonio uti ob solum bonum sacramenti, ut scilicet exprimeret significationem unionis Verbi diuini cum natura humana quia hæc unio non est ultimus finis, sed Deus. Item si uellet matrimonio uti ob bonum prolis, ob sanitatè, ob delectationem excludendo ultimi finis rationem. Itè uenialiter peccabit, qui matrimonio uteretur, ob sanitatem, ob delectationem, ob fugiendam fornicationè, excludendo posituè proprios matrimonij fines, ut si quis matrimonio utatur excludendo bonum prolis, seu nollendo quod generatio sequatur, dummodo nõ faciant aliquid per quod generatio ipsa impediatur, tunc enim peccatū esset mortale.

21 His positis difficultas est, an quando coniux peccat mortaliter, uel uenialiter ratione circumstantiæ finis, alter conscius prauis finis peccet reddendo debitum? Respondetur negatiuè, patet ex dictis

diſtis quaſtione præcedenti, cum malus coniugis finis nõ priuet illum iure petendi, nec eximat alterum ab obligatione reddendi.

22 Circa circumſtantiam temporis ſacri, conueniunt omnes eſſe peccatum mortale tam petere, quam reddere debitum, in contemptu dici feſti; patet, quia contemptus feſti peccatum grauiffimum eſt, imò aliquãdo cum hæreſi coniungitur, ut cum quis contemnit feſtum, quia putat Deum non eſſe colendum, uel non eſſe tali cultu dignum, uel tanto, &c. Dubitũ ſolum eſt, an præciſo contemptu ſit licitum petere debiti: omnes conueniunt eſſe licitum reddere; dubitant de ipſo petere. Aliqui namque uolunt in omni feſto eſſe peccatum ueniale debitum petere, alij ſolum in ſolemnioribus. Sed uerius, & communius eſt, nullum eſſe peccatũ in quocunq; feſto debitum petere. Ratio eſt, quia in diebus feſtis ſolum opera prohibentur ſeruilia, atqui matrimonij uſus non eſt opus ſeruile, ut patet; ergo matrimo-

nij uſus in diebus feſtis non prohibetur. Sed dices prohiberi matrimonij uſum, quia mentem obſcurat, & impedit ne liberius Deo uacemus? Reſpondetur cum D. Thom. 1.2. quaſt. 96. art. 3. quod finis præcepti non cadit ſub præcepto, licet enim abſtinentia à ſeruilibus præcipiatur, ob finem liberius, & expeditius uacandi Deo, tamen iſte finis ſub præcepto non cadit, cum ſufficiat ut quis huic ſatisfaciat præcepto, quod ſeruilia relinquat, etiam ſi poſtea Deo non uacet, alioqui, exiſtens in mortali, huic præcepto nõ ſatisfaceret, cum Deo non uacet.

23 Circa eandem temporis circumſtantiam dubitatur, an licitum ſit die copulæ habitæ Euchariſtiã ſumere, uel ſit magis, uel minus expediens? Ioannes Sanciſ in ſuis ſelectis diſp. 23. dicit plura. Primò conſulendum eſſe coniugatis, ut à copula abſtineant, quando Euchariſtiam ſumere uolunt, dato tamen, quod à copula non abſtineant, non debet illis conſuli ut ab Euchariſtia abſtineant,

ſed

sed potius e contra, quia ex  
 communione maxima nanci-  
 scuntur bona; & vult quod  
 hoc procedat etiam quando  
 coniugati copulam volupta-  
 tis causa habuerunt, quod  
 scilicet tunc ut communione  
 relinquunt suadendi non sint,  
 licet melius egissent si absti-  
 nuissent. Secundò dicit, non  
 esse suadendam abstinenciam  
 à communione illi, qui noctu  
 nocturnam, & involuntariam  
 passus est pollutionem, præ-  
 fertim quando liberam illius  
 non dedit causam, imò etiã si  
 pollutio fuisset voluntaria, vel  
 fornicatio habita fuisset, post  
 illius cõfessionem consultius  
 communicaretur, cum ex cõ-  
 munionem gratia habeatur sa-  
 sacramentalis, auxilia habeantur,  
 ad euitanda peccata, &  
 remissio venialium habeatur;  
 & ex abstinencia solum meri-  
 tum habeatur reuerentiæ.  
 Tertio dicit, votum de non  
 communicando in die habi-  
 tæ copulæ non esse validum,  
 cum non sit de meliori bono.  
 Quarto dicit, sanum consi-  
 lium esse curare expellere  
 mentis diuagationem, ad de-  
 uotius sacram. Eucharistiam

sumendam, at supposito quod  
 quis nolit curare distractio-  
 num expulsionem, non est  
 sanum consilium non com-  
 municare, quia tunc priua-  
 retur gratia sacramentali, &  
 fructibus alijs; tum quia com-  
 municare cum volutarijs di-  
 stractionibus non est pecca-  
 tum veniale, nec irreligio-  
 sitas. Tandem concludit,  
 quod licet consultius sit con-  
 iuges à maritali copula absti-  
 nere ad maiorem, ex com-  
 munionem, fructum percipien-  
 dum, tamen postquam habi-  
 ta est siue petendo, siue red-  
 dendo consultius est commu-  
 nicare.

24 De hac re promo quod  
 sentio. Est certum nullum  
 peccatum mortale remissum,  
 nullum veniale, etiam actua-  
 le gratiã impedire sacramen-  
 talem, solum namque pec-  
 catum mortale non deletum,  
 sacramentalem impedit gra-  
 tiam, vt dixi disp. 14. de Eu-  
 charistia q. 4. & concedunt  
 omnes. Certum etiam mi-  
 hi est, quod accedere ad Eu-  
 charistiam cum multitudine  
 venialium actualium, sine  
 vlla illorum displicentia, cum  
 habe-

haberi potest, sit peccatum veniale, cum sit quidam virtualis, licet leuis, contemptus. Mihi etiam certum videtur, vt loco citato ostendi, quod communicare cū multis venialibus antecedentibus, de quibus nec complacentia, nec displicentia habetur non sit veniale. Similiter mihi etiā valde certum videtur quod communicare cum veniali concomitanter, quando id fit aduertenter, & multo magis cū veniali intento, sit veniale, vt si quis dum communicat motus patiatur volūtarios vaneglorie vel aliquid simile, quod est cōmunicare cum veniali concomitanter; vel ordinare ipsam communionem ad uanam gloriam, quod est communicare cum veniali intento. Item mihi certum uidetur, quod communicare post copulam conjugalem, quando magnam relinquit mentis diuagationem, sit peccatum ueniale, quia tunc leuis saltem adesse uidetur contemptus nec istos admitterem ad communionem, nisi esset magna aliqua solemnitas, uel ad lu-

crandam indulgentiam, uel iubileum, & tunc illos hortarer quod curaret per aliquod tempus se colligere, & sic ad sacram mensam accedere. Quod si modicam copula illa, relinquit mentis diuagationem, vel nullam, ad sacram mensam admitterem, sicut admittendus est, qui nocturnam passus est pollutionem, vt in trac. de Eucharist. dixi, disp. 14. q. 6. At post pollutionem volūtariam, vel fornicationem, non ita facile quis admitti debet, nisi tantam in Confessione ostenderet contritionem, quod omnem absorberet irreuerentiam; non enim uidetur congruum quod post grauissimam Dei offensam, statim quis ad eiusdem Dei mensam admittatur. Possset, non nego, dari casus, in quo admitti quis possset; vt ratione scandali vitandi, ratione magnae solemnitatis, vel iubilei, vel quia solebat illa die communicare, & si non communicet de eo aliquid mali suspicabuntur videntes, &c. Nec ratio Sancier probat, quia nolumus illum talem gratia priuari sa-

eramentali, nec vberioribus auxilijs, sed volumus solum, quod ob reuerentiam, communio differatur, & vt sic, omnes suos effectus vberiores causet, ob maiorem dispositionem.

25 Sed petes quale peccatum sit petere, vel reddere debitum eadem die post ipsam communionem? Aliqui volunt esse peccatum veniale ob reuerentiam sacramento recepto debitam; sed verius dicendum est cū Victoria in summa q. 87. & alijs, quod nullum sit peccatum, cum nullibi hoc præcipiatur, & ex alia parte cessat ratio irreuerentiæ, quæ ante communionem esse posset; aliud namque est communicare cum mentis diuagatione, & aliud est mentis habere diuagationem post communionem. Puto tamen aliquam continere ingratitude, & irreuerentiam post communionem mortaliter peccare, licet putem eam ingratitude non esse mortalem, ratio est, quia ingratitude est, post tantum beneficium, benefactorem statim grauiter offendere, quia

tamen Doctores non dicunt esse mortale, nec ego dico, fateor tamē mihi summopere displicere, & multo magis Deo.

26 Circa loci circumstantiam. Quæres primò, an sit peccatum mortale vsum habere matrimonij in loco publico? Affirmat Sanchez l. 9. disp. 15. n. 1. & dicit nullum vidisse auctorem de hoc dubitantem, eo quod talis matrimonij vsus decentiæ, & honestati aduersetur, & magna daretur scandali occasio videntibus, & hoc idem extendit ad tactus aliàs cōiugibus licitos, sed tunc illicitos, quia aspicientes allicerentur ad venerem. Sed hæc Sanchezij doctrina ita absoluta, & vniuersalis displicet, & displicere debet illis, qui longas fecerunt navigationes, imò illis, qui in triremibus fuerunt, vbi sine vlllo scupulo mancipia cum suis cōiuguntur vxoribus ceteris mancipijs multoties videntibus, & vix aliqui communi pallio cooperiuntur; similiter rustici suas cognoscunt vxores cum plures sint in eadem domo, qui & audi-

audire, & obseruare possunt, imò rustici id faciunt cum in eodem lecto tota cubat familia. Vnde dico contra Sanchez, non solum posse, verum etiam teneri coniugem debitum reddere coniugale ab altero petitum coniuge, licet alij accepturi sint occasionem peccandi, quando aliter facere non possunt; vt in longa nauigatione, in triremibus, in carcere, vbi alij carcerati obseruant, in habitatione non ampla, &c. quamuis quis sit auditorus & ex auditu venerem concepturus. Ratio est, quia vt communiter tradunt Theologi cū M. Banues 2.2.q.43.art.8. nō teneretur quis rem præceptam relinquere, quia alij sunt accepturi scandali occasionem; alioqui mulier quæ scit, quod si exeat ad sacrum audiendū alter sit accepturus scandali occasionem, deberet perpetuò domi manere; quod tamen est falsum. Suadendum tamen est quod coniuges quantum fieri possit, in secreto vsum habeant matrimonij, ita enim & honestas, & decencia, & charitas ipsa (quæ

aliorum habet ruinam quantum fieri potest impedire) distat; alioqui in hæresim Turrelupinorum inciderent, qui volebant & matrimonij vsum, & alia naturæ secretata publicè fieri debere.

27 Quæres secundò, an sit peccatum petere, & reddere debitum in Ecclesia, seu loco sacro? Prima sententia absolutè negat, quam sequitur Glos.c. *Ecclesijs v. semine*, de consec. dist. 1. Hugo, Laurentius, Gandulphus, & Archid. cap. *unico*, de consecrat. *Eccles.* in 6. Rosella v. *consecratio*, quam dicit fortè esse veram Sotus 4. dist. 13. q. 2. art. 3. Ratio huius sententiæ est, quia cap. *simotum*, de consecrat. dist. 1. solius copulæ adulterinæ fit mentio. Et quāuis alij textus generaliter de feminis effusione loquantur, possunt de illicita explicari. secunda sententia dicit vsum matrimonij adeo esse coniugibus in Ecclesia prohibitum, quod neque in casu necessitatis liceat. Hanc sequitur Nauar. c. 16. n. 32. Tabien. u. *matrim.* 3. q. 9. num. 10. & alij. Tertia sententia dicit, licere

matrimonij vsum in Ecclesia necessitatis tempore priuatum, non tamen publicè. Scotus dist. 32. q. vn. art. 3. Angles Flor. 1. p. de *matrim.* q. 9. Lopez 1. p. instruct. c. 33. & c. 82. & alij. Fundamentum huius sententiæ est, quia putat per pollutionem occultam Ecclesiam non pollui, benè per publicam. Sed verius dicendum est Ecclesiam nō solum pollui per pollutionē occultam, sed neque per maritalē publicam, quando ex necessitate in Ecclesia habita est, vt cum alter, vel ambo coniuges diu in Ecclesia detinentur. Ita Magnus Albertus 4. dist. 32. art. 11. ad 2. & ibi Ricardus, Scotus, Maior & alij.

Ratio est, quia necessitas omnem irreuerentiæ rationem aufert; nec credibile est Ecclesiam voluisse Ecclesiam pollui per copulam necessariam ad incontinentiam vitandam. Aliqui solent hic tractare, an matrimonij vsus reddatur illicitus ratione excommunicationis alterutrius, quādo est vitandus, sed facilis est respōsio, vt habetur cap. *quonia multos*, 11. q. 3. quod vxor minimè abstinere teneatur à viro excommunicato, ac proinde possunt debitum & petere, & reddere, nec est credibile piam matrem Ecclesiā voluisse excommunicatos iure petendi, & reddendi priuare.

## Q V A E S T I O I V.

*An matrimonij vsus reddatur illicitus ratione modi, finis, &c. Vbi alia necessario videnda pro praxi.*

28 **E**xplicata circumstantia finis, temporis, & loci, restat vt aliqua dicamus de circumstantia modi,

fitus, &c. Circa modum nota duplicem esse (quando vas naturale seruetur) naturalem, & innaturalem: naturalis est quan-

quando mulier est succuba, & vir incubus; innaturalis quando sedendo, vel stando, vel à latere, vel præpostere pecudum more, vel quando vir est succubus, & mulier incubus &c. Hoc posito.

29 Quæres primò, quale peccatum committatur à cõjugibus quando modum non seruant naturalem? Prima sententia docet esse per se loquendo peccatum mortale, modum variare naturalem, in matrimonij vsu, per accidens tamen excusari posse, vt si podagrosus sededo vxorem cognoscat, imò præpostere, cum sic sedens, difficulter possit naturali modo vxorem cognoscere. Ita Abulen- sis in cap. 5. Matt. quæst 227. Philiarcus de offic. Sacerd. tom. 1. par. 2 lib 4. cap. 19. & alij. Sed oppositum est verius, & communiter tenetur, quod scilicet non sit peccatũ mortale, sed solum veniale modum dumtaxat variare, dummodo seminatio extra vas non fiat. Debent tamen vxorati grauiter increpari vt ab hoc graui abstineant veniali: Ita D. Antonin. 3. p. tit. 1.

cap. 20. §. 3. Caiet. 2. 2. q. 154. art. 1. & art. 12. Victoria summa de matrim. nu. 173. Nauar. cap. 16. n. 42. Sot. dist 31. q. vn. ar. 4. & alij. Probatur destruendo oppositæ sententiæ fundamentum; quia ideo dicunt esse peccatum mortale situm variare, quia est periculum effundendi semen extra vas, seu, quia est periculũ, quod semen intra vas seminatum effuadatur; sed hæc ratio est nulla, ergo. Minor probatur, nam numquam est periculum, quod semen emitatur, postquam intra vas receptum est, cum enim semen in matricem recipiatur per attractionem non per descensum, nec per infusionem, sed per solam attractionem, sequitur non emitti, quantumuis vulua deorsum reuertatur, nisi matrix & eius virtus attractiua frustrata sit, vt in meretricibus contingit; ob quod istud semen receptum emingunt, quod facere non possunt illæ, quæ dispositam habent matricẽ cum sua virtute attractiua, quæ quamuis conentur semen emingere, non possunt. Certè si mulier



posset ad libitū semen emingere, non tot puellæ, nec tot aliæ feminae fornicantes, grauiderentur; nec tantum de hoc timerent. Vnde D. Thomas in huius confirmatione dicit quodlibet. 6. ar. 18. quod quædam foemina in eodem lecto cum patre cubans, ab ipso semen in somnis emissū attraxit, & inde grauida effecta est. Idemque dicitur accidisse in balneis, in quibus erat semen à viro decisum. Hanc virtutem attractiuam in matrice agnoscunt Philosophi, & Medici post Aristotelem lib. 2. de generatione animalium cap. 4. ac proinde nullus modus, nullusque situs generationi obstat, dummodo extra vas semen non emittatur. Addo quod non solum non est peccatum mortale variare modum, vel situm seruato vase, sed potest etiam veniali carere talis matrimonij vsus, vt quando aliter talis vsus, vel difficulter, haberi non potest.

30 Sed petes, an teneatur vxor marito debitum reddere, quando illud petit modo innaturali dicto? Negat

Martinus Bonac. de *matrim.* q. 4. punc. 3. n. 9: & 10. Ratio illius est, quia tunc temporis vir petit actum malum venialiter, malitia se tenente ex parte actus, & sic nisi iusta excuset causa, non potest vxor debitum tunc reddere. Sed oppositum quod docet Sanchez disp. 16. num. 8. Pontius lib. 10. cap. 11. nu. 4. Filiucius to. 1. trac. 10. p. 1. c. 9. nu. 308. est tenendum. Ratio horum est, quia vxor debitum reddens non cooperatur peccato veniali petentis; ergo non solum reddere potest, verum etiam debet. Consequentia nota est, quia quoties vxor mariti peccato non cooperatur, tenetur debitum reddere, cum suum petat, & vxor reddendo non peccet. Antecedens ostenditur, quia peccatum veniale petentis in hoc casu oritur ex affectu petentis, & ex vehementi voluptatis captandæ desiderio, sed reddens, huic appetitioni, & voluptatis desiderio non cooperatur reddendo, reddit namque actum bonum generationi ordinatum, & pro illa ponenda sufficientem; ergo.

Circa

31 Circa situs variationē, quando scilicet seminatio extra naturale vas exequitur siue in vase præpostero, siue inter crura, siue inter mamillas, siue intra os, siue in quavis alia parte, conueniunt Theologi esse peccatum lethale, tum quia est contra finem generationis, tum quia vir vxore abutitur, cum vxor non sit vxor nisi in ordine ad prolis generationem. Vt tamen hæc res, licet nefanda nimis, maneat explicata.

32 Quæres primò, an possit vir copulam præpostere inchoare animo seminandi intra vas? Nauar. lib. 5. consil. tit. de pœnit. & remis. cõsil. 7. dicit solū esse peccatum veniale cuiusdam tactus illiciti, nec teneri virum Sodomie circumstantiam in confessione aperire. Idem tradere videtur Ouandus in 4. dist. 31. q. 11. & alij plures quatenus regulam tradunt generalem, quod omnes actus alijs turpes inter coniugatos culpam non excedūt venialem modo non fiat extra vas naturale, pollutio. Ratio esse potest, quia illa intromissio in vase

præpostero animo solum se excitandi, & præparandi, & postea seminandi in naturali vase, videtur solum quidam tactus; ergo si potest vir proprijs præparari tactibus, seu manibus, vel etiam vxoris, & potest præparari inter crura eiusdem vxoris, quare non poterit se præparare intra anum? Sanchez lib. 9. dist. 17. nu. 5. dicit non posse virum præpostere copulam inchoare animo postea seminandi intra vas naturale, poterit tamen refricare pudenda supra superficiem vasis præposteri, vel etiam pouere, vt magis excitetur, & potentior fiat, in os vxoris, cum os non sit vas ordinatum ad copulam sodomiticam, vnde hic tactus instar aliorum inter coniuges, erit de illis qui culpam non excedant venialem.

33 Sed si ego volo quod sentio fateri, mihi magis displicet, quod dicit Sanchez, quod scilicet intromissio membri in os vxoris non sit mortalis, quam intromissio in vas præposterum animo non seminandi ibi, sed in vase naturali. Vade vel utrunque dice.

diceré esse mortale, vel nullum. Vtrunque tamen semper dissuadendum est.

34 Quæres secundo, an peccet coniux, qui in copula carnali delectatur de altero, ut sic melius matrimonium valeat consummare? Conueniunt Theologi, quod si coniux in copula coniugali delectetur de re turpi, ut de copula cū alia, mortaliter peccet cum sit delectatio morosa de obiecto lethaliter malo Syl. v. *debitum* q. 2 i. D. Antonin. 4. p. tit. 1. cap. 20. §. 1. non enim matrimonium dat ius delectandi de aliena carnaliter. Non est tamen necesse in confessione talis delectationis, explicare circumstantiam matrimonij, cum matrimonij ius per simplicem non uioletur delectationem, sed solum per concubitum cum altera, uel per nimiam pollutionem, quando redditur impotens ad debitum reddendum, ut supra docuimus. Quod si coniux dum matrimonio utitur delectetur de alterius pulchritudine ut excitetur magis, &c. nullum agnoscunt Theologi pecca-

tum. M. Candidus post alios to. 1. disput. 24. ar. 22. dub. 14. nu. 16. Ratio est, quia si potest coniux excitari per intuitum pulcherrimæ picturæ, & de illa delectari, poterit etiā excitari per imaginationem pulcherrimæ foeminae, sed cauendum, quia est periculum ne consentiatur in personam.

35 Quæres tertio, an sit peccatum si data opera coniuges non seminent simul? Respondetur quod non, licet optimum cōsiliū sit hoc facere, etiam tactibus, qui tardius est, se preparando, quia simultanea seminatio conuenientior est generationi; poterit tamen, qui prior seminauit, copulam continuare, donec alter seminet. Maior difficultas est, an postquam vir seminauit, & se extraxit, possit tactibus curare ut uxor seminet. Conueniunt Theologi id posse facere foeminam ipsam, tum quia illa non est pollutio, nec pollutionis procuratio, sed copulae coniugalis perfectio. Tum etiam quia seminatio uxoris ad generationem requiritur  
sc-

secundum veriorē sententiam; ergo debet, & ipsa poni, alioqui viri feminatio frustranea erit. Tum denique quia vxor postquam vir ex parte sua compleuit, & dedit quod debuit, & ipsa dare debet quod debet, vt sic vna caro efficiantur, cum matrimonium ad contractum *de vt des* reuocetur; & etiam quia vxor non tenetur sic suspensa manere, &c. Dubium est an vxoris pollutio in eo casu possit viri tactibus procurari? Negant aliqui, quia ex parte viri videtur potius pollutio- nis procuratio, quam copulæ maritalis consumatio. Alij affirmant cum Sanchez lib. 9. disput. 17. num. 12. ut Leander de *sacram.* tom. 2. tract. 9. disp. 23. q. 41. Martinus de S. Ioseph tom. 1. lib. 1. tract. 15. num. 8. Carolus Baucius to. 2. opusc. 1. q. 88. & alij. Rationē assignant, quia ideo talis feminatio uxori permittitur, quia est licita inchoatæ copulæ consumatio; ergo etiam marito licita erit. Tum quia si absque peccato mortali, imò etiam ueniali inter coniuges, tactus etiam partium

pudentarum sunt liciti, etiam sine ordine ad copulam, ut quando uir digitos intra uxoris uas intromittit causa captandæ delectationis, quare ijdem tactus fieri non poterunt pro copulæ maritalis complemento? Sed prior sententia est uerior, cum non sit necesse quod uir ipse tale ponat complementum, cum sufficienter fieri possit per fœminā. Unde opposita sententia deleta est ex operibus Sanchez, & Hurtadi in editione Antuerpiana.

36 Quæres quartò, an abusus mortalis inter coniugatos, malitiam habeat adulterij? Affirmat Sanchez lib. 9. disp. 18. num. 4. ubi dicit peccatum contra naturam inter coniugatos, tam ex parte uiri, quam ex parte uxoris consentientis esse adulterium, ac proinde utrumque teneri fateri in confessione circumstantiam utriusque adulterij. Sed uerius uidetur adulterij circumstantiam in tali peccato cum coniuge non interuenire. Quod sic demonstro. Primo quia adulterium ut definit D. Thomas 2. 2. q. 154. art. 8.

art. 8. & uniuerſi Theologi cū ipſo, eſt *alieni tori uolatio*; ſed maritus dum contra naturam cum propria peccat coniuge non alienum, ſed ſuū uiolat torum; ergo. Secundò; quia adulterium eſt peccatū contra debitum fidei, quod coniugi debetur; ſed accēſſus ad ſuam extra uas debitum, non uiolat fidem coniugi datam; non enim fidem de hoc dedit, ſed de aliena non cognoscēda muliere; ergo. Tertio quia licet ſodomia inter conſanguineos primi, & ſecūdi gradus lineæ rectæ aliam habeat malitiam p̄teter malitiam peccati contra naturā, non tamen inter affines, ut poſt alios docet Diana par. 3. tract. 4. reſol. 159. Sed uxor nō eſt conſanguinea uiri, ſed ſolum affinis, cum affinitas ſit propinquitas ex carnali copula contracta; ergo. Ob hoc dicit Diana ibidem, non eſſe neceſſe in ſodomia explicare an quis fuerit agens, uel patiens, quod tamen dici deberet in ſententia Sanchez. Et p. 9. tract. 7. reſol. 86. docet cū Mazuchello non eſſe neceſſe dicere quod ſodomia fuerit

cum maſculo, uel cum foemina, quia licet ſodomia cū foemina non ſit perfectè ſodomia, quapropter non reſeruetur, niſi de ea ſpecialis fiat mentio, tamen cum ad ſodomix ſpeciem reuocetur, ſufficienter in confeſſione deponi cenſebitur ſi abſolutè conſiteatur abſque eo quod perſona, an ſit maſculus, uel foemina, exprimat. Vnde puto coniugem cognoscentē ſuam uxorem ſodomiticè, ſatisfacere ſi dicat commiſi ſodomiam abſq; eo quod uxoris faciat mentionem, cum quantum ad illum actum ita ſe habeat, ac ſi alia eſſet perſona.

37 Quæres quinto, an poſſit uxor, & quæcunq; alia mulier ſemen uiri, uel etiam proprium expellere quando (ut loquuntur Medici) mortuum, ſeu corruptum eſt. Dixi quando corruptum eſt, quia certiffimum eſt nullo caſu id fieri poſſe, quando eſt bonum. Affirmat Sanchez diſp. 17. nu. 19. tum in uiro, tum in foemina, & hoc tum medicamentis, tum confricationibus, & digitorum intro-  
miſſio-

missionibus in fœmina. Rationem assignat, quia tunc personam inuadit uenenosis exalationibus, seu vaporibus, qui grauissimas causant infirmitates, & aliquâdo manias, vt medici testantur. Addit, eandem expulsionem fieri posse, quando esset probabilitas de seminis morbositate, secus quâdo esset dubium, cum iam semen in suâ sit possessione, & in dubio nullus sit sua possessione priuâdus. Addit etiam hoc fieri posse, etiâ si aliqua pars boni seminis esset emittenda cum semine morbofo. Sed hanc doctrinam libenter limitarem vt talis expulsio fieri posset, sed non per actionem quæ per se ad noui seminis emissionem ordinetur, vti est confectio, quæ cum sit causa caloris, & excitet spiritus generationi deseruientes, per se videtur nouam facere seminis emissionem, quæ nullo in casu licita est. An autem possit præberi medicina, vel syrupus, qui conuertat semen in sanguinem, vel alium humorem, & sic expallatur, affirmat idem Sanchez; sed ap-

positum est verius, quia talis conuersio, institutioni seminis repugnare videtur.

38 Quæres sextò an coniuges possint coeptam copulam abrumpere ne seminatio saluti noceat, vel multiplicetur filij, quia pauperes sunt, vel ob difficultatem in illis alendis, & educandis, vel ob aliam similem causam? Conueniunt communiter non esse peccatum mortale id facere; difficultas est, an etiam excusentur à veniali? Respondetur affirmatiuè cum Sanchez disp. 19. num. 3. & alijs; dummodo in utroque coniuge cesset pollutionis periculum, si tamen alter seminet, etiam alter seminare debet, ne semen emissum suo fine frustretur. Ratio est, quia tunc coniuges illa copula vtuntur, tanquam actu sibi licito, ad libidinem sedandam; ergo possunt se retrahere; sicut enim cum alios habent tactos non tenentur illos habere ob finem copulæ, imò possunt se libidinosè tangere cum animo non ponendi copulam, ita possunt hunc tactum ponere cum

animo non seminandi, & post consequens se retrahere poterunt.

39 Petes, an hoc idem facere possint fornicantes? Lessius lib. 2. c. 3. dub. 6. n. 55. & Sanchez hic disp. 19. nu. 7. utrunque probabile putant, scilicet & quod possint copulam perficere, & abrumperé. Sed non placet primum, sed puto semper teneri fornicantes se retrahere, & peccatum non perficere. Ratio est, quia peccans quamdiu peccat semper tenetur à peccato cessare, nec vlla ratione potest quis inceptum peccatum perficere, alioqui daretur aliquod tempus, vel instans in quo peccatum continuaretur, & non peccaretur, scilicet in eo tempore, vel instanti in

quo quis tenetur copulam perficere; imò secundum illos auctores non esset peccatum, vel non continuaretur, quando idem peccatum cõpletur, quæ, ut consideranti patebit, sunt absurda; nec valet quod dari posset seminatio extra vas; nam hoc est per accidens, & præter intentionem; secus esset, si quis se retraheret, non animo cessandi à peccato, sed animo ponendi actum contra naturam, tunc enim cessando à copula hoc animo, maius peccatum esset, hoc tamen non facit quominus fornicator non teneatur semper à fornicatione cessare, etiamsi aliunde sequeretur seminatio extra vas.



Q V A E S T I O V:

*Quale peccatum sit in coniugalis conceptionem  
impedire, vel absorsum procurare, ubi  
plura curiosa.*

**R**esponderetur esse mortale peccatum, & conceptionem impedire, & illa facta abortire. Est sententia communis. Ratio est, quia natura & conceptionem intendit, & ut factus conceptus in lucem edatur, ut sic humanum genus conservari valeat; ut tamen hæc res clara fiat aliquas proponamus difficultates.

41 Prima difficultas est, an ob rationabilem, & iustam causam, licitum sit uxoris procurare sterilitatem, præbendo adhuc finem medicinam, sterilitatem causantem: sit casus patitur vxor mortis periculum in partu, vel foetum mortuum edit, vel monstruosum, nel parit semper filios cæcos, ut aliquando observavi, an scilicet in his, & similibus casibus licitum sit uxori accipere, & alijs

medicinam præbere, qua sterilis euadat. Certum imprimis est, quod qui talem sterilitatis præbet medicinam non incurrit poenas contentas in Decreto Greg. XIV. & Sixti V. contra abortum procurantes, nam procurare sterilitatem non est procurare abortum, ut patet; neque hic est casus reservatus, nisi exprimatur; ut exprimi solet in aliquibus Episcopatibus. Certum etiam est, dictas poenas non incurrere coniugatos, nec alios, qui in copula se retrahunt ut generatio non sequatur, cum hoc non sit absorsum procurare. Hoc posito. Affirmat Turreblanca apud Dianam p. 5. trac. 14. re. sol. 90. Sed ipse Diana oppositum, & merito sequitur post alios, quos ibi citat. Ratio est, quia naturæ dictamini pugnat reddere foeminam



sterilem, per quam sterilitatem prolis impediatur generatio, cum natura masculum & foeminam fecerit, seu sexus distinxerit, ut humana fieret propagatio.

42 Sed dices potest medicus ad vitadā matris mortem, medicinam præbere, quæ directè abortum faciat fetus nondum animati; ergo etiam poterit idem medicus, medicinam præbere, ut aliqua, ob eiusdem mortis periculum, sterilis fiat; minus namque est sterilitas, quam abortus fetus etiam inanimati? Respondetur concedendo Antecedens, & negando consequentiam. Ratio discriminis est, quia illa abortus procuratio, censetur matris defensio cum moderamine inculpatæ tutelæ, tunc namque temporis fetus matrem inuadit, ut illi mortem afferat, inuasorem autē actū inuadentem licitum est vi expellere. At vero sterilitas, matrem non inuadit, præsertim cum possit, consentiente marito non seminare, ipso non seminante, uti q. præcedenti dictum est.

43 Secunda difficultas, an puella prægnans ad euitandum vitæ, infamiaeque periculum possit procurare aborsum fetus nondum animati? Omnes conueniunt, non licere procurare aborsum, fetus animati, tunc enim est directè homicidiū facere; nec valet quod tunc fetus inuadat vitam, famamque, quia re vera non inuadit, non infidiatur in vita, vel in fama, sed hæc damna aliunde sequuntur. De foetu ergo nondum animato præsens procedit difficultas: Affirmatiuam sententiam sequitur Turreblanca lib. 2. de magia c. 43. nu. 10. Zambellus in Repert. moral. v. *medicus* nu. 11. Bordonus consil. Reg. resol. 45. q. 4. nu. 4. N. P. Lezzana sum. to. 3. v. *aborsus* n. 5. Trullench. in decal. to. 2. l. 5. c. 1. dub. 4. nu. 1. sed licet hæc sententia probabilis sit, saltem propter eximios, quos habet patronos; tamen ne fiat faciles Theologi in ea consulenda cum grādis aperiatur via abortioni, non solum fetus inanimati, verum etiam animati, ut experientia docet.

Vade ut illa sententia sequi probabilliter possit, duo requiruntur; vnum quod sit mulier moraliter certa de foetus inanimatione; secundum quod alia non sit via ad evitandam mortem, vel grandem infamiam, non leuem, ut si puella sit nobilis, vel monialis, &c. Animatur autem foetus secundum Arist. lib. 7. de animal. cap. 3. Plin. lib. 7. cap. 6. si masculus sit die quadagesimo à conceptione. Si vero foemina sit, die 80. & aliquando 90. Videatur Nald. in sum. v. abortus, num. 2. vbi addit, quod in dubio, an foetus masculus, vel femina sit, masculus presumitur, & ita in sacra observatur Pœnitentiaria. Dixi illam sententiam saltem per principia extrinseca scilicet propter eximios quos habet patronos probabilem esse. Quia fundamentum, quod habet non videtur probare, fundamentum est, quia licitum est procurare abortum foetus inanimati, quando ex eo mors matris sequetur; sed in hoc casu mors sequitur, vel grauis infamia quæ morti comparatur; ergo. Nam est diuersa

planè ratio; quando namque foetus mortem matri machinatur, tunc censetur inuasor, non sic in casu præsentis, cum non foetus sit causa periculi matris, sed mater ipsa est sui periculi causa; Vade oppositam sententiam ego sequor. Tum quia procuratio directa abortus est intrinsecè mala cum sit contra naturam, violentam & summè inclinante ad generationem. Tum quia non sunt facienda mala, ut inde eueniât bona. Tum quia foemina voluntariè mortis, & infamiae periculo, se exposuit, &c. Putat tamen Marchantius in resol. Past. par. 1. c. 6. q. 2. 1. & alij, non peccare mulierem vi oppressam, si statim post coitum semen eiciat; quia tunc non est contra generationem facere, sed est se, suamque tueri honestatem, & se ipsam contra inuasorem defendere, quæ inuasio tandiu perdurare censetur in semine illius qui oppressit, quâdiu semen non est pacificè in matrice reclusum. Sed de hac re egimus supra disput. 2. q. 6. num. 32. vbi hanc sententiam reprobauimus; quia  
diffi-

difficulter, & fortè nullo modo potest fieri illa seminis expulsio, vt ibi obseruauimus.

44 Tertia difficultas, an vxor grauida, & idem dicendum est de quacunque alia muliere, possit vti medicamentis ad abortum foetus inanimati tendentibus, quando nullum aliud habetur remedium pro ipsius vita tuenda? Sunt tres sententiæ probabiles. Prima est quod nõ liceat. Hanc sequitur Mazuchellus de casibus refer. disp. 2. cap. 3. diffic. 3. num. 9. Secunda est, quod id liceat sine intentione tamè abortus, sed vitam matris intendendo, & salutem. Hanc sequitur Less. 2. lib. c. 9. dub. 10. num. 61. Bonac. de rest. disp. 2. q. vlt. punc. 7. nu. 3. & alij. Tertia sententiæ & probabilior est, quod id liceat etiam intendendo foetus expulsionem quando est certum non esse animatum. Hanc sequitur Henriquez, Nauar. & alij quos refert, & sequitur Sanchez lib. 9. disp. 70. nu. 9. Vide Naldum v. abortus, n. 3. Homobonum de casibus referuatis p. 3. c. 67. Trullench,

in decal. tom. 2. lib. 5. cap. 1. dub. 4. nu. 1.

45 Probatur primò, quia licitum est, iniustum expellere aggressorem, sed eo casu foetus inanimatus iniuste matrem inuadit, dum illi mortem machiatur, & quasi creat; ergo licitum erit talem foetum expellere, ad eum modum quo licitum est alios expellere humores naturam inuadentes. Sed dices, si hæc ratio esset bona sequeretur licitum etiã esse expellere foetum animatum quãdo matrem inuadit, & in ea mortis periculum creat. Item licitum esset semen expellere, quoties ob abundantiam, vel alias qualitates, eius retentio morbum facit: quæ tamen absurda sũt, & à nemine admittuntur, etiã si non minus inuadant ac foetus inanimatus? Respondeatur namque diuersam esse rationem nostri casus, ac duorum dictorum. Nam expulsio foetus inanimati non est adeo intrinsecè mala, vt est expulsio foetus animati, vt patet. & vt est pollutio volũtaria: vnde illa prima scilicet foetus inanimati expulsio ob grauissimam

mam causam fieri potest, non ista; expulsio namque foetus animati est directa occisio nō inanimati; & expulsio seminis viui est intrinsecè mala, & in nullo casu admittenda; nā si semel pollutio in aliquo casu admitti posset, cum tātā secum afferat delectationem, & naturæ propensionem, facile possent homines illum casum fingere, & sic pollui, contra naturæ bonum, &c.

46 Probatur secundò, quia licitum est ob salutem totius, partem abscindere, vt si quis manu esset ad cratem ferream alligatus, & instaret incendium, vel irruerent hostes, posset sibi manum abscindere ad mortem vitandā: Less. lib. 2. cap. 9. dub. 4. n. 101. sed foetus antequam anima informetur rationali est pars matris; ergo ad euitandam eiusdem matris mortem, licitum erit eum abscindere; est enim pars propter totum, vt omnes tradunt. Confirmatur hoc, quia si foetus eo casu nō expellatur, & mors matris sequatur, etiam eiusdem foetus mors sequetur; ergo nullū habet foetus emolumentum

ex eo quod non expellatur.

47 Sed maior difficultas est, an liceat aliquando procurare abortum foetus animati animæ rationali? Dico primò, *numquam licere vti medicamentis directè tendentibus ad abortum foetus animati:* (intellige semper animæ rationali.) Ratio est, quia ille abortus cum sit directa innocentis occisio, numquam directè intendi potest, cum sit intrinsecè mala, vt omnes tradunt, & prohibetur in decalogo: *ibi non sis occisor, seu non occides.* Dico secundò, *licitum esse vti medicamentis non directè tendentibus ad foetus expulsionem, vt sectio venæ, pharmacum, balneum, &c. etiā si aliunde per accidens mors sequatur.*

48 Probatur, quia licet numquam licitum sit innocentem per se & directè occidere, tamen licitum est aliquid facere per quod innocentis occisio sequatur, vt clarum est in bello, quando tormenta in arcem diriguntur, vbi etiam innocentes occiduntur. Dico tertio, *quando nulla est spes vt viuus eda-*

itur partus, & ex alia parte est spes sanitatis matris, possunt ea adhiberi medicamenta, quae aequè redunt ad foetus mortem, & ad matris salutem. Sanchez disp. 20. num. 18. Ratio est, quia tunc foetus damnatum, est modicum, & matris salus est maximum bonum. Addit Sanchez idem fieri posse, quando matris salus dubia esset, quia tunc cum sit certitudo, quod foetus viuis non edetur, & sit dubietas de matris salute, hæc prævalere debet, & est maximum bonum si res feliciter succedat, imò putat, & satis probabiliter teneri medicum tunc temporis medicinam illam præbere.

Dico quartò, quod si adsit spes, quod foetus viuis in lucem edetur, tenetur mater cum sua vita periculo ab illis abstinere medicamentis, ut foetus valeat baptizari; quod si non faciat, & mater medicinam accipiendo, & Medicus præbendo, contra charitatem peccabunt. Ratio est, quia charitatis præceptum obligat ut vita temporalis exponatur pro vita spirituali proximi extreme indigentis, ut est puer non bap-

zatus; secus dicerem si ipsa mater esset in peccato mortali & non haberet, vel suum ignoraret, remedium, quia tunc bonum spirituale proprium præferendum est bono spirituali aliorum, ut ex se liquet.

49 Quarta difficultas, an licitum sit abortum suadere, quando pater, vel frater, &c. esset paratus occidere filiam, vel sororem & omnino animo firmatus esset ac determinatus si illam gravidam reperiat; vel si filia ipsa parata esset se ipsam occidere ad infamiam vitandam. Casus mihi accidit in quadam civitate: quædam puella nobilissima ex præavo concepit concubitu, mortiferam sumpsit medicinam ad foetum expellendum, & non fuit expulsus, fecit sibi pluries venam aperire, & nihil factum est, quotidie ventrem pugnis percutiebat ut foetum expelleret, & nihil fiebat, tandem volebat se in puteum proicere: hæc audiens erat in animo remedium suggerere efficacissimum, quod certum habuisset effectum, sed suspicabar

fieri posset: uerti libros & inueni hoc docere Mazuchellum de cas. referu. disp. 2. c. 3. q. 3. diffic. 1. num. 63. Lugum de iust. tom. 1. disp. 19. sect. 2. S. 2. nu. 43. Quorum ratio est, quia parato committere maius malum, licitum est consulere minus, quia tunc non cõsulitur malum sed bonum, non enim consilium illud est absolutum, sed conditionatum, scilicet si vnum ex his malis facturus es, fac hoc, quod est minus; sed quando puella grauida vult se ipsam occidere, est maius malum, quam sit abortus animati foetus; ergo tunc temporis licitum erit hoc secundum consulere ad euitandum primum. Incurrunt autem abortum procurantes præter excommunicationem Episcopo reseruum, priuationem omnis priuilegij clericalis si clericus sit,

& omnium dignitatum, beneficiorum, officiorum, & inhabilitatis ad illa, quæ poenæ non incurruntur ante iudicis declarationem, quæ posita, sunt sedi Apostolicæ reseruatæ. An autem Confessarij regularium, licet non possint absoluerè à casibus Episcopalis, possint ab hac censura, & alijs Episcopis reseruatis. Affirmat Thesaurus de poenis par. 2. cap. 1. num. 1. quod intelligo de illis regularibus, qui possunt absoluerè à censuris Episcopalis, & etiam à Papalibus, quiaam autem sint, vnusquisque suæ consulat priuilegia. Interim vide Dianam de dub. Regul. resol. 13. vbi tenet posse Regulares absoluerè à censuris Episcopis reseruatis, quia solum prohibentur absoluerè à casibus Episcopalis.



## Q V A E S T I O VI.

*Proponuntur, & explicantur aliqua difficultates, circa debiti petitionem, & redditionem ratione damni, quod proli sequi potest.*

50 **P**rima difficultas, an maritus possit debitu[m] ab vxore exigere tempore menstrui? Hanc difficultatem proponit, & resoluit D. Thom. 4. dist. 32. quaest. vn. art. 2. quaestiu[n]c. 2. in corpore, vbi sic habet: *accedere ad menstruatam in lege prohibitum erat duplici ratione; tum propter immunditiam: tum propter nocumentum, quod in prole ex huiusmodi commixtione frequenter sequebatur: & quoad primum, praecipuum erat ceremoniale, sed quantum ad secundum erat morale: quia cum matrimonium sit ad bonu[m] prolis principaliter ordinatum, inordinatus est omnis matrimonij usus quo bonum prolis impeditur; & ideo hoc praecipuum obligat etiam in noua lege propter secundam rationem; & si*

*non propter primam. Fluxus tamen menstruorum potest esse naturalis, & innaturalis. Naturalis quidem, quando scilicet mulieres patiuntur temporibus determinatis, quando sunt sanae. Innaturalis autem quando inordinate, & quasi continue ex aliqua infirmitate fluxum sanguinis patiuntur. In fluxu ergo menstruorum innaturali non est prohibitum ad mulierem menstruatam accedere in lege noua, tum propter infirmitatem, quia mulier in tali statu concipere non potest; tum quia talis fluxus est perpetuus, unde oporteret quod vir semper abstineret. Sed quando naturaliter mulier patitur fluxum menstruorum potest concipere, & iterum talis fluxus non durat nisi ad modicum tempus: unde prohibitum est ad talem*  
acce-

accedere, & similiter prohibitum est mulieri in tali fluxu debitum petere. Vbi habes, quod quando fluxus est perpetuus, licitum est & petere, & reddere, quod idem valet quando vir fluxum seminis patitur. Quando vero fluxus est ille ordinarius, quem patiuntur mulieres in Lunæ defectu, qui pro modico tempore durat, non est licitum marito petere; quodam, autem peccatum fit, D. Thomas non dicit, dicit tamen Caiet. 2. 2. q. 154. art. 1. quod scilicet sit veniale, licet Nauar. sum. cap. 16. num. 32. & alij non improbabiler velint solum esse consilium, quia raro proli damnum sequitur, & melius sit sibi esse, quam non esse; at quod dicit Caietanus probabilius est. An autem mulier teneatur tunc debitum reddere? Affirmatiuè respondeo eum eodem D. Thom. quaest. 3. vbi dicit quod mulier potest tunc marito tale significare impedimentum, & precibus curare debet vt eum auertat, quod si inflet reddere tenebitur. Ratio D. Thomæ est clara, quia vir potesta-

tem habet in corpus vxoris, ac proinde suum petit, etiãsi tunc illam malã habeat conditionem.

51 Secunda difficultas, an sit licitum marito debitum ab vxore grauida petere? Respondetur affirmatiuè, dummodo absit abortus periculum, quale esset si cum maxima exagitatione copula haberetur. Ita D. Thomas dist. 32. in expositione litterarum, vbi sic ait: *Quamuis enim matrix post impregnationem claudatur, tamen ex delectatione, vt Auicenna dicit, mouetur, & aperitur, & ex hoc imminet periculum abortus, & ideo Hierony. vituperat accessum viri ad vxorem impregnatam, non tamen ita quod semper sit peccatum mortale, nisi forte quando probabiliter timetur de periculo abortus.* An autem sit peccatum veniale nec ne præciso omni abortus periculo non determinat Angelicus, cõmunior tamen sententia est nullum esse peccatum.

52 Tertia difficultas, an sit peccatum petere, vel reddere debitum post partum? Respondetur negatiuè. Ita



D Antonin. 3. p. tit. 1. c. 20. S. 4. Syl. v. *debitum*, q. 5. Sicut neq; quando vxor sobolem lactatis excusabitur tamen vxor lactans à negatione debiti, si experta fuisset vbera lacte exsiccari, & non posset ob paupertatem nutricem accipere. Non tamen damnaretur vir exigens, quia ne diu maneret sic, posset prolem periculo exponere, præsertim si esset incontinentiæ periculum.

53 Sed petes quantū tempus expectare debeat vir à debiti exigitione si velit, ex consilio, non ex præcepto cū non sit, aliquod tempus expectare? Respondetur quod si foemina masculum peperit deberet expectare septē diebus, quia tantum durat separatio menstrua, vt colligitur ex Leu. 12. vbi dicitur: *mulier si suscepto semine pepererit masculum, immunda eris septē diebus, iuxta dies separationis menstrua: ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ.* Ob hoc B. Virgo, digna est omni laude, quæ mansit quadraginta diebus, septem scilicet

separationis menstruæ, & triginta tribus purificationis sanguinis, cum tamen ad illā legem non teneretur, tum quia non cōceperat suscepto semine; tum quia non habuit mēstruam separationem, nec indigebat manere triginta tribus diebus, vt suum purgatissimum, & purissimum sanguinem purgaret. Tum quia cum esset mater Dei nullis tenebatur legibus ex illis, quæ ordinarijs foeminis dabantur, erat namque ipsa speciali nota digna. Si vero foeminam pariat expectare debet 15. diebus, vt colligitur ex eodem c. Lenitici dū dicitur: *si autem foeminam pepererit immunda erit duabus hebdomadibus iuxta ritum fluxus menstrui, & sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ.*

54 Sed hic obiter quæres aliquis, an mulier post partū teneatur cum primū vadit ad Ecclesiam benedici? Respondetur quod non: est tamen bonum consilium id facere, vt habetur in Rituali Rom. de *benedic. mul.* vbi sic dicitur: *Si qua puerpera post*  
par.

partum, iuxta piam, ac laudabilem consuetudinem ad Ecclesiam venire voluerit pro incolumitate sua Deo gratias actura petiuitque à Sacerdote benedictionem, ipse superpelliceo, & Stola, &c. vbi vt vides est solum laudabilis cōsuetudo. Potest autem hæc benedictio fieri etiam à Sacerdote Regulari, vt vsus vbique habet, nec vllō modo necesse est, vt in Ecclesia fiat Parochiali.

55 Quarta difficultas, an furor, vel amentia alterius excuset à debiti redditione? Dico primò, si ambo coniuges amentes sint, nemo, sine graui peccato, potest eos coniungere. Ratio est, quia illa copula non humana, sed potius belluina censeretur, & magnum damnum educationi prolis sequeretur. Dico secundò, si vir amens sit, & uxor sana mentis, licitum est utrique & reddere, & petere. Ratio est, quia tunc cessat abortus periculum, uxor nãque sanæ mentis rectè poterit prolem gestare, & educare; & ex alia parte, durum nimis videtur; teneri uxorem sanæ mentis, semper conti-

nentiam seruare. Vnde im merito Sanchez l. 9. disp. 25. nu. 10. oppositum vt probabilius tenet, cum nostra sententia & probabilior sit, vt ex eius ratione constat, & probatiores habeat patronos, vt Sotum dist. 34. q. vii. art. 4. vtrumque Ledesmam, Ludouicum Lopez, & alios quos ille refert: imò vidi sic practitari, vt successio haberetur.

56 Dico tertio, si vir sit sanæ mentis, & uxor sit amens, licitum erit viro, & petere, & reddere debitum; est contra eundem Sanchez vbi supra, est tamen Theologorum præcedenti conclusione citatorum. Probatur primò quia si ob aliquam rationem copula dicta esset mala, maxime quia esset periculū abortus, atqui ob hoc mala non est; ergo nullo modo mala est. Maior est oppositæ partis principium. Minor probatur, nam copula per se non ordinatur ad abortum, sed ad prolis generationem, & & abortus ad summum per accidens sequitur, ex insaniam alterius, non ex vi copulæ.

Pro-

Probatur secundò, quia licet cõiugibus petere, & reddere debitum etiam si vxor semper foetum mortuũ edat, & hoc nõ ob aliam rationem nisi quia puero melius est esse cum culpa originali, & perpetua diuinæ visionis carentia quam non esse, vt docet D. Thom. 1.2. q.83. art. 1. ad.5. & colligitur ex D. Aug. lib.5. contra Iulianum. Vnde docent Theologi cum D. Thom. loco citato quod eligibilis est esse in rerum natura cum peccato originali, quam omnino non existere, licet si homini daretur optio potius deberet mortem, imò & non esse eligere, quam Deum offendere, tamen postquam peccatum originale iã contractum est, melius est, esse cum illo, quam omnino non esse. Addunt Theologi melius esse, esse in inferno, quã nullo modo esse. Addunt alij, quod si quis esset in mortali, & Deus reuelaret illi quod eligeret quod vellet scilicet vel annihilationem, vel permanere non in mortali sed cum mortali, quia Deus non vult illud dimittere, de-

beret, vel saltem posset eligere hoc secundum, primo relicto; sed ex copula dicta, etiam si per accidens pueri mors sequeretur, antequam ederetur, pueri esse haberetur; ergo melius illi esset sic gigni, quam omnino non esse, ac proinde copula illa non omnino illicita esset.

57 Dico quartò, à fortiori licita erit debiti petitio, & redditio quando uterque, vel alter non omnino insanus est, sed semisatus. Patet ex dictis. Dico quintò contra Sanchez supra nu. 12. licitè posse coniugem debitum reddere alteri ebrio, imò etiam teneri si periculum sit incontinentia. Imò etiã se uterque ebrius sit coniungi possunt. Ratio est quia ex illa ebrietate nullũ sequitur aborsus periculum, cum ebrietas cito transeat, nec proli ex illa ebrietate damnum sequitur, quia cum cito transeat, suo tempore proles ritè educari poterit.

58 Quinta difficultas, an coniuges teneantur cum propriæ salutis detrimento, sibi debitum reddere, vt si alter lepra, vel morbo Gallico infe-

infectus fit? Hanc difficultatem paucis, sed profundis verbis, resoluit D. Tho. 4. dist. 32. q. vn. art. 1. in corporis fine, ubi sic habet: *uxor in viro potestatem non habet nisi quantum ad generatiuam virtutem, non autem quantum ad ea que sunt ad conseruationem indiuidui ordinata, vir tenetur uxori reddere debitum in his, que ad generationem prolis spectant, salua tamen prius persona incolumitate.* Vbi vt vides debet coniux alteri debitum reddere salua propriæ personæ incolumitate, rectus namque, & naturalis matrimonij vsus, rectum sequitur naturæ ordinem, in cuius officium matrimonium institutum est; rectus autem naturæ ordo postulat, quod prius proprii indiuidui consulatur incolumitati, quam prolis generationi. Ob hoc natura semen fabricat prolificum ex superfluo alimenti proprii indiuidui. Et sic non tenetur coniux debitum reddere dum feбри laborat. Non tenetur reddere statim post prandium, quia per defensum spirituum cruditates ge-

nerantur, & ciborum corruptiones. Vnde refert Paludanus dist. 32. q. 1. art. 2. quædam medicum de quodam dixisse, quod in phtisim inciderit, quia post prandium suâ cognoscere solebat uxorem. Neque in balneis, vel paulo post propter eandem rationem, neque quando immoderate petit. Notat Paludanus ubi supra, non teneri uxorem furis, debitum reddere, sed posse aufugere, vt fugiat damnum, quod coniugi furi & sibi prouenire potest. Quod si in his, & similibus casibus, in quibus redditio debiti graue afferret salutis detrimentum, esset in altero incontinentiæ periculû, posset si vellet illud damnum subire, non tamen tenetur. Ob eandem rationem non tenetur coniux sanus debitum reddere alteri morbo aliquo infecto, vt lepra, morbo Gallico, &c. cum infectionis periculo; imò neque cohabitare simul, quando tale, ex cohabitatione, periculum, prudenter timeretur. D. Tho. supra ad 4.

59 Sexta difficultas, an

CON-

coniux ob infectionis periculum possit ab incepta copula desistere, & se retrahere etiam si sequatur ex carnis commotione pollutio extra vas? Respondetur affirmatiuè, dummodo absit consensus periculum; quia tunc coniux operam dat rei licitè, & honestè; quoties autem quis operam dat actioni honestè non peccat etiam si præuideat quod ex illa sequetur pollutio; tunc namque pollutio non est voluta nec in se, nec in sua causa, cum nec teneatur talem causam vitare, nec ob illum finem illam causam assumat. Vnde si coniuges se amplectentes præuideant sequi pollutionem, non ob id tenentur abstinere ab illo coniugali signo. Similiter non tenentur coniuges debiles ab matrimonij vsu abstinere, quando prævident quod ex debilitate aliquid seminis debeat extra vas spargi.

60 Septima difficultas, an coniux teneatur debitum reddere, quando filij multiplicentur, & non est quo alantur? Certum est, quod possunt coniuges, ex mutuo con-

sensu, ne filij multiplicentur, à matrimonij vsu abstinere. Imò etiam potest coniux ob eum finem matrimonij vsu alteri negare, præciso incontinentiæ periculo; sicut enim in alijs debitis persoluendis magna excusat incommoditas, ita & in hoc debito persoluendo. Dubium maius est, de quo alias interrogatus fui, an peccaret vxor reddendo debitum marito, qui vt filios non haberet, tempore seminationis se retrahebat, & extra vas volutariè seminabat? Respondi negatiuè, rationem assignabam, quia vxor non consentiebat illi retractioni, imò sibi displicebat, & rogabat maritum ne illam faceret, & si Deus alios daret filios, daret etiam quo alii, educarique possent, & tamen maritus non acquiescebat. non peccabat ergo vxor illa quia cooperabatur copulæ sibi licitæ, & non cooperabatur extractioni, & seminationi extra vas. Aliud dubium hic apponam, de quo etiam fui interrogatus, an quidam maritus peccaret, qui tempore seminationis, non quidam

dem omnino extra se retrahebat, sed tantum, quod vix intra vas seminabat, quia putabat hoc modo vxorem non concipere, quidam dixerunt illum peccare, quia tunc generatio impediatur, propter quod multi dicunt illos non generare, qui virile nimis breue habeant. Sed hoc nihil est, vt enim supra diximus cum D. Thoma semen non descendit in matricem per descensum, vel per infusionem, vel

proiectionem, sed per attractionem, quae bene esse potest, quando semen intra os vasis recipitur, cum matrix irritata etiã ab eo loco possit semen attrahere; ob idque de quadam foemina dicitur, quod recepto sui mariti semine, facta incubæ, alterius mulieris succubæ confricationibus, illius matricem irritauit, quae attracto viri semine ex matricæ incubæ, concepit.

## Q V A E S T I O VII.

*An matrimonij usus illicitus esse possit ratione dubietatis matrimonij.*

61 **P**rocedit difficultas de matrimonij dubietate, quia in omnium sententia quando, vel vnus, vel vterque coniux est certus de matrimonij nullitate nec petere, nec reddere potest, quantumuis Ecclesia fundata in praesumptione validitatis illius, etiam censuris ad matrimonij usum compelleret, cum nulla lex, nullaque poena, nullaque

creata potestas possit ad fornicandum compellere; nec tunc illa censura valida esset in foro conscientiae, cum in falsa fundaretur praesumptione; poterit tamen ille coniux si absit incontinentiae periculum cum vxore cohabitare tamquam frater, & soror, donec dispensatio obtineatur, quam eo necessitatis casu, quando periculum esset in mora ad

Eccc tollen-

tollendum scandalum, poterit facere Episcopus, vt postea dicitur; vel si dispensatio haberi non possit, poterit (si periculum sit incontinentiæ) in longinquas partes commigrare.

62 Hoc posito, de sola matrimonij dubietate præsens procedit q. pro quo nota primò dubium esse duplex positium, & negatiuum: positium tunc est quãdo vtrinq; sunt rationes probabiles, & tunc, cum in omnium sententia Theologorum, (si Sanchez lib. 2. disp. 44. cum vno vel altero, excipias, qui volût quod quando est opinio probabilis de matrimonij valore non liceat cõiungi sic opinanti petere, quia opinio nõ faueat opinanti, sicut dubium dubitanti cum tamen certius sit magis facere opinionem, quã dubium) vnicuique licitum sit sequi probabilem opinionem, poterit non solum reddere, verum etiam petere. Dubium negatiuum tunc est, quando neutrinque sunt rationes probabiles de matrimonij valore.

63 Nota secundò, quod

quando in materia iustitiæ agitur cuius res aliquas sit, in dubio semper melior est possidentis conditio, vt colligitur ex illa iuris regula, *in pari delicto, aut causa, melior est conditio possidentis.* Reg. 65. de regul. iuris in 6. in dubio autem, vtrinque par est causa. Ratio est, quia in tali casu iudex æquus re cognita in possidentis fauorẽ iudicaret, eo quod nullus in dubio ius habeat spoliandi possessorem suæ rei dominio; vt enim habetur regul. 11. de regul. iuris in 6. *cum partium iura sunt obscura, reo fauendum est potius, quã actori;* atqui possidens reus censetur, & alter actor; ergo &c. Aduertunt autem communiter Theologi, quod in dubio melior sit conditio possidentis non solum in materia iustitiæ, verum etiam in materia cuiuscunque alterius virtutis. Vnde si quis dubitet an votum Deo vouerit, Deus est actor, dubitans est reus, in dubio fauendũ est magis reo quam actori, & melior est conditio possidentis, & reus suam possidet libertatem: & sic in vouentis fauorem, & pro

pro libertate illius iudican-  
dum erit.

64 Ex hac doctrina infer-  
tur quomodo ex propositio-  
ne dubia speculatiua, inferri  
valeat propositio certa pra-  
ctica: dubitat aliquis, an talis  
contractus sit vsurarius, varios  
vertit auctores, & adhuc ma-  
net dubius, poterit practicam  
formare propositionem de  
vtriusque sententiæ probabi-  
litate, & vtramque practicè  
sequi poterit. Quis bona fide  
capit talis rei possessionem,  
incipit dubitare, sufficientem  
adhibet diligentiam pro ve-  
ritate comparanda, post dili-  
gentiam adhuc dubius ma-  
net; formare poterit propo-  
sitionem certam practicè sci-  
licet, hanc rem licitè possum  
possidere. Ex quibus colliges  
illius regulæ sensum, *in dubijs  
melior est conditio possidentis*,  
quod scilicet non solū proce-  
dat de dubio speculatiuo, sed  
de practico, quādo scilicet du-  
bitans dubitat practicè, an res  
hic, & nunc sit sua, an hic &  
nunc possit illam possidere;  
an hic, & nunc possit ad hanc  
ut suā accedere; an hæc mu-  
lier hic, & nunc sit sua, &c.

65 Aduerte etiam, quod  
ille qui dubitat, an res quam  
alter bona fide possidet, sit  
sua, nō potest nec totam, nec  
partem surripere, cum enim  
tunc dubitans non possideat,  
possessio sibi non fauet, sed  
possidenti. Quando autem  
neuter rem possidet, & de  
illa re cuius sit litigatur, vo-  
lunt aliqui posse iudicem suo  
vti arbitrio, & rem cui ma-  
luerit adiudicare, alij volunt  
diuidi debere, sed de hoc suo  
loco.

66 His notatis ad rem no-  
stram accedendo. Conue-  
niunt omnes, quod dubitans  
de valore matrimonij, siue  
bona, siue mala fide contra-  
xit, debeat diligentem adhi-  
bere operā, vt veritatem co-  
gnoscat. Ratio est, quia iste  
tenetur omnia vitare mala,  
& pericula, quæ ex matrimo-  
nio nullo sequi possunt, quia  
fortè contingere potest quod  
matrimonium sit nullum; &  
sic si diligentiam non adhi-  
beat censetur mala fide ma-  
trimonio vti, ac proinde pec-  
care. Conueniunt etiā Theo-  
logi, quod si alter coniux de  
matrimonij valore nihil du-  
bitet,



bitet, possit debitum petere, & alter teneatur reddere; Ratio est, quia nihil de matrimonij valore dubitans, est possessor bonæ fidei, ac proinde verum ius habet petendi, & ut alter sibi debitum reddat, nec alterius dubietas verum ius non dubitatis elidit, sed in suo robore relinquit.

Solum difficultas est, an qui mala fide contraxit, scilicet cum dubio de matrimonij valore, possit non solum reddere alteri non dubitanti, verum etiam petere, si post sufficientem diligentiam adhibitam adhuc dubius maneat? Prima sententia negat, quam sequitur Rebel. par. 2. lib. 2. q. 16. sect. 2. nu. 11. Gutierrez. de *matrim.* cap. 38. nu. 28. & alij. Ratio horum est, quia canones absolute discernunt, debitum non esse petendum cum dubio, absque vlla distinctione diligentiae antea, vel post adhibitae, ubi autem iura non distinguunt,

nec nos distinguere debemus.

67 Nostra sententia sequenti explicatur cōclusionē. *Qui mala fide contraxit si postea sufficientem adhibeat diligentiam pro veritate comparanda, & adhuc dubius maneat poterit licite debitū petere, & reddere.* Idem dic si dubium superari non possit. Est communis Theologorum sententia. Ratio est, quia durum nimis videtur coniugē ad perpetuā obligari cōtinētia, ex eo quod mala fide contraxit, cum per subsequentem diligentiam, malam fidem antecedentem, sufficienter purgare censeatur. Nec iura contrarium docent, cum solum velint, quod stante mala fide, & illa non deposita, coniux petere non possit, bene autem quando deposita est; sicut enim ille, qui aliquem cōtractum fecit mala fide, putans esse vsurarium, si postea comperiat talem non esse, non est priuandus lucro acquisito, ita, &c.

Q V A E S T I O VIII.

*An cognatio spiritualis matrimonio superueniens, eius usum impediatur.*

68 **P**otest spiritualis cognatio matrimonio contracto superuenire si communem alter coniux baptizet prolem; si alter coniux, alterius filiū baptizet ex alio matrimonio habitum, aut dū baptizatur eum teneat, idem dic de Confirmatione; quia tamen res frequenter est in baptismo, de sola baptismali cognatione hic loqui solent Theologi. Pro quo aduerte, quod hæc spiritualis cognatio & cum culpa, & sine culpa contrahi potest; cum culpa vt cum quis extra necessitatis casum, suum baptizat filium, hoc enim omnino, & grauius prohibetur tota ferè causa 30. q. 1. Sine culpa, vt cum quis suum baptizat filiū in necessitatis casu, quia alias sine baptismo esset moriturus. Hoc posito: conueniunt communiter Theologi, quod quando spiritualis cognatio,

sine vlla culpa contracta est, matrimonij usum minimè impediatur. Conueniunt etiam, quod quando cognatio induta est, solum per culpam vnius, non debeant coniuges separari, nec innocens iure petendi priuari, sed nocens innocenti petenti, debitum reddere teneatur. Solum difficultas est, an qui scienter & culpabiliter dictam contraxit cognationem, priuetur iure petendi.

69 Prima sententia negat. Hanc sequi videtur Suarez tom. 3. de sacram. q. 67. art. 8. §. penult. Durandus in 4. dist. 42. q. 1. art. 3. & alij quos refert & sequitur Coninchus disp. 34. dub. 8. num. 66. vbi habet: *Sed saepe mecum miratus sum, quomodo viri doctissimi potuerint sibi persuadere eas consequentias esse bonas, ac tã grauem, & exorbitantem poenam, & quæ vix ulli potest iniungi*

inungi sine graui salutis periculo, & potuerint ex illis iuribus inferre per consequentias adeo incertas &c. Sed parum modestè, seu minus reuenter loquitur Coninchus de summis Theologorum magistris, qui melius antiqua penetrauerunt iura, quam ipse: audiat Coninchus D. Thomã communem Theologiæ magistrum, qui in 4. dist. 42. q. 1. art. 1 in corpore sic loquitur: *distingendum est de spirituali cognatione, quia aut præcessit matrimonium, aut sequitur. Si præcessit, impedit contrahendum, & dirimit contractum: si sequitur, tunc non dirimit vinculum matrimonij; sed quantum ad actum matrimonij est distinguendum, quia aut spiritualis cognatio inducitur causa necessitatis, sicut cū pater baptizat puerum in articulo mortis, & tunc non impedit actum matrimonij ex neutra parte; aut inducitur extra casum necessitatis, & tunc ille ex cuius actu inducitur diligentiam adhibuit, & est eadē ratio sicut & de primo, aut ex industria extra casum necessitatis, & tunc ille ex cuius actu inducitur*

*amittit ius petendi debitum, sed tamen debet reddere, quia ex culpa eius non debet alter aliquid incommodum reportare.* D. Thomam sequuntur D. Bonau. Ricard. Palud. Gab. ibidem, & ceteri scholastici ibidem, & innumeri alij quos refert, & sequitur Sanchez loco citato nu. 7. Nec verum est quod Suarez à Conincho citatus illam teneat sententiam, sed solum dicit nullo iure probari (quod falsum est, vt modo ostendam) & non esse à contraria sententiã, quæ communis est, recedendum. Et ista est nostri sæculi miseria, vnus incipit dicere aliquã sententiam nullo iuri aduersari; alter addit nõ videri improbabilem; alter subdit esse absolutè probabilem; & tandem alter docet esse communem, & omnino certam. Sed quidquid de hoc sit. Probatur primò, quod scienter extra necessitatis casum baptizans, vel suscipiens, iure petèdi priuetur. Nam cap. *si vir*, de cognatione spirit. deciditur, quod si alteruter coniux de sacro fonte filium suum susceperit, siue ignoranter, siue ex

ue ex malitia, non debet alter innocens iure petendi priuari; deinde sequentia adduntur verba: *Quia si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur, si ex malitia eius sua fraus patrocinari non debet.* Vbi ut vides & notat Abb. & ceteri expositores ibidem, idem est quod tunc temporis sua fraus patrocinari non debeat, ac dicere quod priuari debeat ille qui sic fecit, iure petendi, alioqui sua fraus sibi patrocigaretur, & ita hunc textum, ut bene notat Sanchez, vniuersi iuris periti, & vniuersi Theologi ita intellexerunt, ac proinde sine alicuius temeritatis nota non est ab eo recedendum. Idem deducunt Theologi ex cap. *Nosce*, 30. q. 1. & ex cap. *ad limina*, & ex alijs iuribus, quæ licet correctæ sint quatenus dicebant tunc temporis esse coniuges separandos, quando de cõmuni consensu extra necessitatis casum proprium baptizabant filiũ, non tamen correcti sunt quãtum

ad separationẽ iuris petendi.

70 Probatum secũdò, quia licet nullus daretur textus ex quo hæc pœna colligeretur, adhuc neganda non esset, supposito vnanimi iuristarũ, Canonistarum, & Theologorum consensu; nam plura sũt, quæ nullo textu inducta reperiuntur, & tamen ab omnibus tenentur, & esset piaculum grande discedere. Nã impedimentum disparitatis cultus, matrimonium dirimit, & tamen nullo textu inductũ videtur, ut supra de hoc impedimento diximus, cum sic à fidelibus inductum sciente, & tacitè approbante Ecclesia, ut eo loco stabiliuimus, vbi etiam aduertimus quod Diui Aug. tempore hoc impedimentum nondum adhuc erat inductum, cum eius pater gentilis fuerit. An autem huius pœnæ ignorantia excuset ab illa contrahenda, quæst. sequenti dicetur, est enim huius, & affinitatis, matrimonio superuenientis, ratio eadem.

## Q V A E S T I O IX.

An affinitas matrimonio superueniens, eius  
 usum impediatur, ubi alia notatu di-  
 gna resoluntur:

71 **Q**uidā dixerunt Ec-  
 clesiae praeceptum  
 prohibens incestuosum à de-  
 biti petitione, esse vsu subla-  
 tum. Sed falsum est, cum vi-  
 deamus quotidie peti dispē-  
 sationes ab incestuosis pro  
 debiti petitione. Dicendum  
 ergo est, *incestuosum iure pe-*  
*tendi debitum priuari, etiamsi*  
*incestus secretus sit; Ecclesia*  
*namque non distinguit de secre-*  
*to, vel occulto, sicut non distin-*  
*guit de cognatione spirituali.*  
 Hæc conclusio est omnino  
 certa, & expressè habetur  
 cap. 1. de eo qui cognouit con-  
 sanguineam; & cap. discretio-  
 nem, eodem tit. & cap. penult.  
 & cap. fin. eodem tit. vbi Ca-  
 nonistæ: & magister dist. 37.  
 vbi scholastici omnes. Am-  
 pliatur conclusio vt eodem  
 iure petendi priuetur coniux,  
 qui minimè per copulam à se  
 habitam affinitatem contra-

xit, consensit tamen, vt al-  
 ter cōtraheret, nam agentes,  
 & consentientes pari poena  
 puniuntur. Syluest. v. *Luxuria.*  
*Armilla v. debitum*, & alij cō-  
 muniter; sicut enim in cogna-  
 tione spirituali iure petendi  
 priuatur non solū pater bap-  
 tizans, verum etiam mater  
 consentiens, ita & in hoc ca-  
 su. Limitatur primò, vt hoc  
 impedimentum petendi de-  
 bitum non contrahatur à cō-  
 iuge incestuâte cum proprijs  
 consanguineis: vt si coniux  
 cognoscat propriam matrem,  
 sororem &c. Ratio est, quia  
 licet hoc crimen sit maximū  
 ex eo tamen affinitatis vincu-  
 lum non nascitur cum altero  
 coniuge, sed solum quando  
 consanguineus coniugis co-  
 gnoscitur; ergo cum hoc im-  
 pedimentum oriatur solum  
 ratione affinitatis contractæ  
 cum coniuge, non oriatur ex  
 in-

incestu' cum proprijs consanguineis, ita Caietanus 2. 2. q. 154. art. 9. Limitatur secundo, vt hoc impedimentum non oriatur si coniux cognoscat alterius coniugis affines. Ratio est, quia copula cum affinis vxoris non est proprie incestus, nec ex illa affinitas oritur cum altero coniuge, vt ex se liquet. Limitatur tertio, vt hoc impedimentum non oriatur ex copula habita cum illa foemina cum qua quis contraxit publice honestatis impedimentum; quia licet haec copula aliquo modo incestuosa sit, tamen textus non loquuntur de quocunque incestu, sed solum de illo qui habetur cum consanguineis alterius coniugis: vt tamen hoc impedimentum plenè percipiatur aliquas proponamus difficultates.

72 Prima difficultas est, ad quatum gradum hoc impedimentum extendatur? Respondetur quod licet iure antiquo vsque ad quartum gradum hoc impedimentum extenderetur, quia ad eundem gradum impedimentum dirimens extendebatur: tamen

iure nouo Tridentini sess. 24. cap. 4. cum hoc impedimentum solum ad secundum gradum inclusiuè extendatur, etiam impedimentum petendi debitum ad eundem gradum extendetur; & ita sacra declarauit Congregatio, cuius verba refert Sâchez lib. 9. disp. 28. nu. 14.

73 Secunda difficultas, an si vterque coniux affinitatem contrahat per commixtionem cum consanguineis alterius, vterque iure petendi priuetur? Prima sententia negat, eo quod putet tunc mutuam fieri compensationem; sicuti quando vterque coniux adulteratur, iuxta caput penult. & finale, de adulter. Ita Vincet. & Goffred. cap. *secus*, de cognat spirit. Ioannes de Frigurbo summa confess. lib. 4. q. 2. Bassolis dist. 42. quest. vn. art. 3. Secunda sententia vtrior, & comunior affirmat, & deducitur clarè ex cap. *nosce*, 30. q. 1. vbi Glos. & Canonista ibidem. Syl. v. *matrim.* 8. q. 7. Rosella v. *impedim.* impedimento 6. nu. 6. & moderni omnes hoc loco. Ratio est, quia coniux incestuosus, mo-

do dicto, à iure, petendi iure priuatur; ergo si vterq; incestuosus sit, vterq; eodem iure priuabitur. Maior difficultas est, an tunc temporis alter debitum reddere teneatur, si non obstante tali impedimento petatur? Respõdetur quod si vterque coniux talem contraxit affinitatem animo defraudandi debitum, reddere teneatur cap. *scut*, citato, quia malitia non debet malitioso patrocinari; si autem illa affinitas eo animo contracta non fit, reddere non tenetur, cum neuter ius habeat petendi. Sanchez lib. 9. disp. 28. nu. 5. & 6. post alios, quos ibi refert.

74 Tertia difficultas, an affinitas, & idem dic de cognatione spiritali, contracta post matrimonium ratum, sed ante consummatum, priuet iure reddendi? Est prima aliquorum sententia, vt Palud. in 4. dist. 27. q. 1. art. 3. Maioris dist. 41. q. 1. Syluest. vbi supra, quod coniux qui dictam contraxit affinitatem teneatur religionem ingredi, nec possit matrimonium cõsumare reddendo, & quod prima vice

peccet matrimonium consummando, quia tunc dat alteri ius petendi, tali non obstante affinitate. Sed communis sententia negat teneri talem ingredi religionem, sed posse etiam intra bimestre, si animus non habeat religionis ingrediendæ, matrimonium consummare reddendo. Angelus v. *matrim.* 3. impedim. 15. Petrus Ledesma de *matrim.* q. 55. art. 6. & neoterici omnes hoc loco. Ratio est, quia per talem affinitatē post matrimonium ratum contractā, coniux innocens suo iure nõ priuatur, vt dicitur cap. *discr.* tionem, & cap. *penult.* de eo qui cognouit cõsanguineam; ergo coniux innocens iure petere poterit, & alter reddere tenebitur, bimestre transacto: Non enim iura hoc impedimentum statuentia distinguunt de matrimonio rato, vel consummato, sed absolute loquuntur, ac proinde quoties innocens petere debitum potest, alter reddere tenebitur, nec tenetur religionem ingredi, vt non reddat.

75 Quarta difficultas, an ad hoc vt incestuosus dictus, iure

iure petendi priuatur iudicis sententia requiratur saltem criminis declaratoria, an vero tali iure priuatur incestuosus ante quamquæ iudicis sententiam, etiam criminis declaratoriam? Alicui respondendum videbitur requiri saltem criminis declarationem. Primò quia cum hoc impedimentum sit inductum in criminis pœnam, debet aliarum pœnarum naturam, conditionemq; retinere; atqui pœnæ natura, conditioq; est, quod iudicis sententiâ, saltem criminis declaratoria interueniat vt incurratur; ergo &c. Ob hoc Sanchez sum. tom. 2. lib. 6. cap. 17. num. 39. post alios, docet quod pœnæ priuationis officiorum, & inhabilitatis ad illa in Bulla Pij V. contra fœminas introducetes in monasterium, nõ incurrantur absque iudicis sententia. Idem aduertit Sousa de pœnis contentis in Bulla Clemēt. VIII. De largitione munerum, *in explicat. illius*, num. 102. Idē dicit Suarez de Relig. tom. 4. lib. 1. c. 17. num. 10. post alios de pœnis contentis in Bulla Gregorij XIII. con-

tra prælatos monialium monasteria ingredientes. Et Henriquez lib. 13. c. 56. num. 41. Graffius in decis. par. 1. lib. 2. c. 11. num. 41. & alij idem dicunt de pœnis contentis in Bulla Pauli II. in extrauag. *Ambit.* de rebus Ecclesiæ non alienandis, contra alienantes non seruata illius constitutionis forma. Item Clericus non incurrit pœnas in Pij V. Bulla contentas contra clericos sodomitas ante iudicis sententiam, Sayrus de censuris lib. 7. c. 12. num. 24. & alij communiter. Item clerici non deferentes habitum non incurunt pœnas ante iudicis sententiam in Bulla Sixti Quinti contentas contra Clericos non deferentes habitum. Molfes. in sum. tom. 1. tract. 9. cap. 9. num. 35. Item beneficiarius potest beneficium retinere, donec delictum declaretur, propter quod ipso facto beneficio priuatus est, nisi lex expresse dicat beneficium in consciëntia statim esse relinquendum, quia tunc lex obseruari debet, quæ conditio in nostro casu non habetur. Azorius



1. p. lib. 5. c. 7. q. 6. & alij. Item religiosus incidens in aliquē casum absolutionis, seu priuationis Prioratus v.g. officij, vocis actiuæ, & passiuæ, etiā si palam de crimine constet, non tenetur dictam pœnam subire donec per superiorem declaretur, ac proinde in cōscientia poterit licitè, & valide Prioratum retinere, nec licebit subditis eum expellere è gubernatione, nisi per superiorem talis declaretur incurso; item poterit Prior ille in capitulis si voce actiuæ, vel passiuæ priuetur, & suffragium ferre, & eligi, donec dictæ pœne incurso declaretur. Tandem vt infinita omittam exempla, contrauenientes legibus ponentibus taxam tritico, non tenentur pœnas subire nisi post iudicis declarationem; tenentur quidem restituere prætij excessum, non tamen pœnam textatam, & sic de alijs legibus pœnabilibus. Per quæ patet vanum esse aliquorū effugium, dum dicunt, quod licet pœnæ inpositiuo cōsistentes nō incurrantur, nisi post iudicis sententiam, quia ad sui execu-

tionem nostra indigent actione, non tamen quæ in pura consistunt priuatione, quia istæ nulla nostra indigēt actione, ac proinde ipso facto incuruntur. Nam vt patet ex dictis, inhabilitas ad beneficia, officia, &c. & priuatio vocis actiuæ, & passiuæ in pura priuatione consistunt, & nulla nostra indigent actione vt executioni mādentur, & tamen, vt dictum est, & bene docet Soto, Castro, & alij apud Sanchez lib. 9. disput. 30. sine sententia non incuruntur. Similiter vt quis fame moriatur nulla requiritur actio, & tamen illa pœna sine iudicis sententia non incurritur; ergo similiter, licet priuatio iuris petendi sit pœna purè priuatiua non incurretur sine iudicis sententia. Adde primò, quod vsu, & consuetudine receptū est, quod nullus se priuet re antea obtenta, nisi per iudicis sententiam saltem criminis declaratiuam; atqui coniux ante incestum habet ius petendi debitum, ergo non priuabitur illo per incestum, nisi data iudicis sententia. Adde

de secundo, quod si illa lex obligaret ante iudicis sententiam, nimis dura videretur, cum cogeret coniugem ad continentiam, dum simul cum propria habitat coniuge cum peccandi mortaliter periculo &c.

76 Sed dices si vera esset ista doctrina grauissima sequerentur absurda, sequeretur namque quod nullus excommunicationem incurreret ante iudicis sententiam, cum certissimum sit excommunicationem esse poenam Ecclesiasticam; sequeretur quod nullus suspensionem ipso iure incurreret, neque interdictum, neque irregularitatem, quæ poena est, ut est illa quæ ex homicidio contrahitur voluntario, & quæ incurritur ab administrante sacramenta, vel actum ordinis exercente, dum censura ligatur Ecclesiastica. Aliqui respondent negando sequelam, & rationem assignant, quia censura non est poena priuatiua proprijs priuans bonis, sed priuans bonis Ecclesiæ communibus, ut communibus Ecclesiæ suffragijs, quo-

rum Ecclesia est dispensatrix, & quibus Ecclesia potest suos subditos quoties vult priuare. Sed hanc responsionem bene impugnant Corduba, & Bannes apud Sanchez supra, quia ad summum illa responsio locum haberet in excommunicatione, qua homo communibus Ecclesiæ bonis priuatur, nempe suffragijs, non sic in irregularitate, in suspensione, ut patet. Tum quia etiã in excommunicatione homo priuatur bonis proprijs, ut cum sacerdos priuatur iure celebrandi, & sacramenta alijs administrandi, & laici priuantur sacramentis, &c. quæ certè propria sunt hominum bona, non propria, & communia Ecclesiæ, &c.

77 His minimè obstantibus dico incestuosum ipso facto absque vlla iudicis sententia, iure petendi priuari, sicuti & Ecclesiasticæ censuræ ipso facto, quando sic fulminantur, incurruntur. Huius sententiæ fundamentum aliud non est, nisi communis Ecclesiæ vsus, & intellectus, ut bene tradit Sanchez loco citato, qui sic acceptauit has poe-

nas, sic intellexit, sic Ecclesia exigit, non in alijs dictis.

78 Quinta difficultas, an affinitas vi, vel metu contracta, debiti impediatur petitionem? sit casus vxor Titij vi, vel metu graui cognita fuit à consanguineo mariti in gradu prohibito, an talis vxor per illam copulam vi extortam priuetur iure petèdi? Affirmat Sanchez disp. 3 1. nu. 4. Sed oppositū est verius quod docet Nauar. summa cap. 27. nu. 63. & cap. *ita quorundam*, de Iudæis not. 11. nu. 18. vbi docet Christianos in Turcarum triremibus remigantes, bello aduersus Christianos indictis, metu mortis, ac tormentorum coactos, peccare mortaliter, at non incurrere excommunicationem eo cap. latam contra opem infidelibus in simili bello ferentes. Ratio est, quia non est credibile piam matrem Ecclesiam velle pœnis suis eos multare, qui graui metu compulsi, suis non obtreperant legibus.

79 Sexta difficultas, an ignorantia iuris, vel facti excuset ab huius pœnæ incurfione? quis ignorat ius prohi-

bens accessum ad consanguineam coniugis, & ad illam cum tali ignorantia accedit, an priuetur iure petèdi? quis scit ius prohibens talem accessum, ignorat tamen hanc ad quam accedit esse consanguineam suæ vxoris, an iste petendi iure priuetur? Est hæc difficultas generalis ad omnes pœnas; & varijs relictis sententijs quas in tractatu de césuris examinabimus. Noto primo, quod ignorantia etiam crassa, & supina, nisi sit ingens temeritas excusat à pœna imposita faciēti aliquid scienter. Ratio est, quia qui facit aliquid per ignorantiam quamcunque, scienter non facit, etiam si talis ignorantia latam contineat culpam. Noto secundo, idem dicendum esse quando lex, vel præceptum pœnam imponit præsumenti aliquid facere, ratio est, quia presumere, dolum, & temeritatem importat, dolus autem, & temeritas non reperiuntur in faciente aliquid per ignorantiam siue iuris, siue facti, quantumuis culpabilis sit, seu lata, & crassa.

Ita

Ita M. Cariel post alios 1.2. q.76.art.4. dub.4. Pontius de matrimonio, lib. 10. c. 6. nu. 10. & alij communiter. Noto tertio cum Bonac. de cens. disp. 1. q. 1. punc. 8. nu. 11. contra Suarez, hanc doctrinam procedere in casibus dictis, non solum quando quis operatur cum ignorantia crassa, sed etiam cum ignorantia affectata, quando verba legis, vel præcepti sunt, *qui scienter hoc, vel illud fecerit, vel præsumpserit*. Ratio est, quia ignorantia etiam affectata nõ est scientia, nec præsumptio. Noto quarto cū Barbo. collect. tom. 3. lib. 1. sext. decret. tit. 2. cap. 2. nu. 7. contra Suarez, non esse idem ignorantia crassa, supina, & vincibilis, nam ignorantia vincibilis solum culpam latam affert, at vero ignorantia crassa, & supina culpam afferunt latissimam, quæ dolo æquiparatur; unde patet non esse bonam Suarez regulam, quod quoties ignorantia non excusat à culpa neque excuset à censura, & à qualibet alia pœna, nam vt patet, ignorantia vincibilis legis, vel pœ-

næ, imo etiam affectata, & crassa in casibus dictis non excusant à culpa, & tamen excusant à pœna. His suppositis, difficultas est, an quando in lege, vel statuto non ponitur præsumptio, nec scientia, sed absolutè, facienti talem, vel talè rem, censura, vel quæuis alia pœna imponitur, an qui tunc ignorantia laborat vincibili, talem pœnam contrahat? Respondetur negatiuè: unde ad contrahendam pœnam non sufficit scire decretum prohibens, sed rursus requiritur, quod pœna ipsa sciatur, & sic ignorantia vincibilis, licet tunc temporis non excuset à culpa, excusabit tamen a pœna, siue illa pena fit excommunicatio, siue irregularitas ex delicto, siue quæuis alia pœna; siue statutum sit vniuersale, siue particulare. Ita Sanchez hic disp. 32. & infra, post alios multos quos refert; sic Diana p. 3. trac. 5. Miscell. resol. 13. vbi alios refert. Et hoc maximè verum habet in excommunicatione, ad quam incurrendam requiritur contumacia, vt suo loco dicitur.

80 Modo respondendo directè ad difficultatem propositam, dico non solum ignorantiam vincibilem excusare ab illa poena contrahenda, verum etiam ignorantiam crassam, & supinam, nisi adsit ingens temeritas. Ratio est, quia in iure ad hanc poenam contrahendam requiritur scientia, atqui nulla ignorantia est scientia; ergo. Audiatur lector verba legis, c. namque 1. de eo qui consanguineam cognouit sic dicitur: *Si quis scienter cum filia sua fornicatus fuerit; nec à matre debitum petere, nec filiam unquam habere potest uxorem.*

81 Septima difficultas, an coniux, qui ob incestum cum consanguinea suæ vxoris est priuatus iure petendi, possit aliquando sine dispensatione debitum petere, ad euitandum proximum peccandi periculum? eadem difficultas currit quando quis debitum petere non potest ob votum castitatis, vel ob adulterium? Affirmat Quintana tom. 1. tract. 9. singul. 12. Sed mihi distinguendum videtur, nam

si loquamur de illo qui iure petendi priuatur ratione voti castitatis, petere non potest, quantumuis grauissimis vrgeatur tentationibus, sed debent tunc alijs modis tentationes superare, vt ieiunijs, macerationibus, orationibus, &c. per votum nâque ad hoc se obligauit, alioqui quilibet castitatis voto adstrictus posset vxorem ducere, vt illo modo tentationes posset superare. Si vero loquamur de impedito lege Ecclesiastica inducto, admitti potest. Ratio est, quia leges, & præcepta humana debent esse humanæ fragilitati accommodata, nec debent esse vinculum iniquitatis, esset autem hæc lex inhumana si debiti impediret petitionem cum grauissimæ iniquitatis periculo. Tum quia, vt omnes tradunt, coniux impeditus debitum petere, potest id facere ad impediendum incontinentiæ periculum in alio; ergo à fortiori petere poterit ad impediendum periculum incontinentiæ in se ipso. Vnde in oppidis vbi non sunt Regulares, vel alij, qui pos-

sine

sint in hoc impedimento dispensare, & aliunde periculum est in mora, petere poterit sic impeditus; sicut etiam si no-

ete in tali sit periculo, ut ex se clarum videtur, cauendum tamen est, ne periculum fingatur.

## Q V A E S T I O X.

*An votum castitatis emissum ante matrimonium contractum, vel post contractum, sed ante illius consummationem, vnum impediatur matrimonij, ubi alia.*

82 **P**otuit castitatis votū emitti, vel ab utroque coniuge, vel ab altero tantum. Conueniunt Theologi primò, quod qui post castitatis votum matrimoniū contrahunt antequam de voto habeant dispensationem, grauius peccent, præsertim si animum consumandi habeant, ante dispensationem obtentam. Ratio clara est, quia tale matrimoniū, emissio voto repugnat. Vnde qui sic matrimonium cōtrahunt castitatem Deo promissam seruare tenentur, cum per matrimonium, votum Deo non-

cupatum non extinguatur, & sic nunquam debitum petere possunt nec etiam secundum multos reddere, bimestre nōdum elapso, licet etiam probabile valde sit teneri reddere, nisi de religione cogitens ingredienda, de quo supra. Conueniunt secundò quod qui absolutam vouit castitatem, siue ante initum matrimonium, siue ante ipsius consummationem, si postea peccando, vel non peccando cōsumet, teneatur coniugi petenti debitum reddere. Huius ratio est, quia posita matrimonij consummatione alter

ius habet petendi; ergo alter reddere tenebitur; bene verum est, quod si postea vxor moriatur, tenebitur, qui sic castitatem vouerat ad cōtineatiam seruandam, & ad non amplius matrimonium incundum. Similiter tenetur, qui sic vouit, castitatem seruare altero consentiente, vel adulterante, quia per cōsensum iure petendi renunciauit, & per adulterium amisit. Si vero vterque votum habebat siue ante matrimonium initum, siue post, sed ante consumationem neuter nec petere, nec reddere potest, cum neuter ius petendi habeat. Difficultas solum est, an qui sic vouit castitatē teneatur religionem ingredi, vt possit votum, quod fecit seruare.

Prima sententia valde probabilis est, quod ille talis teneatur religionem intrare vt castitatem seruet. Ita doctor subtilis dist. 38. q. 1. sub finem. Rosella v. impedimentum, impedimento 4. nu. 10. Armilla v. matrim. nu. 5. Syl. eodem v. 7. q. 5. dicto 2. Nauar. c. 22. nu. 73. & alij plures. Secun-

da sententia docet, quod qui cum castitatis voto matrimonium iniuit non teneatur religionem ingredi, sed possit illud consumare reddendo debitum, non petendo. Ita Sotus dist. 38. q. 2. art. 1. Sanchez disp. 34. & alij plures tum ex antiquis, tum ex modernis Theologis, vnde hæc sententia est etiam valde probabilis, & tuta in praxi.

83 Nostra sententia sequenti explicatur conclusiōne. *Qui modo dicto matrimonium contraxit, scilicet post castitatis votum, vel post matrimonium contractum sed ante illius consumationem, non tenetur religionem intrare vt votum seruet, sed potest in seculo manere, dummodo seruet votum, nec potest matrimonium consummare, presertim si alter quando contraxit erat conscius voti.* Hæc conclusio expressè docetur à D. Thoma 4. dist. 38. q. 1. a. 3. quæst. 2. ad 3. vbi sic habet: *Ille qui contraxit matrimonium per verba de presenti, post votum simplex, non potest uxorem cognoscere carnaliter sine peccato mortali, quia adhuc restat*

stat sibi facultas implendi continentie votum, ante matrimonium consummatum. Sed postquam matrimonium consummatum est, est sibi factum illicitum non reddere debitum uxori petenti, tamen ex culpa sua, & ideo ad hoc obligatio voti non se extendit. Vbi ut vides, vult quidem D. Thomas, quod ille qui ante matrimonium castitatem vouit, non possit sine peccato mortali illud consummare nec debitum petendo, nec reddendo, quia adhuc alter non acquisiuit ius petendi, cum hoc per solam acquiratur matrimonij consummationem, non tamen D. Thomas vult, quod iste religionem ingredi teneatur. Vult tamen quod si iste qui sic vouit matrimonium consummet, siue petendo, siue reddendo, cum alter tunc completum acquisiuerit ius in corpus vouentis per talem consummationem, quæ est perfecta corporis traditio, teneatur postea debitum reddere petenti. Quod explicans in solutione ad 4. sic habet: *Hoc tamen intelligendum est siue mulier petat expressè, siue in-*

*terpratiuè, ut quando mulier verecunda est, & vir sentit eius voluntatem de positione debiti, tunc enim sine peccato reddere potest & præcipue sibi timet de periculo castitatis. Quæ Angelica verba debent benè in mentis armariolo custodiri, quia pro praxi valde necessaria sunt.*

84 Probatur primò conclusio, quia qui ante matrimonium votum castitatis emisit, illud seruare tenebitur; ergo etiam post matrimonium contractum. Antecedens clarum est. Consequentia probatur, quia per matrimonium non est extincta voti obligatio, alioqui nulla requireretur dispensatio; ergo adhuc durat; ergo non poterit nec debitum exigere, nec reddere; quoquo namque modo debitum reddatur, castitatis votum violatur. Respondent, quod per matrimonium extinguitur votum quoad obligationem reddendi, licet non extinguatur quoad rationem petendi, vnde qui debitum petit voto castitatis adstrictus, votum violat, non qui reddit. Sed desiderarè quod



Sanchez, & alij qui eius sequuntur sententiam ostenderent mihi aliquem textum in quo votum illud castitatis relaxetur quoad debiti redditionem, cum & hæc sit contra votum castitatis nōcupatum, & per illam per se violetur; alioqui voto castitatis adstrictus ante matrimonium, solum peccaret contra votum fornicando, quando ipse fornicari peteret, secus si ab alio petatur. Forte recurrent ad matrimonij naturam, quæ talis est, vt transferat ius in alterum petendi; nam contra est, quia nullus potest in alterum ius transferre quod nō habet; Atqui voto ligatus castitatis non habet ad illud frangendum, vllum ius; ergo non potest illud in alteram transferre. Tum quia ius proximum petendi, & reddendi non transfertur, nisi per copulam, seu per matrimonij consumationem, siue hæc licitè, siue, illicitè, fiat; ergo ante illam per matrimonium solum ius radicale ad copulam transfertur, non proximum & expeditum, cum per votum, ligatum, impedi-

tum que sit. Confirmatur hæc ratio, quia proprium scelus nulli debet patrocinari; sed habens castitatis votum ducens vxorem, magnum scelus committit; ergo non debet illi hoc scelus patrocinari, patrocina-retur autem si quis ante matrimonium, castitatem seruare tenebatur, post illud vero non, cum possit contra illam facere, debitum reddendo.

85 Probat 2. quia quicumque aliquam ré serio, ex animoque vult, omnia velle censetur, quæ scit esse necessaria ad eiusdem rei consequutionem; ergo quicumque vouit castitatem, velle censetur ea omnia, quæ scit esse necessaria ad illius obseruationem; sed inter hæc, est non petere, & non reddere debitum; ergo vtrunque voluit ille qui absolutam vouit castitatem, ac proinde nec petere, nec reddere poterit. Soluuntur vtriusque sententiæ cōtrariæ fundamenta.

86 Obijcies primò pro prima sententia, quia qui vouit castitatem ante matrimonium, vel ante eius consumationem

ad

ad illud votum obseruandum tenetur; sed hæc obseruantia in matrimoniali statu poni non potest; ergo tenebitur ad religionis ingressum, vt tale votum custodiat, nam si in matrimonio manet, vel debet illud consummare, vel non, si consumat peccat, quia contra votum facit; si non consumat iniuriam irrogat alteri, cum cogat illum perpetuam, contra eius voluntatem, obseruare continentiam? Respondetur nullum cogi debere ad religionem ingrediendam, cum religionis ingressus sit voluntatis, non necessitatis. Vnde duplici remedio iuuari poterit ille, qui cū tali voto contraxit, si religionem ingredi nolit. Primum, vt petat voti dispensationem, vel relaxationem quoad id quod est petere, & reddere, vel absolutè, vel eo matrimonio durante. Secundum, quod conueniat cum altero coniuge, quod perpetuam vnanimi consensu seruent cōtinentiam, vel sine voto illius vel quod melius, & tutius erit, cum voto.

87 Objicies secundò, pro

secunda sententia; quia Ioan. XXII. in Extrauag. *Antiquæ concertationi*, iubet quendam, qui sine vxoris venia, sacrum suscepit Ordinem, post matrimonium contractum, sed ante consumationem, vel ingredi religionem, vel quod compellatur matrimonium consummare; sed si non liceret sic voto adstricto matrimonium consummare reddendo debitum, ab Ecclesia ad id compelli non posset; ergo. Verba illius Pontificis sunt ista. *ad ingressum huiusmodi sic ordinatum, si matrimonium consummatum non fuerit, per diacosanum instanter precipimus induci. Quod si renueris, ipsum si sponsa eius institerit per censuram Ecclesiasticam compellendum decernimus, contractum matrimonium consummare?* Respondetur quod eo ipso, quod Pontifex, voto castitatis adstrictum si nolit religionem ingredi, compellit ad matrimonium consummandum, censetur in tali voto pro eo effectu dispensare, & sic dispensatum compellere. Qui enim finem præcipit, censetur omnia concedere,

dere; quæ ad talis finis consecutionem sunt necessaria; quod maximè verū est quando præcipiens nouit impedimentum, & in eo dispensare potest; propterea aliàs consului bonam, & validam fuisse cuiusdam electionem, qui cum non esset ex legitimis natalibus natus, & hoc sciretur à Capitulo, à quo Prior in ea religione electus fuit, censebatur in tali impedimento dispensari. Sic dicunt cōmuniter, quod quando Pontifex aliquod beneficium alicui confert habens impedimentum Pontifici notum, censeatur in tali impedimento dispensare, nec noua requiratur dispensatio; ita &c. Ex quibus infertur votum castitatis ante matrimonium emissum, vel ante consumationem, nō extingui, etiam per consumationem, sed sequentes habere effectus. Primus est, quod ante matrimonij consumationem impediatur debiti petitionem, quam redditionem; post consumationem vero, nisi illius habeatur dispensatio, impedit debiti petitionem, non redditionem.

Secundus quod coniuge defuncto teneatur castitatē seruare, cum per coniugis mortē cessauerit matrimonij vinculum, quod ad reddendum debitum cogebat. Tertius, quod si fornicetur, reus erit ultra adulterium, etiam sacrilegij.

88 Sed quæres primò, ad quid teneatur, qui ante initum matrimonium, vel ante illius consumationem, virginitatem vouit. Dependet huius difficultatis resolutio ex vouentis intentione: vel enim per virginitatem intendit vouens abstinentiam à primo dumtaxat actu venereo; vel intendit abstinentiam ab omni actu venereo; si hoc secundum intendit, cū tunc sit propriè castitatis votum, idem iudicium est faciendum, ac de ipso fecimus castitatis voto. Si verò primum intellexit, sic vouens peccat matrimonium ineundo, nisi contra votū iam egerit, & per primum actum extinctum fuerit; quod si contra illud non egit, sed adhuc virgo manet, non solum peccat matrimonium ineundo,

verum etiam peccat ipsum consummando : at vero postquam semel consummatum fuerit , poterit , & petere , & reddere debitum , cum tunc nec petendo nec reddendo contra votum faciat , cum per primum actum fuerit extinctum . Caiet. 2. 2. q. 88. art. 3. & alij communiter . Quod si non constet de vouentis intentione , pro castitatis voto est supponendum , cum sic communiter castitatis votum Deo non cupetur ; nisi aliud

ex coniecturis colligatur .

89 Quæres secundo , ad quid teneatur qui vouit non inire matrimonium? Respondetur quod iste tenetur matrimonium non inire ; at vero si voto non obstante illud ineat , statim votum cessat , & poterit & petere , & reddere debitum . Difficultas est , an mortuo cōiuge teneatur aliud non inire matrimonium? Respondetur affirmatiuè , nisi constet intentionem fuisse de solo primo vouere .

## Q V A E S T I O X I .

*Ad quid teneantur coniuges , qui post matrimonium consummatum vouent castitatem .*

90 **C**ertum est posse cōiuges ex mutuo cōsensu post matrimonium cōsummatum castitatem vouere , & tunc nec possunt petere , nec reddere debitum , cum vterque per votum se suo iure priuauerit , & si sit incontinentiæ periculum ex simultanea habitatione , debent toro separari : ita habet Ecclesiæ

usus , & fidelium praxis . Præcipua difficultas est , an quando vnus coniugum votum castitatis vouet , sine alterius cōsensu , votum teneat? Eandem difficultatem proponunt aliqui de votis religiosorum , quando ea faciunt sine Prælatorum suorum consensu .

Prima sententia est , quod non possit coniux sine alterius

suis

rius consensu castitatem vouere secundum quod tale votum in alterius cedit præiudicium, seu secundum quod dicit non reddere debitum, hoc enim cedit in præiudicium alterius; potest tamen sine alterius consensu facere votum castitatis secundum quod solum cedit in præiudiciū vouentis, seu potest vouens vouere non petere debitū, quia hoc in alterius non cedit præiudicium. Hanc sententiam sequitur Sanchez disput. 35. post alios quos refert. Hæc sententia probabilis est, & eā probabilem vocat D. Thom. mox pro nostra sententia citandus.

91 Nostra sententia sequenti explicatur cōclusionē. *Coniux sine alterius consensu perfectam vouere non potest castitatem.* Hæc est expressa D. Thomæ sententia in 4. dist. 32. q. 1. art. 4. ad 3. vbi sic habet: *Circa hoc est duplex opinio. Quidam enim dicunt quod vnus absque consensu alterius potest vouere quod non petat debitum, non tamen quod non reddat, quia in primo est vterque sui iuris, sed non in secun-*

*do. Sed quia, si alter numquam peteret deditum ex hoc alteri matrimonium onerosum redderetur, dum oportet vnum semper confusionem debiti petendi subire: ideo alij probabilius dicunt, quod neutrum potest vnus absq; consensu alterius vouere.* Vbi vt vides D. Thomas probabilius esse putat, quod coniux non possit, sine alterius coniugis consensu non solum vouere nō reddere, cum hoc sit iniuriosum alteri, & si hoc faciat votum sit nullum, cum non possit esse vinculum iniquitatis, sed quod neq; possit vouere non petere debitum, cum & hoc suam contineat iniquitatem, cum reddat matrimonium nimis alteri onerosum, ac proinde tale votū sit nullum, cum nullus possit se per votum obligare ad rem malam, seu alteri grauem, & perniciosam D. Thomam sequuntur Paludanus dist. 38. q. 3. art. 5. concl. 4. Petrus Soto lect. 16. de matrimonio, S. ultimo tādē, & alij plures. Probatur primò, ratione illa quam assignat S. Doctor in testimonio allegato, quia cum votum non possit esse vincu-  
lum

lum iniquitatis, non potest obligare ad rem alteri onerosam, & praëiudicialem; sed est valde onerosum coniungi, & praëiudiciale nimis, quod semper petere teneatur; ergo non potest alter se obligare per votum ad non petendum. Respondent aduersarij, quod in casu quo coniux, qui vouit castitatem, aduertit quod alter peteret, nisi pudore praëpediretur, vel suffunderetur, tunc ne matrimonium reddatur onerosum potest alter petere, quia cum illa petitio sit in gratiam coniugis, est potius redditio, quam petitio. Similiter dicunt, quod si coniux voto castitatis adstrictus, aduertit alterum periclitari, & per petitionem sit periculum impediendum, tunc petere potest. Si enim hæc petitio poni potest quando votum est factum ex communi consensu, quando coniux videt alterum periclitantem, imò etiam quando periclitans est voto adstrictus, quanto magis in isto casu. Sed contra, quia posita illius voti validitate, scilicet de non petendo debitum, certè in nullo casu

vouens illud petere potest; quamdiu namque votum validum est, tamdiu seruari debet; ergo cum etiam in casu quo alter contra castitatem periclitatur, votum ab alio emissum de non petendo sit validum, vt aduersarij volūt, non erit licitum petere debitum, cum nulli vnquam liceat contra proprium agere votum, quamdiu eius validitas tenet, ad impediendum alterius peccatum; non enim licet nõ solum peccare mortaliter, sed neque venialiter ad impediendũ alterius peccatum: vt enim alibi ostendo non possum dicere vnũ mendacium etiam si per illud possem totum mundum saluare; ergo si semel votum de non petendo, ab vno coniuge sine alterius consensu, emissũ validum est, nunquam infringi poterit quantumuis alter periclitetur; cum ergo Theologi velint debere tunc coniugem petere, vel volunt votum nullum esse cũ D. Thoma, vel si volūt validum esse, & obligare, admittere debet tunc coniugem petendo peccare. Ego si vellem Sanche-

zij sententiam sequi, dicere, cōiugem posse per votum ad non petendum se obligare, quia in nullo casu ad petendum ex iustitia obligatur; nā ex vi matrimonialis contractus coniux non se obligat ad petendum sed ad reddendū; ergo cum coniux non teneatur ex vi matrimonialis contractus petere, sed hoc sit sue voluntatis, poterit per votum ad hanc abstinētiā se obligare. Sed ad huc D. Thomę ratio me vrgeret, cum non possem negare quin obligarer ex charitate aliquando ad petendum debitum, quādo cōiux periclitaretur; ergo non potui me obligare per votum ad absolutam castitatem, & ad omnem casum, cū hæc obligatio sit de re iniqua, scilicet contra charitatem, quæ me vrget vt succurrā proximo meo periclitanti; & sic ad summum posset quis se obligare ad non petendum quando illa petitio nec est contra charitatem, nec reddit matrimoniū onerosū, quod est illud quod vult D. Thomas, & nos cum illo, quia tale votum non est

de absoluta castitate, nec de absolutè non petere, quia hoc nullum est, sed de conditionata non petitione explicata?

92 Probat̄ur secūdo, quia coniux quoad ea quæ pertinent ad matrimonij vsū nō est suus, sed vxoris, & ecōtra; ergo sine illius consensu non potest aliquid vouere. Antecedens constare videtur, nam per matrimonialem contractum fit mutua corporū traditio, quoad ea quæ ad prolis spectant generationem; tribuitur mutuū corporum ius; ergo per matrimonialem contractum vir non est suus, sed vxoris, & vxor nō est sua, sed viri: iuxta illud Apost. 1. Cor. 7. *vir potestatem sui corporis non habet, sed vxor, & vxor sui corporis potestatem non habet, sed vir.* Consequētia probatur, quia nullus potest rem alterius, seu vni traditam, etiā per votum alteri promittere; ergo cum coniux quoad ea quæ ad vsū spectant matrimonij non sit suus, sed vxoris, non poterit se alteri per votum tradere, nec Deus, talem, cum iniuria alterius, acceptabit, traditionem.

nem ; vnde si quis accipiat pecuniam alteri donatam, & traditam, & illam per votum Deo, vel loco pio tradat, talis traditio etiam voto firmata, nulla est, & votum nullum est, cum sit de re alterius. Ob hoc dicit Sa v. *votum*, 21. post alios, religiosorū vota, quoad ea in quibus religiosus nō est suus, sed religionis, sine Prælati consensu nulla esse; in quibus autem rebus, religiosus sit suus, & in quibus non, suo loco dicetur : pro modo dico religiosum esse suum quoad actus purè internos, & non esse suum quoad ea quæ religionis concernunt obseruantiam.

93 Probatur tertio, votū de re indiuidua, quæ scilicet commodam non patitur diuisionem, quoties quoad totum est nullum, quia quoad illud inobseruabile est, etiam quoad partem, quæ obseruari posset, est nullum; sed votum castitatis inter coniuges est de re indiuidua, quæ commodam non patitur diuisionē; ergo etiam si quoad partem scilicet quoad debiti petitionem obseruari posset, ab-

solutè nullum erit, cū quoad alteram partē, scilicet quoad debiti redditionem, obseruari non possit. Maior conceditur ab omnibus, etiā ab ipso Sanchezio disput. 35. num. 3. & 4. Vnde si quis voueat ædificare Ecclesiam, si non potest totam ædificare, non tenetur ad partem; si quis voueat recitare B. Virginis coronam, si non potest integrā, neque tenetur ad partem: si quis voueat audire Missam, si non potest totam audire, neque tenetur ad partem: si quis voueat recitare officium defunctorum, si non potest totum recitare, neque tenetur recitare partē: Si quis voueat dare alicui Ecclesiæ calicem aureum, & non possit, non tenetur donare argenteum, &c. Ratio horum, & similitium ceterorum est, quia iste res commodam non patiuntur diuisionem: vnde si non constat de intentione, quod etiam si non possit ad totum, velit ponere partem, illam ponere non tenetur, cū tunc intentio præsumatur esse de re indiuidua. Si vero res diuidua sit, & commodam,



& ordinariam patiatur diuisionem, tunc si non constat de opposita intentione censetur se obligare ad partem, qui non potest totam: vnde qui vouet ieiunare quadragessimam, si non potest ad totam tenetur ad partem, qui vouit recitare officium canonicum, aut Virgineum si non potest totum tenetur ad partem, nisi de opposita constaret voluntate, quod scilicet si non possit totum, non se adstringit ad partem. In dubio autem præsumitur sic vouens ad partem se obligasse. Minor probatur, quia in coniuge obligatio petendi, & reddendi vnam integrant matrimonialem obligationem, cū hæc materia indiuidua sit, nec facilem patiatur diuisionem, certè nullus coniux per matrimonialem contractum solum ad reddendum obligatur, verum etiam ad aliquando petendum, ne matrimonium nimis onerosum reddatur, ex alterius parte, quæ semper petere tenetur, & verecundiam illam semper subire cogitur.

94 Probatur quarto, quia

votum rei partim licitæ, & partim illicitæ; partim possibile, & partim impossibile, est nullum; sed huiusmodi est tale votum quando editur matrimonio consummato sine alterius cōiugis licentia; ergo est nullum. Maior patet, nā si quis voueret ire domum Lauretanam genibus flexis, vel pedester, cum sit claudus; & tale iter sit sibi sub illo modo impossibile, non tenetur ire equitando, vel in auriga; si quis voueret furari 100. que daret ad subleuandam pauperis miseriam, non tenetur dare de suo, vt voto satisfaciat quoad eam partem quæ licita est, scilicet datio elemosynæ. Vnde illud axioma *utile per inutile non vitiatur*, non currit quando tam licitū, quam illicitum sunt voti materia, sed solum quando licitum censetur tota voti substantia, seu materia, & illicitum, extra materiam. Minor probatur, nam votum castitatis factum à coniuge sine alterius consensu duo includit, scilicet non petere, & nō reddere, alioqui non esset votum castitatis; atqui vnam

ex istis duobus est illicitum, nempe non reddere; ergo totum votum illicitum erit, cū vtrūque sit voti castitatis materia, nec tunc currit dictum axioma, *quod utile per inutile vitietur*.

95 Primum argumentum quo coniungitur Sanchez defumitur ex cap. *quidam*, de conuers. coniugat. vbi decernitur, quod quando vir inuita vxore professus est, professio est nulla, & obligatur vouens ad votum castitatis in ea professione emissum in quantum se potuit obligare, scilicet ad non exigendum debitum, verba textus sunt ista: *votum non tenuit, ulterius vero non poterit uxorem accipere, promisit enim se non exigere debitum, quod in eius potestate erat, & ideo quoad hoc votum tenuit, non reddere autem non erat in eius potestate, sed in potestate mulieris*. Sed non video quomodo Sanchez adducat hūc textum contra nos, cum etiā ab eo solui debeat; nam ipse vult, quod qui votum emisit castitatis vxore inuita, possit

ea mortua, aliam ducere, cui ad solum reddendum obligabitur, cum tamen iste textus velit non posse sic vouentem aliam postea ducere: nec valet dicere diuersam esse rationem de hoc voto, ac de alio, quia votum hoc de quo loquitur textus, est votum solemne, sua autem doctrina de simplici procedit; nam contra, quia cum professio illius fuerit nulla, etiam votum solēne castitatis nullum erat: in omnium namque sententia vota solemnia edita à coniuge matrimonio cōsummato nulla sunt; si dicat quod votum castitatis in illo proficiente fuerit nullum vt solemne, fuit tamen validum vt simplex, ac proinde poterit reddere, & non petere, potuit se obligare ad non petendum, non ad non reddendum: contra est quia si ita est, quomodo textus vult, quod iste non possit postea aliam ducere si prior moriatur, cum votum castitatis simplex subsequens non impediat matrimonium? Sed quidquid de hoc sit? Respōdetur

detur quod ille textus non vult, vt aliqui somniantur quod votum solemne in simplex commutetur, & quod hoc obliget ad reddendum, & non ad petendum; sed solum disponit textus, quod votum illud solemne maneat quoad vnum effectum, scilicet, quoad hoc quod est non petere, & hoc in poenam delicti quatenus vxore inuita præsumpsit ad religionem trāsire, sicut in eiusdem delicti poenam statuit, quod ad alias non transeat nuptias. Ita deduco ex Nauar. cap. 12. num. 60. & Henriquez lib. 12. de matrim. c. 2. nu. 9. qui optimè D. Thomæ, & nostram defendunt sententiam.

96 Secundum argumentum desumunt ex illa canonistarum regula: *si non valet quod ago, vt ago, valeat vt valere potest*; quam tradunt

Antonius cap. placet, & cap. quidam, de conuers. coniugat. Abb. ibidem. Rosella, & Syl. verb. *votum*, & volunt valere in materia voti, ergo etiā in hoc casu valebit illud castitatis votum si non quoad redditionem, tamen quoad petitionem? Respondetur hęc regulam valere quando voti materia primariò inspecta, licita est, secus quando est illicita, etiam quoad vnā partem tantum. Adde in hoc casu, vt ex D. Thomæ ratione constat, quoad nullam partem voti huius materia licita est, non quoad redditionem vt omnes volunt, neque quoad petitionem, quia vt diximus, coniux matrimonio consumato, ad hoc se obligare non potest, cum sit contra matrimonij bona, quæ est corporum traditio, cohabitatio, &c.



Q V A E S T I O XII.

*Quam obligationem habeant coniuges, qui voue-  
runt religionem ingredi, sacros suscipere  
Ordines, & matrimonium non  
inire, ubi alia curiosa.*

97 **R**es facilis est, idè  
breuiter totam re-  
soluo. Dico primò, qui post  
votum ingrediendi religionem  
contrahit matrimonium, pec-  
cat mortaliter, praesertim si id  
faciat animo illud consumandi,  
& tenetur ante illud consu-  
mationem religionem intra-  
re; deinde peccat consumando,  
siue id faciat petendo, siue red-  
dendo, cum tunc se impotentem  
reddat ad voti obseruationem,  
postquam autem illicitè matri-  
monium consumatum est, non  
peccat nec petèdo, nec reddendo,  
cū ad hoc votū non adstringat.  
Cōclusio clara est, nec maiori  
pro modo indiget discussio-  
ne. Difficultas aliqualis est,  
adquid teneantur coniuges,  
qui ante matrimonij consu-  
mationē, mutuo consensu re-  
ligionem ingredi vouerunt;

an scilicet possint adhuc ma-  
trimonium consumare, &  
postea intrare: cum enim il-  
lud votum non sit castitatis,  
nec abstinentiæ ab vsu ma-  
trimonij, videtur posse sic  
vouentes matrimonium consu-  
mare, & postea intrare: ita  
quidam philosophantur, &  
non improbabiler, cum re-  
ligionis ingressus ex mutuo  
consensu coniugatis non re-  
pugnet etiā matrimonio con-  
sumato, vt ex se liquet.

98 Sed vt meū proferam  
iudicium, noto, quod coniu-  
gis votum de religionis in-  
gressu ex mutuo consensu ha-  
bitum non est absolutum, sed  
conditionatum, vt si dicatur  
*voueo religionem ingredi, si cū  
tu ingredieris*, in hoc enim ca-  
su qui sic vouet, religionem  
ingredi non tenetur, nisi pur-  
gatione

gatione facta de alterius ingressu; alterius namque ingressus est vouentis conditio, qua non purgata, alter religionem ingredi non tenetur, unde quandiu conditio non purgatur nō peccant nec petendo, nec reddendo, vt ex se liquet. Si vero votum hoc modo fiat, *voueo religionem ingredi, si tu vouas idem*, tunc est maior difficultas, quia aliqui volunt sic vouentem teneri statim ingredi, posito alterius voto de tali ingressu. Primò quia iam cōditio purgata est, posito scilicet alterius voto. Secundò quia se impotentes reddunt, si non statim ingrediantur, & matrimonium consumant, ad illius voti obseruantiam. Nihilominus videtur mihi probabilius, (nisi aliunde constet de vouentium intentione) quod intellexerint, dum religionis ingressum vouerūt, hoc facere post matrimonij consumationem. Ratio est, quia hoc votum intelligi potest tam de ingressu post matrimonij consumationem, quā ante illam; ergo nisi constet vouisse religionis ingressum

ante consumationem, extendi poterit post illam. Vnde licet conditio purgata sit per alterius votum, non tamē est necesse, quod ingressus fiat ante consumationem, sed fieri poterit post, nisi de opposita constet intentione. Nec verum est, quod per matrimonij consumationem reddantur coniuges impotentes ad religionis ingressum. In dubio tamen talis intentionis, iudicandum erit, quod religionis ingressus ante matrimonij fiat consumationem.

99 Dico secundò, *si coniuges mutuo cōsensu votum faciant de religionis ingressu, post matrimonij consumationem, uterque ingredi tenetur, quod si vnus ingredi nolit, nec alter ingredi tenebitur, peccabit tamen ille per quem stabit, ne iste fiat religionis ingressus: interim tamen dum non ingrediuntur possunt matrimonio uti tum petendo, tum reddendo.* Res clara est. Solum noto, quod si alter sit senex, potest iuuenis de alterius consensu vouere religionis ingressum, & senex vouere castitatem, & sic a seculo manere. Quod si

ab uno coniuge sine alterius consensu votum fiat de religionis ingressu, illud sine alterius consensu adimpleri non potest, ut ex se clarum est.

100 Dico tertio, qui post votum sacros suscipiendi Ordines, matrimonium contrahit, peccat mortaliter. Excipitur casus, quando quis honestam cognouit sub spe futuri matrimonij, nam tunc ad eius famam tuendam poterit matrimonium inire. Ratio conclusionis est, quia tunc tali voto adstrictus reddit se impotentem ad votum implendum; ergo peccat matrimonium ineundo. Inito tamen matrimonio ante illius consumationem non tenetur religionem intrare ut votum seruet, sed poterit, & petere, & reddere, cum votum sacros suscipiendi Ordines non sit votum castitatis, quod cum petitione & redditione debiti pugnat.

101 Dico quarto, qui uoluit matrimonium non facere, peccat mortaliter si illud faciat, nisi exceptio precedentis conclusionis excuset. Tunc enim habita voti dispensatione ma-

trimonium iniri poterit; imò aliqui uolunt tunc temporis nullam requiri voti dispensationem, cum votum illud eo casu cesset obligare, ratione notabilis mutationis materiae, sed de hoc suo loco; an autem mortua coniuge possit nouum inire matrimonium diximus supra q. 10. in fine.

102 Sed quæres primo, an coniuges, qui post matrimonium consummatum de communi consensu votum castitatis emiserunt, & ratione cuius, ut in principio q. præcedentis aduertimus non possunt nec petere, nec reddere, possint ad inuicem mutuam facere remissionem, taliter quod in posterum, licet petendi iure, ratione voti priuètur, possint tamen reddere? Affirmat Sanchez disp. 27. n. 15. licet uelit tales coniuges sacrilegè peccasse faciendo talem in alium corporis translationem. Sed non placet, puto namque nec licitè, nec validè, posse coniuges illam facere corporis translationem, taliter quod peccent illam translationem faciendo, & peccent postea reddendo.

Quod peccent talem translationem faciendo, & translatione nulla fit, ac proinde peccent si postea mutuo reddat, ratio est, quia licet votum simplex non priuet corporis dominio, priuat tamen vsu, nō solum quoad petitionem, verum etiam quoad redditionem, quando praesertim ex mutuo consensu emissum est, ob quod supposuimus cum communi Theologorum sententia, etiam ipsius Sanchez disp. 27. nu. 10. quod coniugum votum communi consensu noncupatum, non solum priuet iure petendi, verum etiam reddendi, cum tunc vtrumque sit voti materia in Dei fauorem noncupata, non in fauorem ipsorum coniugū; ergo non possunt coniuges talem obligationem relaxare; ideo namque pactum sine voto inter coniuges de non petendo & reddendo potest mutuo ipsorum coniugum consensu relaxari, quia tale pactum factum est praecipue in bonum vel spirituale, vel temporale illorum, vt omnes tradunt, at hoc votum non fit, cum Deo noncupetur in

gratiam ipsius Dei non ipsorum coniugum. Similiter docent Theologi, quod si tale pactum à coniugibus editum de non petendo & reddendo iuramento firmetur, & iuramentum sit factū praecipue in gratiam coniugum, vt sint ad inuicem certi de animi firmitate, & stabilitate in eo pacto perseuerandi, possit adhuc mutuo consensu relaxari, quia tunc tale iuramentum est factum praecipue in gratiam coniugum, & ad pactum firmadum tanquam accessorium illius, ac proinde si possunt coniuges mutuā facere principalis condonationem, eandem facere poterunt de accessorio, cum accessorium principalis naturā sequatur Reg. *accessorium*. At vero si iuramentum sit factum in gratiam, & fauorem religionis & Dei, mutuo contrahentium consensu relaxari non potest, vt docent omnes, & ipse Sanchez loco citato num. 20. Si ergo etiam per Sanchez iuramentum de non petendo, & reddendo, pacto addito, quando in Dei fauorem est noncupatum nō potest

potest relaxari, quomodo vult ille quod hoc votum, quod non nisi in Dei fauorem non cupari principaliter potest, possit à coniugibus relaxari?

103 Quæres secundò, an proles nata ex cõiugibus copulari prohibitis sit illegitima? Conueniunt Theologi prolem natam ex parentibus solo simplici castitatis voto ligatis, communi habitam consensu, legitimam esse, patet ex *L. filium*, 6 ff. de ijs qui sunt sui, vel alieni iuris, vbi dicitur filios illos esse legitimos, qui à parètibus vero matrimonio iunctis nascuntur; talis est dicta proles; ergo. Tū quia tanta est matrimonij vis, vt prolem naturalem antea susceptam, legitimam efficiat *cap. tanta*, qui filij sint legitimi. Quod autem parentes in tali copula contra votum habita peccent, nō obstat proli, cum parentū culpa proli non officiat, nisi in iure expressū sit, *cap. ne filius pro patre*, de filijs Presbyterorum. Conueniunt secundò, quod si coniuges, ante matrimonij consumationem ad religionem conuolent, vel saltem alter, si

professione emissa, conueniāt, proles ex tali concubitu habita omnino illegitima sit. Ratio clara est, quia per professionem, vt supra visum est, matrimonium naturæ iure resoluitur, ac proinde proles ex illo cõcubitu nata, spuria erit, cū sit inter illos, inter quos est impedimētum dirimens matrimonium. Conueniunt tertio, quod si alter coniux matrimonio iam consumato religionem ingrediatur sine alterius consensu, proles tunc temporis habita legitima sit. Ratio clara est, quia eo casu religiosa professio nulla est *cap. quidam*, & *cap. placet*, de conuers. coniugat. ergo proli præiudicare non potest. Vnde difficultas inter scribentes ad hoc solum reuocatur, an proles nata à coniugatis, viro ad sacros Ordines promotò, sit illegitima? Negat Sanchez *disput. 38. nu. 7.* Sed verius est esse illegitimam: probatur ex *cap. ministri*, dist. 81. vbi Pontifex statuere videtur talem cõcubitum ita esse, ac si esset inter solutos. & *cap. litteras*, de filijs Presbyterorū dicitur: *Intelleximus quod Henricus in*



Sacerdotio genitus, de uxore legitima natus, & conceptus affectavit à pueritia ministrare domino in officio clericali: verum licet à filijs, paterna incontinentia, modis omnibus propellenda noscatur, stamen aliter dignus inuentus fuerit, permittimus ipsum ordinari in

clericum, & ad Ecclesiasticum beneficium promoueri. Vbi ut vides statuit Pötifex non posse promoueri, nisi ex Pontificis dispensatione, ac proinde proles illa illegitima erit: non tamen spuria cum nascatur inter matrimonio copulatos.

## Q V A E S T I O XIII.

*An vota à coniugibus facta, ab ijdem valeant irritari.*

104 **P**lures cōtinet hæc quæstio difficultates, quas oportet breuiter proponere, & resolvere. Prima difficultas est, an vir possit omnia vxoris vota irritare cōstante matrimonio facta, & pro eo tempore implenda, quando sine eius consensu emissa sunt? Non procedit hæc difficultas de castitatis voto, ab vxore noncupato, sine viri consensu, nam vt diximus q. 11. cum D. Thoma tale votum est nullum, ac proinde dispensatione non indiget, nec viri irritatione. Prima

sententia est, quod vir, ea sola vxoris vota irritare potest, quæ sibi, ac domesticæ præiudicant gubernationi. Præcipuum huius sententiæ fundamentum est, quia uxor non est uiro subdita, quoad uoluntatem, sed solum quoad uoti materiam, quando illa uouetur in superioris præiudiciū, non enim uxor subditur uiro sicut religiosus suo Prelato, uel sicut filius impubes patri, nam uir non habet dominium, uel quasi dominium uoluntatis uxoris, sicuti habet Prælati uoluntatis subditi, & Pa-  
ter

er voluntatis filij; quamdiu impubes est, vt illum dirigat ne imprudenter vota emittat. Hanc sententiam sequitur Valentia 2. 2. disp. 6. q. 6. de voto. Azorius lib. 11. cap. 17. q. 12. Nauar. c. 12. nu. 64. & alij.

105 Nostra sententia sequenti explicatur cōclusionē. *Potest vir omnia uxoris vota irritare durante matrimonio facta, & eo durante implenda.* Hæc est expressa D. Thomæ sententia 2. 2. q. 88. ar. 8. ad 3. vbi habet: *Quia nullum tempus est exceptum in quo Prælati non possit subditum circa aliquid occupare, nullum votū Religiosū est firmum, nisi sit de consensu Prælati: sicut nec votum puella existentis in domo, nisi sit de consensu patris; nec uxoris nisi sit de consensu viri.* D. Thomam sequuntur Paulus 4. dist. 38. q. 3. art. 1. concl. 6. Petrus de Ledesma de matrim. q. 64. art. 4. dub. 2. conclus. 1. Et deducitur ex c. 30. Numerorum vbi dicitur: *Si maritum habuerit, & vouerit aliquid, si audiens vir statim contradixerit, & irritas fecerit pollicitationes eius, propitius erit ei Dominis.* Videatur

D. Aug. lib. 4. q. 59. in Num. Glof. ordin. ibidem, & Expositores, præsertim Hugo Cardinalis ibidem, & ibi etiam Abulen. q. 84. Idem determinatur c. manifestum, 33. q. 5. vbi Abb. dicit, *virum posse omnia uxoris vota irritare præter votum mediocris elemosynæ.* Nec placet aliquorū limitatio, quod id verum nō habeat quando vir notoriam ponit fornicationem, quia tūc ius petendi amittit; non inquam hæc limitatio placet, quia sequeretur non posse eā facere vir irritationem, quando fornicatio oculta esset, cū etiam tunc, secundum veriorē sententiam, vir ius petēdi amittat. Vnde dicendum, eo solum casu non posse virū uxoris vota irritare, quando uxor ob uiri fornicationem separari uellet, secus si consentiat cum eo uxoraliter habitare. Vnde ad rationem oppositæ sententiæ dico, uirum non solū esse caput uxoris quoad uoti materiam, uerum etiam quod eius uoluntatem, sicut pater filij, & Prælati subditi, ut dicit D. Thomas supra, unde cum uxor

uixit

uero subdatur sicut membrū capiti, quia ut dicit Apost. *vir est caput uxoris, nō uxor uiri*, ab eo regulari debet, præsertim quoad uota, ut rectè, & maturè fiant.

106 Sed dices Prælatus non potest omnia subditi uota irritare, ut est uotum transeundi ad strictiorem religionem; ergo neq; maritus omnia uota uxoris? Respondetur posse Prælatum omnia religiosi uota irritare, per quæ à Prælati non extrahitur potestate, per uotum autem ad strictiorem religionem transeundi, à Prælati potestate extrahitur, ac proinde non mirum, quod illud irritari nō possit. Sicuti ob hanc rationē, pater potest omnia uota filij etiā puberis irritare excepto religionis uoto, quia per hoc filius à patris eximitur potestate, potest tamen pater etiā hoc irritare quādo à filio impubere emissum est, ut suo loco dicetur.

607 Secunda difficultas, an uir possit omnia uxoris uota irritare sine eius consensu emissa, implenda tempore soluti matrimonij? fit casus,

uxor matrimonio consistente uouet, quod si maritus quem habet moriatur, alium non uult ducere; uult talem, uel talem facere peregrinationē, u. g. ire ad domum Lauretana[m], &c. Sunt duæ sententiæ probabiles: prima est Caietani 2. 2. q. 88. art. 8. Nauar. sum. cap. 23. nu. 66. & aliorū, qui id negant. Secunda sententiā est Soti lib. 7. de iust. q. 3. art. 1. Lopez 1. p. instruc. c. 50. & aliquorum aliorum, quos sequitur Sánchez disp. 39. n. 16. qui id affirmant. Sed inter has duas sententias, prima mihi probabilior uidetur, & fortiori niti fundamento. Nā in tantum uir (idem dic de Prælato respectu subditi, & de patre respectu filij) potest uxoris uota irritare, in quantum uxor suo subditur uiro, uel quoad uoti materiam, uel quoad uoluntatem; sed uxor quando uouit aliquid u. g. non alium ducere uirum, quod est implendum primo matrimonio dissoluto non subditur marito nec quoad uoti materiam, nec quoad uoluntatem; ergo tale uotum non poterit à marito irritari. Maior

nota

nota est, ex solis enim illis duobus capitibus possunt à superiore vota irritari. Vnde vota realia filiorum puberum & impuberum possunt à patre irritari, quia materia illa voti, vt suppono, est sub patris dominio; similiter vota personalia puberorum, & impuberorum, religionis voto excepto, à filio pubere emisso, irritari possunt, quia tunc temporis voluntas filij est sub patris regimine. Minor probatur, nam cum votum illud referatur non ad tempus quo vxor est sub viri potestate, sed ad tempus quo amplius non erit, nec voti materia, nec voluntas vouentis sunt sub viri potestate; propterea diximus in fine præcedētis difficultatis, quod Prælati non possit irritare votum sui religiosi transeundi ad aliam religionem strictiorem, eo quod tunc tēporis religiosus à Prælati præscindit potestate, & ab ea eximitur: Si enim tunc religiosus à Prælati eximitur potestate, idem à fortiori dici poterit de vxore, si votum edat religionis implendum mortuo marito, cum per illud

à viri potestate eximatur. Nec valet dicere cum Sanchez, non posse vxorem eximi à viri potestate, quia faceret illi præiudicium, cum eximatur pro eo tempore, quo vir est vxoris superior. Nam contra est, quia falsum est, quod vxor eximatur pro eo tempore, quo subditur viro, sed pro eo tempore, quo non subdetur: sicut enim vxor quoad corporis dominium, solum subditur viro quamdiu viuit, vt dicit Apost. 1. Cor. 7. ita quoad voluntatem, solum subditur viro pro eo tempore, quo uir eius uiuit; & sicut uir non potest impedire quin eo mortuo, vxor non se det alteri, ita non poterit impedire quamdiu uiuit, quod uxor per uotum Deo nō promittat se dare.

108 Tertia difficultas, an uir possit uxoris uota irritare ante matrimonium emissa? Respondetur affirmatiuè, ita tamen ut ista non sit propriè irritatio, sed uoti suspensio matrimonio durante. Ratio est, quia licet ea uota sint emissa independenter à uiro, ac proinde non possit uir iuri

Deo

Deo acquisito derogare, uota ipsa propriè irritando, potest tamen illa pro matrimonij tempore suspendere, cum tunc uxor sub uiri sit potestate, & sic excusabitur uxor si uiro contradicente illa non impleat. cum Deo placeat, ut uiro non displiceat, nec ea uota impleat illo contradicente.

109 Limitatur primò responsio ut nò procedat de uotis realibus ab uxore factis ante matrimonium, dum esset sui iuris, & de rebus sub suo dominio cõstitutis. Unde si uouisset uxor dum uidua erat, uel dum carebat patre, & tutore talem facere eleemosynam, u.g. dandi talem uestem alicui pauperi, uel Ecclesiæ: Maritus non posset hoc uotum irritare. Ratio est, quia de his uotis ab uxore noncupatis iudicium idem est, ac de debitis, ab ea factis; ac proinde sicut uxoris bona prius hypothecata, uel alijs obligationibus affecta, ad maritum cum suis transeunt oneribus, ita & uestis illa u.g. Deo per uotum noncupata &c. Limitatur secundò,

ut non procedat de uoto castitatis ante matrimonium factò, hoc enim à marito potest irritari non poterit. Ratio est, quia cum, matrimonio consummato, illud uotum cesset, quoad debiti redditionem, & in Dei honorem seruari possit, quoad non petendi rationem, seruari debet; cessat quoad debiti redditionem per aduentum superioris uinculi: seruari potest quoad non petendi rationem, quia quoad hoc uxor non est propriè uiro subiecta. Limitatur tertio, ut non procedat de uotis rerum necessariarum, quæ scilicet necessitate præcepti ab uxore seruari debent, ut si uouisset non furari, non mechari, non mentiri, &c. si tamen res præcepta de qua est uotum, aliquod afferre posset usui matrimoniali, præiudicium, posset illa suspendere, ut si uxor uouisset ieiunare diebus præceptis, & hoc ieiunium redderet uxore minus marito amabilem, ob pallorem, &c. posset hoc tale uotum suspendere, idem dic de alijs similibus. Limitatur quarto, ut non procedat de

noto religionis, quia suapte natura suspenditur, & adimplere tenebitur matrimonio dissoluto. Vnum aduertas pro huius difficultatis coronide, quod quando vxoris vota à viro propriè irritantur, non amplius reuiuiscūt, at vero quando suspenduntur, matrimonio dissoluto reuiuiscūt.

110 Quarta difficultas an vir possit vxoris vota irritare, quando de eius venia facta sunt? Respondetur affirmatiuè, siue illa vota sint castitatis, siue quæcunque alia, peccabit tamen vir si talia vota sine iusta causa irriter, & peccat vxor si talem petat sine iusta causa irritationem: facta tamen irritatione, non amplius peccabit vxor, cum iam votum positum per irritationem deletum sit. Ratio primi est, quia superior etiam postquam in votum consentit, retinet dominium voluntatis inferioris, & rei offerendæ per uotum; ergo etiam vir respectu suæ uxoris, ac proinde sicut Prælati potest semper ualidè sui subditi vota irritare, ita & uir suæ uxoris. Vide Caietanum sum. u. vo-

tum. Syl. eodem uerbo, aliofue. Ratio secundi est, quia eo ipso, quod dedit vir licentiam uxori de uoto Deo nuncupando, res promissa manet Deo deuincta, ac proinde tenetur uir, qui tale uotum sua auctoritate firmavit, etiã eadem sua auctoritate curare ut seruetur. Ratio tertij, quod scilicet uxor peccet talem sine causa petendo irritationem, est, quia cooperatur actioni irritanti malæ. Sed petes, an uir peccet mortaliter, an uenialiter talem faciendone sine iusta causa irritationem, & similiter, an uxor peccet mortaliter, an uenialiter talem petendo irritationem? Secundi resolutio, ex primi dependet resolutione: si enim semel uerū est, quod uxor petendo irritationem non peccat, nisi quatenus inducit uirum ad irritandum, uel tali cooperatur irritationi, sequitur, quod si uir irritando sine causa mortaliter peccat, etiã uxor mortaliter peccabit; si uero uir solum uenialiter peccet, etiam uxor solum uenialiter peccabit. Dico primo, uir (& idem est de Præ-

lato respectu subditi, & de patre respectu filij) *sine causa sua uxoris vota, sine eius licentia emissa, irritans, non peccat ex hoc mortaliter, nec venialiter*. Ratio clara est, utitur namque tunc uir iure suo, cui præiudicauit uxor sine eius licentia uouendo, cum uiro subdatur tū quoad uoti materiam, tum quoad uoluntatem. Dico secundò, *uir irritans sua uxoris vota cum eius licentia emissa, sine iusta causa non peccat mortaliter, sed venialiter*: ita Rosella u. votum, & alij. Ratio est, quia uir talem concedendo uxori uouendi licentiam, non abdicauit à se dominium uoluntatis uxoris, & rei offerendæ per votum, sed adhuc illud retinuit, sed solum permittit, vel consensit, ut uxor sua ueretur uoluntate ut propria, & rem Deo offerret ut propriam, cum tamen uiri sit, ergo non peccat uir mortaliter suam rem reuocando, cum talis reuocatio nulli grauiter damnosa censeatur. Sicut enim grauiter non peccaret uir, si consentiret, quod uxor vestem alicui accomodaret,

& postea idem uir tale reuocaret accomodatum, dummodo aliunde commodatario ex tali reuocatione damnum graue non proueniret; quia tunc uir rem sua reuocat; ita non peccabit idem uir si consentiat, quod uxor medio voto rem aliquā Deo accomodet, si postea etiam sine causa reuocet; peccabit tamen ut dixi, uenialiter, cum aliqua leuis irrogetur irreuerentia, cum non manuteneat uir quod sua auctoritate, vel licentia est Deo ab uxore accomodatum. Confirmatur; quia uir ex hoc quod uxori uouendi licentiam dedit, non se obligauit sub voto, neque sub alia graui obligatione de non utenda sua irritatiua potestate, ergo sine graui peccato illa uti poterit. Adde, quia ut communiter Theologi tradunt, talis est differentia inter irritationem, & dispensationem, quod irritatio per se loquendo nulla indiget causa, cum fiat per potestatem dominatiuam; at uero dispensatio illa indiget, quia fit per potestatem iurisdictionis, quæ ab Ecclesia con-

concedi non censetur, nisi iusta existente causa; vnde pater reiciendum esse Sanchezium disput. 40. nu. 7. vbi vult peccare mortaliter virum uxoris vota sine causa irritantem.

III Quinta difficultas, an secundus maritus irritare possit uxoris vota, quæ primò consistente matrimonio noncupata sunt, & poterant à primo irritari marito, non tamen irritata fuere? Respondetur affirmatiuè. Ratio est, quia secundus maritus in æqualem succedit potestatem cum primo; ergo quod iste facere poterat, poterit & ille. Hinc concedunt communiter Theologi, posse secundum Prælatum ea omnia irritare vota, quæ poterat prior, in iurisdictione æqualis. Hinc dicunt communiter posse patrem irritare filiorum vota post pubertatem, quæ pubertatis tempore irritare poterat, idem dic de illis uotis, quæ emissa sunt tempore impubertatis; vnde si filius dum impubes est uotum faciat religionis, & pater tunc non irritet quia non nouit, &c. poterit illud post impubertatem

irritare dummodo post impubertatē nō ratificauerit illud. Hinc etiā deducūt, posse maritū uxoris uota irritare, quæ tempore pubertatis, vel impubertatis à patre, uel tutore irritari poterant, siue realia siue personalia sint. Ratio omnium est, quia maritus in locū patris, &c. succedit; ergo quod poterat præstare pater, id ipsum maritus præstare poterit. Quod autem pater possit filiorum uota irritare post impubertatem &c. ideo est, quia per temporis lapsum nō amisit ius, quod tunc habebat irritandi; similiter filius per temporis lapsum non amisit ius petēdi à patre suorum irritationem uotorū, eo tempore factorum, quando & eius uoluntas, & uoti materia sub patris erant potestate. Sicut enim poenitens, qui iubileum accepit, acquisiuit ius absolutionis peccati, uel uoti, quam tunc temporis non obtinuit, quia non fuit peccatū illud eo tempore confessum, uel ex obliuione, uel quia sic expediebat facere, ad celandū complicem &c. ita &c. Dixi posse secundum Prælatum



tum habentem iurisdictionem æqualem, &c. quia si Generalis, uel Prouincialis dent aliqui licentiam uouendi, non poterit Prior, qui est potestate inferior, uotum subditi irritare, cum inferior nō possit destruere, quod per superiorem effectum est, licet oppositum sit etiam ualde probabile, quando Prælatus maior nullam fecit reseruationē.

112 Sexta difficultas, quænam viri vota possint ab vxore irritari? Respōdetur quod omnia, & sola illa, quæ vxori subduntur ratione materiæ voti. Ratio est, quia licet vxor non habeat potestatem supra voluntatem viri, habet tamē potestatem supra eius corpus; & sic omnia viri vota, quæ præiudicant moderatæ debiti redditioni, & cohabitationi, cum quoad hæc vir vxori subdatur, possunt ab vxore irritari, quod si id sine causa faciat peccabit uenialiter, secus si cum causa; imò etiam illa, quæ vir fecit cum vxoris licentia, ab eadem vxore irritari poterunt. Vnde si vir uocat longam peregrinationē de vxoris licentia, si vxor de

data licentia pœniteat, poterit tale uotum irritare: item si tales uoueat pœnitentias, abstinentias, &c. quæ minus cum habilem reddant ad debitum reddendum, poterunt ab vxori irritari; itē si uoueat debitum non petere, poterit hoc ab vxore irritari, quia hoc uotum est in vxoris præiudicium, cum teneatur eo casu vxor, inuerecundam se ostendere semper petendo. Item poterit vxor irritare uotū castitatis à viro cum eius licentia emissum, quia potest de tali licentia pœnitere, & uotū irritare, cum tale uotum ratione materiæ cadat sub vxoris potestate. Dixi cum eius licentia emissum, quia, ut dixi supra, sine licentia tale uotum est nullum, sicuti nullum est uotum sine vxoris licentia factum de nimijs abstinentijs de longa peregrinatione, &c. cum talia vota, & eiusdem generis cetera, sint in vxoris præiudicium, ac proinde de re non meliori, seu de nō meliori bono. Vota uero quæ ratione materiæ vxori non subduntur, ut quæ pertineat ad rem familiarē, ab vxore irri-

tari

rari non possunt. Ita hæc ferè omnia D. Antonin. 3. p. tit. 1. cap. 22. S. 1. Angel. v. *votum*; Syl. eodè verbo. Nauar. c. 22. num. 64. & alij. Et non solum præfens vxor, verum etiam subsequens, vti diximus de marito, poterit ea vota irritare, quæ præcedens vxor irritare poterat, quia in æqualè succedit potestatem supra eadem voti materiam. Vota uero à marito facta ante matrimonium contractum, quæ subsequenti præiudicant matrimonio poterunt ab uxore suspendi, uti de marito diximus respectu uxoris. Rosella

v. *votum*, & alij. Vt autè uotum irritari censeatur, non sufficit, quod superior v. g. cōtra uotum operari præcipiat, sed requiritur quod uotum sciat, & sua potestate, uel auctoritate factum rescindat. Vnde non censeatur superior uotum irritare quando contra uotum operari præcipit, & subditus non potest uoti materiam ponere sine superioris licentia, quam superior dare recusat, tunc enim uotum suspenditur, non irritatur, etiam si superior uotum sciat. Sed de hac materia Deo dante suo loco fufius.

## Q V A E S T I O X I V.

*Quenam coniugibus liceant, & non liceat:*

113 **C**ontinet hic titulus plures, ac uarias difficultates, quas sigillatim proponemus, & soluemus. Prima difficultas est, utrū coniugibus liceat morosè delectari, secluso pollutionis periculo, de copula ut præfenti cogitata, dum absentes sunt, aut dum sunt in loco, aut tē-

pore, in quo exercere eā non possunt? Pro clara huius difficultatis resolutione. Aduerte primò morosam delectationem eam esse, qua quis rē absentem ut præfentem apprehendit in eaque delectatur; & licet hæc delectatio tam de re bona, quam de re mala capi possit, tamē in ma-

Iam partem morosa accipitur delectatio, ut scilicet, pro sola delectatione de re mala, capiatur. Aduerte secundò hanc delectationem dici morosam à mora, seu ab aduertentia rationis, quæ duobus modis haberi potest, primò circa ipsum actum materialiter tantum consideratum, ut cum ratio aduertit talem actum in concupiscentia excitari, nihil tamen aduertit, seu iudicat de malitia uel prohibitione illius: Secundò formaliter, quando scilicet ratio aduertit talem actum esse malum, & prohibitum. Ad hoc ut morosa delectatio, quantum ad id quod ex parte aduertentiæ requiritur sit peccatum mortale, necesse est, quod aduertentia sit formalis, ut tradit D. Thom. 1. 2. q. 74. art. 6. unde si ratio aduertat in sensitiuo appetitu esse delectationem de re materialiter mala, & ad illius malitiam, uel prohibitionem non aduertat, peccatum mortale non intercedet. Aduerte tertio rationis aduertentiam circa actum formaliter malum esse duplicem, actuale, & virtuale, seu inter-

pretatiuam. Actualis est, quando quis actu hic & nunc actus malitiam, uel eius prohibitionem nouit. Virtualis uero, seu interpretatiua tunc est, quando quis potest, & tenetur malitiam, uel prohibitionem actus aduerrere; uel ex tali opere sequi in se ipso motus inordinatos, quia sepe est expertus ita contingere. Ad hoc ut morosa delectatio sit peccatum mortale non sufficit aduertentia uirtualis, sed requiritur actualis: unde sicut ignorantia habitualis à peccato excusat, ita & ignorantia actualis, seu inaduertentia actualis. Ita D. Thom. q. 15. de ueritate art. 4. ad 10. ubi dicit: *antequam ratio perpendat delectationem, non habet consensum interpretatiuum, etiamsi non resistat; sed quando iam perpendit ratio de delectatione insurgente, utpote cum percipit homo se totaliter per huiusmodi delectationem in peccatum inclinari, & in preceptis rueri, nisi expressè resistat, uidetur consentire.* Quæ uerba ut pote consolatoria pro scrupulosis, & timoratis, debent benè retineri. Puto ta-

men aduertentiam uirtualem sufficere, saltem ad peccandum in causa, quando quis licet actu non aduertat dum de re mortali habet delectationem, libere tamen, & uolenter causam dedit talis delectationis, quia tunc talis delectatio fuit liberè uolita, & præuisa in sua causa.

114 Aduerte quartò, quod ad hoc ut morosa delectatio de re mala mortaliter sit peccatum mortale, requiritur, quod aduertentia de malitia, uel prohibitione sit plena, & perfecta, qua firmiter indicetur talis actus malus, & prohibitus, uel qua iudicetur, uel iudicium habeatur firmum de periculo, uel de causis ex quibus iudicetur tale sequi periculū, uel peccatum mortale. Vnde, si quis in genere iudicet illam rem esse prohibitam absque eo quod cognoscatur, quod sit prohibita grauitè, non erit peccatum mortale sic operari. Similiter si cognoscatur quod est mala solum uenialiter: solum peccatum ueniale committeretur, ratio plena ex dictis est, quia uoluntas non fertur in inco-

gnitum, sed tendit in re pro ut à ratione præsentatur, & sic si præsentetur solum mala leuiter, solum peccatum ueniale erit delectando de illa: si præsentetur solum mala in genere, adhuc per se solum ueniale erit, cum ratio mali ut sic præscindat à mortali, & ueniali, & ab utroque peccato contrahi potest: unde si nõ habeatur actualis aduertentia, quod hic & nunc cõtrahi poterit ad mortale, mortale non erit, ut alibi fusius docui.

115 Aduerte quintò, quod postquam ratio plenè aduertit ad motus illicitos v. g. appetitus sensitui, & indicauit esse de re mortaliter mala, uoluntas tripliciter potest circa illos se habere. Primò dissentiendo positiuè, & conando illos reprimere. Secundò expressè illis consentiendo, & delectando. Tertiò negatiuè se habendo, scilicet nec positiuè consentiendo, nec positiuè dissentiendo, sed suspensa manendo. Primum est opus meritorium. Secundum est peccatum mortale: de 3. Prima sententia est esse peccatum mortale, quia posita  
plena,

plena, & actuali aduertentia de malitia, voluntas non reprimendo cum possit, & teneatur, tales motus censetur interpretatiuè velle; consensus namque voluntatis interpretatiuus posita plena rationis aduertentia sufficiens est ad mortale, vt plerique tradunt. Secunda tenet nullum adesse peccatum, ita Conradus, & alij 1. 2. q. 74. Mea sententia media est, quod scilicet voluntas in casu dicto negatiuè se habens sine iusta causa, mortaliter peccet, secus si iustam habet talis suspensionis causam; tunc autè volútas iustam habet causam non reprimendi tales motus; sed illos permittendi quando vt illos reprimeret deberet ab aliquo necessario, vel vtili opere cessare. Vnde qui recitans officium, vel coronam, vel studet, &c. aduertit motus illos insurgere, potest suam prosequi recitationem, nihil de illis curando. Similiter si credat melius illos superare, illos sic contemnendo, eo quod tunc virtualiter censetur illos respuere. Nauar. cap. 11. num. 12. Imò puto teneri

aliquando voluntatem non conari ad tales motus reprimendos, quando probabiliter crederet ex tali conatu, motus illos fieri vehementiores.

116 Aduerte sextò, non esse malam illam delectationem, quæ pro obiecto habet veritatem, cognitionem, vel artificium operis cogitati. Ita S. Thom. 1. 2. q. 74. ar. 8. Ratio est, quia actus ille, quo cognoscitur veritas, subtilitas, artificium, modus, &c. non est malus, ergo neque delectatio, quæ de illo habetur; delectatio namq; talis est, quale est obiectum à quo sumitur, cum secundum se mala non sit: ratione tamen periculi mala esse posset.

117 Aduerte septimò, morosam delectationem nõ desumere suam ab obiecto specificationem secundum quod est à parte rei, sed secundum illam rationem secundum quam apprehenditur. Vnde si quis delectetur de inimici occisione, qua inimicus est, solum, illa delectatio, odij continet malitiam, non iniustitiæ: si quis delectetur de alie-

na

na coniuge, non qua aliena, sed qua pulchra; solius fornicationis est reus, non adulterij. Non sic actus efficax, quia iste fertur in obiectum prout est à parte rei circumstantionatum. His positis ad difficultatem propositā? Respondetur affirmatiuè: ratio patet ex dictis, quia delectatio, operis sequitur conditionem, & qualis est actus, talis est delectatio; sed matrimonialis copula ex cuius cogitatione sequitur delectatio nō est mala; ergo neque delectatio mala erit, procedit hæc responsio non solum de delectatione partis rationalis; verum etiam sensitiuè, ut si coniux in alterius absentia delectaretur de ipsa sensus delectatione, etiam cū membrorum alteratione &c. quia hæc coniugatis non sunt illicita.

118 Secunda difficultas, an tactus, aspectus, verbaque turpia inter coniugatos sint licita, secluso pollutionis periculo, extra vas! Certum est, quod si dicta ponantur à coniugibus ut præambula, seu ut præparatiua ad copulam, seu

ut incitatiua, licita sunt, cui enim licet finis, & media ad eundem finem conducentia sunt licita. Si autem referantur ad captandam maiorem in copula delectationem, venialia sūt, sicut & copula ipsa venialis est quādo taliter fieret ob delectationem, quod alij matrimonij fines excluderentur. Item illi tactus turpes, aspectus, &c. liciti sunt quando sunt in mutui amoris indicium. Difficultas solū est, quando tactus, &c. inter coniugatos, ob solam voluptatem captandam, excludendo vltiorem ad copulā relationem, & excludendo ceteros fines bonos sint peccata mortalia? Respondetur negatiuè, sicut enim matrimonij status facit non esse copulam mortalem ob solam delectationem, ita nec tactus, verba turpia, &c. Idem dicendum quando cōiuges se ipsos tangunt, aspiciunt, &c. quod scilicet nō sint peccata mortalia, quando abest pollutionis periculum, & ad copulam illicitam non referuntur. Petes, an oscula, tactus, &c. sine coniugibus licita, quando nō

possunt conjugalem actum exercere? Respondetur affirmatiuè, vt si copula exerceri nequeat ob corporis ægritudinem, ob periculum abortus, ob affinitatem contractâ, ob quam iure petendi priuatur incestuosus; ob impedimentum superueniens matrimonio. Secus quando matrimonij vsus interdiceretur ob dubietatem de invaliditate illius, tunc enim Ecclesia interdicens matrimonij vsum censetur etiam media ad illû vsum interdicare; oppositum tamen sua non caret probabilitate, quia sicut sponsalia dant ius ad istos actus, ita & matrimonium dubium, cum maius ius ex hoc, quàm ex illis oriatur. Excipiuntur etiâ ista quando coniuges ex communi consensu absolutam vouerunt castitatem, cum certum sit istos actus castitati aduersari, secus si solam vouissent à coniugali copula abstinentiam.

119 Tertia difficultas, an possint coniugati se tangere, osculari, &c. quando præuident, sed non intendunt sequi pollutionem extra vas? Cer-

tum est apud omnes, quod quoties pollutio ex causa sequitur necessaria, vel conuenienti, seu utili corpori vt est cibus, & potus moderatus: vel animæ, vt est studere, confessiones audire, honestam foeminarum cõuersationem admittere, &c. nulla culpa fit ab illis actionibus non desistere, etiam si inde pollutio sequutura præuideatur. Ita D. Tho. 2. 2. q. 154. art. 5. & alij communiter. Hinc sequitur non esse peccatum equitare, etiâ si pollutio ex agitatione sequutura præuideatur, intellige semper sine consensus periculo. Similiter non peccat, qui secundum patriæ morem foeminâ tangit, vel osculatur, vnde ob hoc consului quemdam non teneri abstinere à saltatione propter præuisionem pollutionis, quam aliàs passus erat ex simili actu sine consensu. Item non peccat qui ad sedandum partium verendarum pruritus, vel ad illas purgandas se tangit, præuidens inde sequi pollutionem. Est etiam certum tunc esse peccatum mortale ratione pollutionis præuisæ, & non inten-

intenzæ, quando absque vrgenti necessitate ponitur actio turpis, per se ad actus venereos excitandos tendens, in pollutionemq; notabiliter influens; secus si non tendat ad actus venereos grauiter excitandos, seu in pollutionem notabiliter non influat; etiam si aliàs actio illa ex qua pollutio sequutura præuidetur in se peccatū mortale sit. Vnde si quis voluntariè inebrietur, præuidens, quod ex illa ebrietate sequutura sit pollutio, peccat quidē peccato ebrietatis, nō peccato pollutionis, nisi intenta sit. Sed dices si quis inebrietur præuidens quod in ebrietate sit sequutura homicidium peccat peccato homicidij, etiam si non intendat illud; ergo pariformiter, si quis præuideat, quod ex eadem ebrietate sit sequutura pollutio, peccabit peccato pollutionis, etiam si illam non intendat? Respondetur concedendo Antecedens, & negando consequentiam, ratio discriminis est, quia homicidium siue in se, siue in causa volitum, formalem, & obiectalem retinet homicidij

rationem, etiam si non intendatur, quia semper retinet quod sit hominis occisio; at vero pollutio nisi in se, vel in sua causa adequata intendatur, pollutionis non retinet rationem, sed potius quandā naturalis euacuationis rationem, alioqui in nullo casu permitti posset pollutio præuisa, quod vt patet, falsum est; natura namque ius habet expellendi illum humorem, neque ex tali expulsionem damnum proli sequitur, & ratio est, quia sola illa expulsio est proli damnosa, ex qua apta nata est sequi generatio; atqui ex illa naturali expulsionem, generatio non est apta nata sequi; ergo ex illa damnum proli non sequitur; Minor clara est, quia illa seminis expulsio generationi est apta, quæ fit per appetitum per se tendentem ad coitum, non quæ fit per rationis præuisionem, cum rationis præuisionem notabiliter saltem non influat in pollutionem. Vnde omnis actus turpis contra sextū præceptum, mortaliter malus, est causa adequata, vel notabiliter influens in pollutionem,



non aspectus, non verba turpia, cum hæc ex genere suo peccatum non excedant veniale: & sic, si quis prævideat quod ex aspectu coitus animalium debeat sibi sequi pollutio, non tenetur sub mortali à tali aspectu abstinere, nisi sit periculum consensus in pollutionem; idem dic de aspectu mulieris pulchræ, &c.

120 His positis ad propositam difficultatem respōdeo, posse coniuges se tangere, osculari, &c. etiamsi prævideant sequi pollutionem, dummodo absit consensus periculum. Ratio est, quia licet iste actiones secundum se ad copulam excitandam conducant, & in pollutionem notabiliter influant, tamen coniugatis non prohibentur, imò conceduntur in ordine ad eandem pollutionem intra vas ponendam, & est per accidens, & præter intentionem, quod extra vas sequatur, ac proinde peccatum mortale non erit.

121 Quarta difficultas, an liceat coniugatis delectari de alieno, vel aliena vxore, vel soluta sub conditione si esset sua? ut si quis dicat; si talis

esset mea vxor vellem illam cognoscere, tangere, osculari, &c. & de hoc delectatur? Respondetur quod si loquamur de delectatione capta in appetitu rationali præciso periculo vltioris consensus, non est mala, ratio est, quia tunc voluntas non tendit in rem malam, sed in bonam, prout illa conditione vestitam; conditio namque illa, omnem affert iniquitatem. Hanc rem solent aliqui sic explicare, quod scilicet tunc liceat delectari in appetitu rationali de aliqua re, conditione vestita, quando conditio ponit illam rem in eo statu in quo, prout sub illa stat conditio, non est mala, vel ponit ipsum delectationem in eo statu in quo res illa mala sibi non esset. Exemplum primi, quando scilicet conditio se tenet ex parte rei de qua quis delectatur; ut si quis dicat, si talis res esset mea, vellem illam destruere; & de hoc delectatur, tunc nullum est peccatum talis delectatio, imò volunt aliqui hoc procedere de quacunque re quavis intrinsecè mala, quia quamuis conditio effectiue nequeat

nequeat malitiam excludere, affectiuè tamen potest, vnde volunt hos actus nõ esse malos: *si non esset peccatum occidere inimicum, occiderem, & volunt hoc posse desiderari, scilicet nõ esse peccatum occidere inimicũ, fornicari, &c.* &c. subinde de istis obiectis sic illa conditione vestitis delectatur; si enim desiderij actus versari possunt circa illa obiecta vt tali conditione vestita, ita poterit versari complacentia, vel delectatio voluntatis. Exemplum 2. quando scilicet conditio se tenet ex parte delectationis, vel appetentis, vt si religiosus dicat *si non essem religiosus vellem ducere uxorem, & de ea quam duceret, vt de sua, delectatur in parte rationali, tunc non peccat quia in eo statu per illam conditionem se ponit, in quo sibi liceret uxorem ducere, & delectari.* Cauendum tamen à periculo: si vero dicat *si essem secularis vellem talem occidere,* tunc peccat quia illa conditio in eo statu ponit in quo adhuc occisio illicita esset: non peccaret tamen si per talem dicendi modum solum

significare vellet suam malã propensionem. Igitur vt verbo vno rem totam dicam, dico cõditionem ex parte obiecti posse totam auferre malitiam, etiamsi aliàs res intrinsecè mala sit, at vero conditio quæ se tenet ex parte subiecti solum aufert malitiam, quando conditio ponit subiectum in eo statu in quo res sibi illicita esset.

122 Si vero loquamur de delectatione, quæ in parte capitur sensitua, est maior difficultas, nam aliqui absolute dicunt non posse sensum delectari de aliqua re mala sub cõditione si mala, si prohibita, si illicita non esset: fundamentum est, quia sensus non potest tendere in rem conditione vestitam, cum phantasia, & extimatiua nequeant rem sub conditione vestitam, sensui, seu appetitui proponere. Nihilominus nõ videtur posse negari, quod etiam in appetitu sensituo dari non possint delectationes conditionatæ. Pro quo aduertè, quod licet phantasia non possit propriè affirmare, vel negare, quod necesse-

cessarium est, ad hoc ut res sub conditionis statu proprie ponatur, ut cum dicitur *si esset mea, vel si non esset mea*; potest tamen phantasia apprehendere rem affirmatam, vel negatam, ac subinde poterit apprehendere (ut ita dicam) rem sub cōditione substantem; imò phantasia hominis, ut docent plures Thomistæ, potest etiam habere aliquam affirmationem, vel negationem circa singularia. Rem exemplis explicemus, potest quis per phantasiam apprehendere se esse sacerdotem, & cum magno applausu, & concursu, foeminarum audire confessiones; nemo, ut puto, negabit, quod non possit iste de tali audicione delectari. Potest quis apprehendere se esse Cardinalem, & magna comitante cetera per civitatem incedere cum bireto rubeo in capite, cauda longa protrahata, & de hoc in parte sensitiva delectari potest. Apprehendere potest religiosus se esse Generalem, & quæ sunt generalis perficere, &c. & de hoc in parte sensitiva delectatur;

ergo etiam apprehendere poterit se esse vxoratum, & quæ vxorati sunt perficere: de hoc nulla esse potest dubitatio. Solum dubitatio est, an sicut non peccat religiosus, qui se apprehendit Generalem, & quæ Generalis sunt perficientem, & delectantem; & sicut non peccat qui se apprehendit Cardinalem, & quæ Cardinalis sunt perficientem, & delectantem; & sicut non peccat sæcularis qui se apprehendit sacerdotem, & quæ sacerdotis sunt exequentem; ita similiter non peccet solutus, vel religiosus, qui se apprehendit vxoratum, & quæ vxorati sunt exequentem, & delectantem. Quidam sacerdos sæcularis, ob has, & similes rationes non solum affirmatiuam defendebat sententiam, sed etiam executioni mandabat, dormiedat nãque continuo cum quadam soluta; quam de hac doctrina, pessimè instruxerat, & sic se tangebãt, amplectabantur, osculabantur, &c. uti faciunt vxorati excepta copula, quæ per spatium plurium annorũ sequuta non fuit, & quia aliquan-

quando sequebatur pollutio, illam excusabant sicut faciūt vxorati, quando præter intentionem ex tactibus, osculis, &c. sequitur. Vt ergo rem hanc percipias nota, quod res de quibus appetitus sensitius delectationem capere potest, sunt in duplici differentia; quædam enim sunt, quæ in sua ratione formali, seu obiectali turpitudinem, seu defornitatem non afferūt, sed in bonum sonant, licet vt rectè fiant aliquando conditione aliqua egeant, vti est confessiones audire; hoc nãque secundum suam obiectalem rationem malum nõ est, imò bonum; vt tamen executioni mädetur sacerdotij, & potestatis requiritur conditio, quæ conditio tunc temporis à sæculari in casu dicto apponitur, cum se sacerdotem apprehendat, cum sua iurisdictione, ac proinde de tali auditione eo casu delectari sine peccato potest. Idẽ die de illo qui delectatur de eo quod à Cardinali, & Generali exequitur; cum enim secundum se malum non sit, potest de eo esse delectatio,

posita Cardinalatus, vel Generalatus conditione, quæ sufficienter per phantasiam apprehendi potest; &c. Ar vero res venereæ, homicidium, furtum, &c. Obiectalem afferunt malitiam, quæ auferri non potest, nisi per conditionis appositionem, se tenentem ex parte obiecti, in quam conditionem non tendit appetitus sensitius, cum eius obiectum non sit illa conditio, sed bonum ipsum delectabile; & dato quod etiam aliquo modo posset appetitus tendere in cõditionem, principaliter semper tamen tenderet in bonum illud delectabile turpe, quod non licet. Non sic appetitus rationalis, cum enim possit tendere tum in conditionem, tum in bonum delectabile, poterit in hoc secundum tendere, non secundum se, sed prout stat sub illa conditione, & tunc est magis tendere in conditionem, quam in bonum delectabile, cum hoc ratione conditionis attingatur; non sic sensitius appetitus, qui bonum sensibile ratione sui appetit, & conditionem ratione illius.

Hinc

123 Hinc deducitur, quid dicendum sit ad illam quaestionem, an vidua delectari possit de copula praeterita cum suo viro habita, & sponsus de copula futura cum sua sponsa habenda, nam in parte rationali id fieri potest, non in parte sensitiva; nam appetitus rationalis in rem praeteritam, & futuram ferripotest, non sensitivus, qui tendit in rem praesentem; licet enim phantasia, & extimativa possint apprehendere rem praeteritam, & futuram, ut patet de extimativa, & phantasia bruti, quae apprehendit pabulum praeteritum, & futurum, licet non sub ratione praeteriti, & futuri, non tamen appetitus, & delectatio venerea, quae in rem praesentem fertur. Sed petes an inter sponso oscula, amplexus, & tactus non omnino impudici liceant? Respondetur affirmatiue, cum enim sponsalia sint matrimonij initium, afferent ius ad matrimonij consumationis initia, uti sunt oscula, amplexus, &c. & sic

cum istis sponso sint licita dicta consumationis matrimonij initia, licebit etiam de illis apprehensis etiam in parte sensitiva delectari, cui enim licitum est opus etiam operis licita est delectatio. Hic solent aliqui tractare de luxuriae peccatis quae inter solutos esse possunt praesertim circa tactus amplexus, oscula, verba turpia, qualia scilicet peccata sint inter solutos, an in materia luxuriae detur paruitas materiae, ut vult Sanchez disp. 26. num. 9. quanam liceat facere cum alijs animalibus, an scilicet liceat eorum pudenda confricare ex curiositate, videndi eorum semen, ut vult idem auctor ibidem; an liceat illos abortire, &c. tamen ista propraam habent sedem in 1. 2. ubi Deo dante fuse explicabuntur, interim si quis ea scire voluerit videat eundem Sanchez, sed caueat a quibusdam illius auctoris sententij praesertim ab illa de paruitate materiae in luxuria.

# DISPV TATIO

## O C T A V A

### *De Diuortio.*

**H**ucusque naturā, obligationem, aliosque matrimonij effectus, vsunque explicuimus, modo restat vt aliqua, eaque necessaria, breuiter dicamus de eiusdem matrimonij solutione, non quidem quoad vinculum; quia, vt supra vidimus, licet matrimonium ratum dissolubile sit per religiosam professionem, & per Pontificis potestatem, non tamen consumatū, quod nulla humana potestate dissolubile est, vt supra docuimus, sed quoad torum, seu cohabitationem, quæ solutio diuortium vocatur, quia coniuges retento, seu seruato ma-

rimonij vinculo à se mutuo diuertūt. Quod dupliciter fieri potest. Primo quando ex mutuo cōsensu vterque religionem ingreditur, aut vnus religionem ingreditur, & alter sacris initiatur Ordinibus, aut vnus religionem ingreditur, & alter in sæculo manet cum simplici castitatis voto; & de his diximus supra suis locis. Secundo, quando vnus, alterum à sua cohabitatione, vel toro excludit, & hoc propriè diuortium est, & qui excludit dicitur diuortium facere, & de hoc diuortio in hac disputatione agemus: sit ergo.



## Q V A E S T I O I.

*An diuortium licitum sit ratione  
adulterij.*

**D**E fide est licitū esse viro suam dimittere vxorem ob adulterium, seu ob fornicationem (fornicatio namque in coniuge adulterium est) constat ex cap. 5. & 19 Matt. vbi dicitur: *Quicumque dimiserit vxorem suā, nisi ob fornicationem & aliam duxerit mechatur, constat ex cap. significasti. ex cap. Gaudemus, & ex cap. ex litteris, de diuort. Difficultas est an idē facere possit vxor quādo maritus adulteratur; ac proinde vir, & vxor in hoc sint pares; negat Caiet. in illud Matt. 19. vnde vult posse quidem virū dimittere vxorem adulterantem, non tamen vxorem posse dimittere virum adulterantem. Potissimum Caietani fundamentum est, quia Christus Dominus hanc solam facultatem viro facit, non mulieri.*

3 *Nostra sententia sequē-*

*ti explicatur conclusione. Vir, & mulier in causa diuortij sūt equales, ac proinde non solum vir potest vxorem dimittere adulteram, verum etiam mulier virum adulterum. Hæc cōclusio est expressa D. Thomæ sententia in 4. dist. 35. art. 4. in corpore vbi sic loquitur. In causa diuortij vir, & vxor ad paria iudicantur, vt idem sit licitum, & illicitum vni quod alteri, non tamen paria iudicantur illa, quia causa diuortij est maior in vno, quā in alio, cum tamen in vtroque sit causa sufficiens ad diuortiū. Diuortium enim est pœna adulterij in quantum est contra matrimonij bona; quantum autem ad bonum fidei ad quā coniuges equaliter sibi inuicem tenentur, tantum peccat contra matrimonium adulteriū vnius sicut adulterium alterius, & hæc causa in vtroque sufficit ad diuortium sed quantum ad bo-*

*num*

nam prolis plus peccat adulterium uxoris, quam viri, & ideo maior causa diuortij est in uxore, quam in viro. D. Thomā sequuntur Theologi omnes, vno excepto Caietano.

4 Probatur primò, quia vbi eadem militat ratio, eadem militare debet dispositio; sed tam in viro adulterate, quam in foemina militat eadem diuortij ratio, ergo eadē militare debet dispositio. Minor probatur; nam ratio ob quam vir vxorem potest dimittere ob adulterium est, quia per illud matrimonij fides violatur; atqui eadem fides per viri adulterium violatur; ergo &c.

5 Probatur secundò, nam naturæ ius dicit, quod *frangenti fidem: fides frangatur eidē* cap. *peruenit*, de iure iurādo, cap. *si infidelis* 28 q. 2. & L. *si conuenerit*. ff. pro socio; sed per adulteriū vir non minus frangit fidem vxoris, quam e contra; ergo non minus poterit vxor dimittere virum, quam vir vxorem, quando adulteratur. Quæ rationes probant talem dimissionem nō solum esse iuris diuini positui, verū

etiam naturalis, cum matrimonij natura talem eo casu admittat dimissionem. Et sic cum ista non sit pura pœna, non requirit monitionem, sed sed eo ipso, quod alter adulteratur, ianocens potest diuortij petere. Vnde authent. *ut liceat matri*, disponens, quod vxor virum non repudiet ob adulterium, videtur iure Canonico reuocata, cum hoc iure vir, & vxor sint pares, & vir vxorem monere nō teneatur, vt patet ex tex. supra cit. Præscribitur autē ius accusādi de adulterio, quoad pœnam ciuilem, & criminalem quinquenio L. *adult.* 5. C. ad legem Iuliam; quoad diuortium vero petendum, nunquā præscribitur cap. *admonere*, 33. q. 2. Ad Caietani fundamentum dicitur, quod Christus Dominus solam facultatem uiris cōcessam expræssit, quia frequenter viri vxores dimittunt fornicarias, vxores vero raro dimittunt viros fornicarios.

6 Sed quæres primò, an sodomia, bestialitas, & alia peccata contra naturam, sufficientem præbeant diuortij



causam? Respondetur solam sodomiam, & bestialitatem præbere sufficientem diuortij causam, non alia peccata contra naturam; ratione assignat Sotus dist. 36 q. vn. art. 1. quia per sodomiam, & bestialitatem perfectè matrimonij fides violatur, cum per illa peccata caro diuidatur, nõ sic per alia peccata contra naturam; cum enim matrimonium vnã carnem efficiat iuxta illud *erunt duo in carne vna*, id propriè, & perfectè contra matrimonij fidem aduersatur per quod caro diuiditur, per solam autem sodomiam, & bestialitatem fit carnis diuisio non per alia peccata. Vnde vxor non habet ius dimittendi maritum ob sodomiam cum ipsa, etiã si vi sit illam passa, nisi forte ad tempus, vt vir emēdetur. Hinc patet, non esse bonam illorū rationem, qua hoc probant, quia inquam, potest vxor dimittere virum ob fornicationem; ergo etiam ob sodomiam quæ maius peccatum est. &c. nam si hæc ratio esset bona probaret etiam de quocunq; alio peccato contra naturam, cum omnia sint, maiora pec-

cata, quam adulterium, vt probat D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 12. Tum quia in lege pœnali non valet argumentum à simili, neque ex identitate rationis, neque à minori ad maius, &c. Castro de Leg. pœn. lib. 1. cap. 17. nec in pœnis fit extensio &c. vide Sanchez lib. 10. disp. 4. nu. 3.

7 Quæres secundo, an dentur aliqui casus in quibus diuortium celebrari non possit, ob coniugis adulterium? Respondetur affirmatiuè, & enumerantur à D. Thoma. 4. dist. 35. art. 1. in corpore, vbi habet: *Excipiuntur septem casus, in quibus non licet viro uxorem dimittere fornicantem, in quibus vel vxor à culpa immunis est, vel utrique sunt equaliter culpabiles. Primus est, si vir similiter fornicatus fuerit; secundo, si ipse uxorem prostituerit; tertio, si vxor virum suum moruum probabiliter credens, propter longam eius absentiam, alteri nupsert; quarto, si latenter cognita ab aliquo sub specie viri lectum subintrante; quinto, si fuerit vi oppressa; sexto, si reconciliauerit eam sibi post adul-*

adulterium perpetratum carnaliter eam cognoscens ; septimò, si matrimonio infidelitate utriusque contracto, v r dederit uxori libellum repudij, & vxor alteri nupserit, tunc enim si utriusque conuertatur tenetur eam vir recipere. Hos casus delumfit Angelicus ex diuersis iuribus canonicis. Primus namque habetur cap. *significasti*, de diuortijs, cap. *intelleximus*, & cap. *fin* de adult. L. *viro, atque uxore*, ff. soluto matrim. Et de hoc casu sequenti dicemus quaestione, quia longiorem requirit indaginem. Secundus casus, quando scilicet vir vxorem prostituit habetur cap. *discretionem*, de eo qui cognouit consanguin. Non est autem necesse ad hoc vt vir nõ possit vxorem prostitutam dimittere, quod illam prostituerit nolentem, verum etiam consentientem, cap. *citato, discretionem*. Ratio est, quia tunc vxor adulterando, non infert marito iniuriam, cum in tale adulterium cõsentiat. Imò idem dicunt Syl. v. *diuortium*. Sotus 4. dist. 39. qu. vn. art. 1. & alij quando vir con-

scijs adulterij vxoris potuit prohibere, & non prohibuit. Idem esset si causam dedisset adulterij negando debitum. Sa. v. *diuortium*, secus esset si ob aliquam occasionem absens fuit, & illa interim fornicetur: similiter si vxor ob viri sæuitiam fugiat, & adulteretur, tunc enim dimitti nõ posset. Sanchez lib. 10. disp. 5. nu. 10.

8 Tertius casus quando vxor probabiliter credens virum suum esse mortuum alteri nupsit, habetur ca. *cum, per bellicã*, 34. q. 2. & L. *uxor*. 7. C. de repud. Et ratio est, quia cum tunc vxor formaliter non adulteretur, sed tantum materialiter, dimitti non potest; vbi enim culpa non est, nec pœna poni debet. Castro *de lege pœnali* lib. 2. c. 4. Posset tamen dimitti quando certificata de viri vita, in secundo perfisteret matrimonio, quia eo casu adulterium culpa non vacaret. Syl. v. *diuortium*.

9 Quartus casus, quando vxor fuit ab aliquo sub specie viri, &c. cognita, vt accidit Jacob cum Lia Gen 29. habe-

habetur cap. *in lectu*, 34. q. 2: Ratio est, quia sicut tunc bona fides excusat ab adulterij culpa, ita & à pœna. Probatur autem bona fides sic adulterantis per ipsius iuramentum, attenta, qualitate, & honestate mulieris, & alijs circumstantijs. Host. in summa tit. de diuortijs nu. 8. c. 3.

10 Quintus casus, quando vxor fuit vi oppressa habetur cap. *ita*, & cap. *proposito*, 32. q. 5 ob rationem dictam, quia cum vacet culpa, etiam pœna vacare debet. An autem adulterium ob metum factum ab hac dimissione excuset, negat Sanchez n. 16. quia cum talis metus non excuset à culpa, neque à pœna excusabit? Sed oppositum verius videtur, quod docet Syl. v. *adulter*. q. vlt. Rosella, Armilla, & Tabiena eodem v. qui ampliant, quando fœmina graui metu oppressa ob infamiae timorem non clamauit. Ratio est, quia plura requiruntur ad incurrendam pœnam, quam ad contrahendam culpam: ergo licet metus non excuset à culpa, excusabit tamen à pœna; cum

enim hæc pœna sit grauissima, non sufficiet quæcunque culpa, sed omnino libera, & sine metu contracta. Tum quia vbilex dolum requirit, culpa non sufficit, L. 1. ff. de *ficar.* & L. *in actionibus*, ff. de *in litem iur.* & L. *quod Nerua*, ff. de *depositi*; Sed adulterium vt dimissionis pœnam inducat, dolum requirit, L. *penult.* ff. ad *Legem Iul. de adult. ergo per solum metum, dimissionis pœna non incurratur.*

11 Sextus casus, quando coniux innocens alteri recõciliatur cõdonando culpam, habetur L. *si maritus*, 25. S. si negauerint, ff. ad *legem Iul. de adulter.* Ratio est, quia cum hæc pœna in innocentis fauorem sit inducta, ab eodem innocente relaxari, vel condonari potest. Potest autem hæc remissio fieri, vel expressè, vel tacitè; expressè quando innocens verbis expressis talem facit condonationem: tacitè quando innocens adulterij concius nocentem à consortio maritali non excludit, vel exclusum admittit, de quo q sequenti §. *quæres 9.*

Septimus casus, quando matrimonio in infidelitate contracto dedit alter libellum repudij, &c. habetur expresse cap. *Gaudemus*, de diuortijs in fine. Ratio est, quia infideles existimant matri-

monium per libellum repudij dissolui, ac proinde adulterium tunc temporis patratum censetur culpa vacare, ac proinde si ambo conuertantur non poterit innocens, nocentem dimittere.

## Q V A E S T I O II.

*Quid requiratur ut fiat mutua inter coniuges compensatio, ne vnus ab alio dimittatur, ubi de adulterij pœnis, & compensatiōe.*

12 **T**Vnc fit mutua coniugum compensatio quando sunt paria eorum delicta; paria namque delicta mutua compensatiōe abolentur cap. *significasti*, de diuortijs, cap. *intelleximus* cap. *fn.* de adult. & *L. viro*, atque *uxore*, ff. soluto matrim. Vnde quando contingit vtrumque cōiugem ante latam diuortij sententiam, fornicari, neutri licet ab alio discedere, sed mutua compensatiōe

adulteria illa abolerant; debet tamen vtrumque adulterium esse liquidum, nam si vnum liquidum sit, non aliud, mutua fieri nequit compensatiō; debiti namque liquidi ad nō liquidum, non fit compensatiō *L. fn.* C. de compensat. & debet vtrumque esse consummatum, vt fiat carnis diuisio, cum solum ratione huius, coniugis dimissio concedatur, vt q. præcedenti docuimus. Non est tamen necesse,

cesse, quod peccata sint eiusdem speciei v.g. fornicationes, sodomix, bestialitates: sed sufficit quod sint diuersæ speciei, vnde si vnus adulteretur, & alter sodomiam committat, vel bestialitatem, compensatio fiet; quod enim vnus delictum sit alio grauius, parum refert ad rem, cum in re præsentis non ad delicti grauitatem attendatur, sed ad carnis diuisionem. Similiter mutua fiet compensatio siue delicta fuerint plura in vno, quàm in alio, vt si vnus solum semel sit fornicatus, & alter pluries; siue ambo sint manifesta, siue ambo occulta, siue vnum delictum sit occultum, & alterum manifestum. D. Tho. dist. 35, art. 9. ad 5. & alij communiter. Quod si reconciliatione facta alteruter in fornicationem incidat, poterit innocens ab altero recedere ratione noui delicti. Sotus vbi supra & alij. Imò si alter sit fornicatus & delictum remittat, si postea ipse adulteretur, non poterit alteri diuortium petenti, condonatum obijcere adulterium.

13 Sed petes, an quando vterque cõiux est fornicatus, & mutua non fuit posita reconciliatio, sed solum alterius emendatio, possit coniux emendatus ab altero in fornicatione persistente diuertere? Respondetur affirmatiuè quando alter admonitus in adulterio persistere vult. Ratio est, quia illa monitio vim habet reconciliationis, qua facta integrum erit emendato, vt innocenti, ob persistentiam alterius recedere. Syl. v. *diuortium*, & alij communiter.

14 Sed quæres primò, quænam sint adulterij pœnæ, de quibus mutua fieri potest compensatio? Adulterium, pœnas habet tum ciuiles, tum criminales: prima ciuilis pœna vxor is adulteræ est, vt dotem perdat siue solutam siue soluendam, & viro accrescat cap. *plerumque*, de donat. inter vir. & vxor. L. *consensu* C. de repud. L. *unica*, S. taceat. C. de rei vxorix act. L. *miles* S. *focer.* ff. ad leg. Iul. de diuort. Amplia primò, vt intelligatur siue vir vxor è de adulterio accuset ciuilitè, si-

ne

ne criminaliter Couar. 4. decret. 2. p. c. 7. §. 6. nu. 4. Amplia secundo, vt procedat etiam de sponsa de futuro, & de vxore, ante matrimonium consumatum. Limita vt vir non lucretur dotem ob adulterium, si propria auctoritate eam adulteratam interrimat. Couar supra nu. 7. Ratio est, quia æquum videtur, quod qui sibi propria auctoritate ius dicit, etiam lege permitte, legale commodum minime consequatur. *L. interdum*, §. qui furem, ff. de furtis.

15 Secunda pœna, quod vxor adulterans dotalitia amittat, id est res donatas causa nuptiarum cap. *plerumque* citato. Abb. & alij ibidem. Imò Iulius Clar. lib. 5. recept. §. adult. nu. 15. Bossius practica Crimin. tit. de coitu damnato. Anton. Gab. cõmu. lib. 1. & alij eam pœnam ad bona vxoris parapherna extendunt. Vxor vero ob viri adulterium lucretur donationem causa nuptiarum *L. consensus*, §. si vero, c. de repud. Iulius Clar. supra. Sed petes primò, an iste pœnæ iudicis requi-

rant sententiam? Respondetur affirmatiuè, patet ex dictis supra in simili de pœnis; quod adeo verum est vt non teneatur adultera pœnam subire si falsis testibus, vel alio modo se defendat, licet teneatur ad expensas ratione litis factas, vt in simili docet Nauar. cap. 18. nu. 49. de reo qui falsis testibus se tuctur ne ad pœnam condemnatur, nã ad expensas, quas iussè accusans facit, tenetur. Petes secundo, quinam sit iudex competens ad iudicandum de adulterio? Respondetur, quod in ordine ad diuortium faciendum solus iudex ecclesiasticus est competens D. Thomas dist. 35. art. 3. ad 5. quoad pœnam vero criminalem solus iudex secularis iudicat, & quoad pœnam ciuilem vterque; quando vero coram iudice Ecclesiastico de diuortio cepta est, ad eundem spectat, iudicium dotis, & alimentorum. Couar. Iulius Clar. supra, & alij. Petes tertio, an possit vir simul & semel vxorem adulteram accusare ciuilitè, & criminaliter? Respondetur nega-

N n n n tiuè

tiue sed vnum post aliud. *L. unica, C. quando ciuiliis actio criminali præiudicet, & L. interdum, 4. ff. de publicis iudicijs;* poterit quidem dum agitur principaliter de vno, incidenter agere de alio; vt dū quis alium criminaliter de furto accusat rem sublatam repetit. Maranta in practica crimin. 4. par. dub. 1. num. 9. & alij.

16 Poena criminalis adulterij vxoris in lege veteri erat lapidatio, lege vero ciuili est interfectio, vt testatur D. Th. dist. 37. q. 2. art. 1. vbi inquirens, an liceat viro, propriam interficere vxorem; in adulterio deprehensam. Sic respondet in articuli corpore: *virum interficere vxorem contingit dupliciter, vno modo per iudicium ciuile, & sic non est dubium, quod sine peccato potest vir zelo iustitiæ, non liuore vindictæ, aut odij motus vxorem adulteram in iudicio seculari accusare criminaliter de adulterio, & pœnam mortis à lege statutam petere, sicut etiam licet accusare aliquem de homicidio, aut de alio crimine; non tamen talis accusatio*

*potest fieri in iudicio Ecclesiastico, quia Ecclesia non habet gladium materiale, vt in littera dicitur. Alio modo potest eam per semetipsum occidere non in iudicio conuictam, & sic extra actum adulterij eam interficere quantumcunque sciat eam adulteram, neque secundum leges ciuiles, neque secundum legem conscientie licet: sed lex ciuiliis quasi licitum computat quod in ipso actu tam interficitur, non quasi præcipiens, sed quasi pœnam homicidij non inferens, propter matrimonium incitamentum quod habet vir in tali facto ad occisionem vxoris; sed Ecclesia in hoc non est astricta legibus humanis, vt iudicet eum sine reatu pœna infligenda per iudicium saculare, & ideo in nullo casu, licet viro interficere vxorem propria auctoritate. Vbi plura habes. Primum, quod lege ciuili pœna mortis imponitur vxori adulteranti. Secundum quod vir iudicis auctoritate potest talē pœnā propriæ vxori infligere. Tertium licet posse virum criminaliter vxorem accusare, & pœnam mortis petere, sicut licet aliquem de homicidio*

cidio accusare. Quartum, numquam posse, nec permisit extra adulterium propria auctoritate vxorem adulteram interficere. Quintum, leges civiles permittere virum vxorem interficere dum illam reperit adulterantem. Sextum, esse peccatum id facere; per quod manet explosa illorum sententia, vt Lesij, Fagundes, quos alibi cito, & aliorum, qui dicunt probabiliter id fieri sine peccato posse, quia, inquit, eo casu vir vxorem propria non occidit auctoritate, sed publica, quæ eo casu sibi concessa censetur, & tunc vxorem occidit vt iustitiæ minister; sed non puto leges civiles constituisse viros, suos ministros, & iustitiæ exequutores contra proprias vxores causa non cognita. Certè si illa sententia verum haberet, daretur occasio multorum vxoricidiorum, cum quis facile posset fingere propriam inuenisse vxorem adulterantem cum aliquo, qui accepta pecunia aliò fugere posset.

17 Sed quares primò, an vir teneatur vxorem in fornicatione persistentem crimi-

naliter, vel saltem ciuilliter accusare, vt vel sic à mechia desistat? Dico primò, *communiter vir talem non tenetur nec accusare nec dimittere vxorē.* Ita cap. *quem admodum*, 25. de iureiur. §. vlt. Vbi dicitur: *iustus esse virum talem vxorem non accusare in ordine ad diuortium, sicut hoc iurauit, quia potest ei semper hoc crimen dimittere*: quod verum nõ efficit si teneretur eam accusare, vel dimittere. Ratio est, quia non tenetur ratione fraternæ correptionis, quia pro hac sufficit, quod eam moneat, ac moderatè, prout potest, puniat, alioqui vi fraternæ correptionis teneretur vir cælebs viuere, domum solus gubernare, &c. Nec etiam tenetur ratione scandali, quando adulterium notum est, quia sufficit, quod conetur constare, se curasse illius emendationem. Sotus dist. 36. q. vii. ar. 2. conclus. 2. Puto tamen teneri ad tēpus diuertere, si eo modo vxorem emendare potest, & sic scandalum si aliquod ex parte ipsius sit abradere valeat. cap. *si vir*, de adult. quod si nõ faciat censebitur vir ille



turpitudinis patronus, vt iura sonare videntur.

18 Quod si loquamur de vxore non videtur teneri à viro adultero diuertere, quia tunc tantū abest quod emendetur, quod grandiori animo, & libertate maiori in adulterio persistet. Si tamen casus daretur, quod per vxoris discessum vir emendaretur, ad id teneretur. Tenebitur tamē vxor precibus, & suauibus monitionibus si fructum speret, virum adulterum admonere.

19 Quæres secundò, an sicut vir potest criminaliter vxorem accusare, ita & vxor virum? Respondetur negatiue, potest quidem ciuilitè tū in ordine ad diuortium, tum in ordine ad amissionem dotalitiorum, non tamen criminaliter. Ita statuitur l. 1. ff. ad leg. Iul. de adul. & cap. *ad misericordem* S. publico iudicio. 32. q. 1. Abb. cap. *cum dilectus* num. 28. de ordin. cognit. & cap. *sua*, vbi etiam Ancharan. Imola, & alij. Vnde si vir vxorem accuset adulteram criminaliter, nō potest ipsa obijcere simile crimen, quia ex-

ceptio contra viram criminaliter non admittitur. Sotus dist. 36 q. vii. art. 4. & dist. 37. art. 3. Ratio est, quia multò detestabilior est fœminæ impudicitia, quam viri.

20 Quæres tertio, an diuortij sententia in rem transeat iudicatam, ita vt semel lata, & transactio appellacionis termino, qui est decenniū, neutri coniugi reclamare liceat? Respondetur transire in rem iudicatam quoad fauorabilia adulteri, non quoad odiosa ipsi adultero, & fauorabilia innocenti. Vnde innocens semper audiendus est, & nocens numquam. Host. cap. *de illa*, nu. 3. de diuort. vbi Ioan. Andre. Butrius, Præpositus, & alij canonistæ. Ratio est, quia diuortij sententia in innocentis fauorem est data; ergo ipsi non reo fauorabilis esse debet. Si tamen talis sententia iniusta fuisset, quia iudex deceptus fuit, tunc reus volēs suam probare innocentiam, est audiendus, nec eo casu videtur sententia in rem iudicatam transisse. Quod si reus suam probet innocentiam debet sibi cōiux restitui etiam si

ad religionem transisset, vel sacros suscepisset Ordines D. Antonin. 3. p. tit. 1. cap. 21. § 6. Palud. dist. 35. q. 2. art. 2. n. 18.

21 Quæres quartò, an si post latam diuortij sententiã contingat innocentem adulterari, mutua fiat delictorum compensatio? Respondetur negatiuè, si loquamur de iure actionis adulteri, bene si loquamur ex iudicis officio. Ratio primi quod scilicet eo casu adulter ius actionis non acquirat in innocentem desumitur ex argu. cap. *quod benè* 6. q. 4. vbi dicitur, *quod semel benè definitum est, minimè retractandum*; sed iam diuortij iu dicto casu est benè definitum per iudicis sententiã; ergo per rei actionem nõ est retractandum. Tum quia seruitus semel amissa non renascitur cap. *quæris*, de cõsecrat. dist. 4. & L. *Stichum* S. aream, ff. de solut. Sed per diuortij sententiã adulter amittit innocentis seruitutem: ergo per nouum delictum superueniens restitui nõ debet, vi actionis ipsius adulteri. Ratio secundi ex Bartoli doctrina desumitur L. 4. §. *hoc autem*

*iudicium nu. 6 ff. de damno infecto*, quod scilicet potest iudex vti officio suo in publicã utilitatem, in bonum miserabilium personarum, & ob alia pia, vt est animæ salus; ergo tunc iudex poterit innocentẽ cogere ob periculum ne nocens adulteretur ad habitandum cum nocente. Adde, quod delictum superueniens rei iudicatæ præiudicat ob animæ periculum, ex iudicis officio. Imò iudex debet talẽ eo casu ob bonum animæ facere restitutionem, etiam si à reo non interpelletur. Audiat quæso lector quomodo rem hanc clarissimis verbis explicet D. Thom. dist. 35. art. 6. ad 4. vbi dicit: *propter adulterium quod vir prius innocens post diuortium committit, secundum rigorem iuris, non debet cogi ad recipiendum uxorem adulteram: prius tamen secundum equitatem iuris iudex ex officio suo debet eum cogere vt caueat periculo animæ eius, & scandalo aliorum, quamuis non possit reconciliationem petere.*

22 Quæres quintò, an integrum sit innocenti post diuortij sententiã, adulterũ  
etiam

etiam inbitum, sibi reconciliare, ita quod teneatur adulteri coniuere, re integra ex parte vtriusque? Respondetur affirmatiuè, ita D. Thomas dist. 35. q. vn. art. 6. ad 3. vbi sic habet, *illud quod inducitur in fauorem alicuius, non facit ei praiudicium. Vnde cum diuortium sit inductum in fauorem viri, non aufert eius petendi debitum, vel reuocandi uxorem: unde uxor tenetur ei reddere, & ad eum redire si fuerit reuocata, nisi de licètia eius votum continentia emisserit.* Vbi vt vides vult Angelicus, quod cõiuix innocens per diuortij sententiam non priuetur iure, & dominio quod in adulteri corpus habet, cum talis sententia in sui fauorem inducta sit, alioqui sententia non innocenti, sed reo faueret cõtra *L. euidenter* 16. ff. de except. rei iudicatæ, quod enim in mei fauorem inductum est, non debet contra retorqueri. *L. quod fauore*, 6. C. de Leg. Nec poena reo immunitatem tribuere debet, *L. relegatorum* 7. ad finè ff. de interd. & relegat. vide Syluestrum v. *diuortium*, Turre-

cremat. cap. *Apostolus*, 32. q. 7. art. 1. num. 1. Dixi *quando res est integra*, quia si adulter statũ mutauerit de venia ipsius innocenti (sine namq; ipsius venia mutare statum non potest) non poterit amplius ipsũ reuocare, vt docet idem Angelicus in fine verborum allegatorum, alijque plerique. Dicunt tamen D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 21. S. 6. Syl. v. *matrim.* 6. q. 11. & alij, quod tunc coniux innocens censetur reo veniam concedere mutandi statum, quando post diuortij sententiam videt nocentem religionem intrare velle, & non contradicit.

23 Quæres sextò, an integrum sit coniugi innocenti debitum negare alteri adultero, propria auctoritate, an vero requiratur iudicis sententia? Aliqui affirmant absolute; alij solum quando delictũ non est notorium. Sed dicendum est cum Diuo Thoma posse coniugem innocentem alteri debitum negare, quando sibi etiam secretò constat de illius adulterio, audiat lector Angelica verba dist. & q. citata art. 3. in corpore: *vir*

*potest*

potest dimittere uxorem dupliciter. Vno modo quantum ad torum tantum, & sic potest eam dimittere quam cito sibi constat de fornicatione uxoris, proprio arbitrio, nec tenetur reddere debitum exigenti, nisi per Ecclesiam compellatur, & taliter reddens, nullum sibi preiudicium facit. Alio modo quantum ad torum, & cohabitationem, & hoc modo non potest dimittere, nisi iudicio Ecclesiae; & si alias dimissa fuerit, debet cogi ad cohabitandum, nisi possit ei vir incōtinenti fornicationem probare. hęc autem dimissio diuortium dicitur; & ideo concedendum est, quod diuortium non potest celebrari nisi iudicio Ecclesiae.

Vbi habes non solū propositionē difficultatis resolutionē, verum etiam alterius, quam hic proponunt plerique Theologi, an scilicet possit vir dimittere uxorem propria auctoritate quoad cohabitationem, habes nāque quod non, sine Ecclesiae iudicio. An autem in casu quo innocens per Ecclesiam ad debitum reddendum compelleretur, possit Ecclesiae non obedire, ac pro-

inde non esse coram Deo excommunicatum, cū talis sententiā falsē innitatur presumptioni? Affirmant probabiliter plures, quos refert, & sequitur Sánchez lib. 10. disp. 12. num. 6. nisi graue scandalum adsit in tali inobedientia. Et licet lite pendente in causa diuortij, quoad forum exterius nihil sit innouandum, sicut vniuersaliter de quacunque re, pendente lite, dicitur, vt constat ex toto tit. lite pendente nihil inuocetur; tamen in foro conscientiae innocens debitum reddere non tenetur, lite pendente. Aduerte tamen cum Soto dist. 36. q. vn. art. 9. Nauar cap. 2. num. 23. & alijs, quod licet coniux innocens non possit, vt cum Dico Thom. diximus, adulterā dimittere sine Ecclesiae iudicio; poterit tamen cessante scandalo in longinqua promeare, vbi matrimoniū ignoratur, quia tunc non est proprie diuortium facere, quod est uxoris expulsio, sed est mariti fuga, ne coniugi adulteranti conuiuere videatur.

24. Queres septimò, quam

noti-

noticiam adulterij habere debeat coniux innocens, vt in foro conscientiaē possit ab adultero diuertere, & in longinqua promeare? Respondetur sufficere certitudinem moralem quæ per ea habetur iudicia, quæ si in foro probentur externo cōvincerent adulterū de adulterio. Sotus dist. 36. q. vn. art. 3. & habetur cap. *dixit Dominus* 32. q. 1. vbi dicitur: *ubicunque est fornicatio, vel fornicationis suspicio, liberè dimittitur vxor.* Ratio est, quia adulterium est crimen, quod in occulto, & abdito loco committitur *L. consensu. C. de repudijs*, ac proinde difficilis est probationis, imò propriè probari non potest, sed eius probatio solis cōtentatur præsumptionibus. Quis enim probare potest esse adulterium consumatum, quale ad diuortium requiritur, etiamsi nudus visus sit supra nudam, & hoc per testes de visu deponatur, cum certè adhuc constare non possit de adulterio vtrinq̄ consumato, nam vt aduertit Mascard. *de probat. concl. 59. num. 4.* & Menoch. *de præsumpt. lib. 5. præsumpt.*

41. num. 12. fieri potest, vt vel foemina sit nimis arcta, vel vir impotens, vel si potens, seminet extra vas, &c. Ob hoc volunt omnes, hoc, & similia delicta non tam exactas requirere probationes. Vnde ob hanc eandem rationē cap. *ex litteris*, de præsumptionibus, determinatur ferri posse diuortij sententiam, ob adulterij suspicionem. Hæc tamen suspicio non debet esse leuis, sed violenta, vt dicitur cap. *litteris*, de præsumpt. ea autem suspicio violenta dicitur, vt docet Castro *de lege pæn. lib. 2. c. 4.* quæ vehementer coniugis suadeat adulterium, vt si nudus cum nuda in eodem lecto reperiantur, si soli recedere obseruentur ad loca secreta, ad latebras, tempore, & horis electis, & ibi soli remaneant quandiu adulterium committi possit; præsertim cum frequentatis vicibus id obseruatum fuerit. Similiter oscula, & amplexus alijs fulcita adminiculis violentam faciunt suspicionē, licet non sola; vnde si ex oculis, & amplexibus adminicula tis adulterium concludere-

deretur poena ordinaria imponi deberet, secus extraordinaria, vnde L. 1. ff. de extraordin. crimin. & cap. *solicitatores*, de poenis dist. 1. poena extraordinaria imponitur; alienæ vxoris sollicitatori, etiam si colloquia, & basia sola interuerint, vt notat Glos. L. citata. Adde non probari adulterum per xenia ab adultero, alienæ missa vxori, licet possint esse bonum adminiculum; vt si postquam inuenti sunt simul in secreto conuersari, postea mittantur xenia, vel si pauper sit, osculenta, & poculenta mittantur, &c. Nec probabitur adulterium, si quis gloriatur se cum aliena vxore cōcubuisse, quia non valet confessio in alterius præiudicium cap. 1. de cōfessis. cap. *significasti*; de adult. & L. *fin. C.* de accusat. Sufficiet tamen in omnium sententia si adultera alias bonæ famæ suam fateatur adulteriū, ita quod per talem confessionem sufficienter probatum censeatur, habetur expressè cap. *penult.* de adult. quando confessio facta est in iudicio Glos. ibidem; si autem con-

fessio fiat extraiudicialiter, sufficiens erit indicium ad torturam Mascard. de probat. concl. 350. Testes autem per quos hoc delictum probari debet, debent esse maiores, & non singulares Mascard. de probat. concl. 59. n. 17. & conclu. 65. nu. 1. vbi declarat an sint testes singulares, si vnus dicat se vidisse vna die, & in vno loco, & alius alia die, & in alio loco: aduerte tamen quod quando maiores testes haberi non possunt sufficiunt minores, vt sunt consanguinei, & affines. Sa. v. testes. n. 4. aliàs hoc crimen cōmuniter non probaretur. Pro foro tamen conscientie vt maritus possit vxorem adulteram relinquere, sufficiet quod adulteriū noscat à persona fide dignissima. Sed petes, an possit maritus vxorem licitè cum testibus obseruare vt possit eam accusare? Respondetur affirmatiuè: ita D. Thomas dist. 35. art. 3. ad 4. vbi & hanc, & præcedentem resoluit difficultatem dicens: *quando vir vxorem suspectam habens ei insidiatur, & deprehendere eam*

potest cum testibus in crimine fornicationis, & sic potest ad accusationem procedere. Et præterea, si factis istis non constat, possunt esse violentæ suspiciones fornicationis, quibus probatis, videtur fornicatio esse probata, ut si inueniatur solus cum sola horis, & locis suspectis, & nudus cum nuda. Oculus namque adulteri obseruat caliginē, ut dicitur Iob. 25.

25. Quæres octauo, an accusatio adulteræ debeat obseruare aliarum iura accusationum? Iura accusationum ponit D. Tho. loco citato in argumento 5. ubi sic dicit: *Accusationem debet inscriptio precedere, quia aliquis se ad rationem obligat, si in probatione deficiat; sed hoc non potest esse in ista materia, quia tunc qualitercunque res iret, vir consequeretur intentum suum, siue ipse uxorem dimitteret; siue uxor eum; ergo non debet ad iudicium Ecclesiæ per accusationem adduci.* Ad hanc difficultatem respondet Angelicus ibidem ad quintum, sic: *Maritus potest accusare uxorem de adulterio dupliciter. Vno modo ad tori separatio-*

*nem coram iudice spiritali, & tunc inscriptio debet fieri sine obligatione ad legem rationis, quia sic vir consequeretur intentum suum, ut obiectio probat. Alio modo ad probationem criminis, in iudicio seculari, & sic oportet quod precedat inscriptio per quam ad pœnam rationis se obliget, si in probatione deficiat.*

26. Quæres nono, quando censeatur adulterium condonatum, ut ratione illius diuortium celebrari non possit, nec ciuile, aut criminalis accusatio intentari? Respondetur quod tunc adulterium condonatum censeatur, quando coniux adulter innocenti reconciliatur. Fit autem hæc reconciliatio, quando vel expressè, vel tacitè adulterium condonatur. Expressè per verba, ut si innocens adulterij conscius dicat adulteræ tibi adulterium remitto; nec requiritur, quod hanc remissionem acceptet adulter, quia siac illa, remissio tunc facta censeatur, quia quoties res aliqua alicui tertio non per contractum, sed cessante ipsa obuenit, non requiritur

fitur illius acceptatio: exemplū habes in hæreditate, quæ quoquomodo repudietur substituto obuenit; vnde ob hoc *L. sicut maior, 4. C. de repud. hæred.* dicitur, quod repudiāns hæreditatem, non potest postea illam acquirere, & hæres fieri. Quod si remissio fiat solum ore tenus, in foro conscientie discedere poterit. Sufficiet autem vt non discedat quoad forum conscientie quod sola mente sit facta remissio. Tacita autem remissio tunc fit, quando facto ipso, condonandi animus indicatur; vt si coniux innocens sciēs alterius adulterium, liberè debitum petat, vel reddat. Ratio primi est, quia vbi est ignorantia iniurie, iuris competentis remissio fieri nequit *L. manifestissimi 22. C. de furtis*, & *L. fin. C. de condit. indeb.* & actus agentium non operantur ultra intentionem eorum

*L. non omnis, ff. si certum petatur.* Ratio secundi est, quia ibi liberalis non est condonatio, vbi necessitas intercedit, *L. rem legatam, ff. de adimēd. legat.* Censetur etiam coniux adulteræ reconciliari, si sponte, & sciēter eam domi retineat; est enim illa retentio, tacita condonatio, & signum amicitie manifestum *L. crimen. 11. C. ad L. Iul. de adult.* Similiter dicta fieri censetur reconciliatio si innocens sciēter, & sponte, nulla necessitate, vel honestate compulsus, familiarem, & affabilem adultero se exhibeat. *Glos. finali, instit. de iniurijs:* vbi etiam explicat illum textum scilicet dissimulatione iniuriam remitti, vel absolui quando videlicet iniuriam passus, se familiarem exhibet. Idem dic de osculis, tactibus, & amplexibus, cum fortior sit ratio de his, quam de familiaritate.





## Q V A E S T I O III:

*An diuortium fieri valeat ob alterius adulterium spirituale, & ob quas alias causas, ubi alia habentur curiosa.*

27 **N**ostri temporis hæretici Ecclesiam carpunt eo quod diuortium faciat tum ob adulterium spirituale, vti est hæresis, tum ob alias causas; hæreticorum fundamentum est, quia Christus Dominus Matt. 5. & 19. ob solam fornicationem diuortium fieri permisit. *Qui-  
cunque uxorem suam dimiserit quacunque ex causa me-  
chatur, idest peccat. Nihilominus de fide est, diuor-  
tium fieri posse, etiam ob  
alias causas, vt statuit Tri-  
dentinum sess. 24. can. 8. vbi  
dicitur: Si quis dixerit Eccle-  
siam errare, cum ob multas  
causas separationem inter con-  
iuges, quoad torum, seu quo ad  
cohabitationem, ad certum,  
incertum vs̄ tempus fieri posse  
decernit; anathema sit.* Nec  
hæreticorum fundamentum  
illis prodest; pro quo nota,

diuortium ex duplici capite fieri posse, primo ex ipsius matrimonij natura & conditione, & hoc modo ob solam fornicationem diuortium fieri potest, eo quod sola fornicatio fidei matrimoniali aduersetur, ius autem naturæ dicat, quod *frangenti fidem fides frangatur eidem.* Secundo diuortium fieri potest non ex ipsius contractus matrimonialis natura; sed ratione personæ cum qua contractum est, cuius conuersatio perniciosa esse potest tum corpori, tum animæ; est autem differentia inter ista duo, quod primum ex sui natura perpetuum est, secundum non sic, sed solum quandiu damnum timeatur; quando ergo Christus Dominus dixit diuortium ob solam fornicationem licitum esse, locutus est de diuortio primo modo, quod est

est propriè matrimoniale di-  
diuortium, per se, & ex natu-  
ra sua perpetuum; at vero dū  
Ecclesia, etiam alias admittit  
diuortij causas, de diuortio  
secundo modo loquitur; iure  
namque naturæ dictatur; vt  
vnusquisque eam vitet con-  
uersationem, & familiarita-  
tem, quæ sibi tum animæ,  
tum corpori perniciosa est;  
vnde videmus, quod ob hoc  
filius à patre diuertere po-  
test, & filia à matre, ac su-  
binde maritus ab vxore, &  
econtra. His positis.

28 Quæres primò, an hæ-  
resis, quæ est quoddam adul-  
terium spirituale sit sufficiens  
diuortij causa? Responde-  
tur affirmatiuè, ita D. Tho-  
mas dist. 35. art. 1. ad 3. vbi sic  
habet: *Fornicatio est directè  
contra bona matrimonij, quia  
tollitur per eam certitudo pro-  
lis, & fides frangitur, & si-  
gnificatio non seruetur, dum  
vnus coniugum pluribus car-  
nem suam diuidit, & ideo alia  
crimina quàmuis fortè sint ma-  
iora fornicatione, non causant  
diuortium. Sed quia infideli-  
tas, qua dicitur spiritualis for-  
nicatio, etiam est contra ma-*

*rimonij bonum, quod est pro-  
les educanda ad cultum Dei,  
etiam ipsa facit diuortium; sed  
tamen aliter quam corporalis  
fornicatio, quia propter vnum  
actum fornicationis carnalis  
potest procedi ad diuortium, nõ  
autem propter vnum actum  
infidelitatis, sed propter consue-  
tudinem, qua pertinaciam ostē-  
dit, in qua infidelitas perficitur.*

D. Thomam sequuntur om-  
nes Theologi hoc loco, & de-  
sumitur Angelica resolutio  
ex illo Apost. ad Titū 3. *He-  
reticum hominem post vnam,  
& secundam correctionem de-  
uita.* Ex quibus inferitur pri-  
mò posse innocentem ab hæ-  
retico coniuge in hæresi per-  
sistere volète propria recede-  
re auctoritate c. de illa, de di-  
uortijs, vbi Butrius, Præposi-  
tus, & alij, qui volunt id fieri  
posse etiam si hæresis notoria  
non sit. Imò puto cum Astén-  
si 2. p. lib. 8. tit. 2. 1. art. 2. q. 14.  
& alijs, ad id innocentem te-  
neri quando correctione fa-  
cta in tali errore alter perfi-  
stere vult. Inferitur secundò,  
quod licet innocens non te-  
neatur fornicantem fornicatione  
carnali emendatum re-  
cipere.

cipere, bene tamen in casu fornicationis huius spirituales. Sotus dist. 39. q. vn. art. 4. ad 3. Imò volunt plures cum Abulenti in c. 19. Matt. q. 76. adeo hoc verum esse, quod si innocens sit in religionem ingressus, possit ab emendato hæretico reuocari, quod intelligo quâdo innocens ab hæretico recessit propria auctoritate, secus quando Ecclesiæ iudicio. Ledesma de matrim. dub. 54. Sotus vbi supra, & alij; fiet autem compensatio per similem alterius spirituales fornicationem. Sotus supra. Imò est etiam probabile, quod compensatio detur inter fornicationem carnalem, & spirituales; licet alij quos sequitur Sánchez disp. 16. id negent, quia quando diuersæ dantur diuortij causæ vtrique resiliendi causa datur, non compensandi. Sed prius verius videtur, si cut enim quando vterq; adulteratur, vterque habet rationem resiliendi, & compensandi, ita & in hoc casu; habet vterque rationem resiliendi, quia illam, alterius præbet adulterium, habet vter-

que rationem compensandi, quia vterque in alterum reus est, imò puto, quod sicut in adulterio carnali vtrique commissio, compensatio dari debet; ita & quando vnus adulteratur adulterio carnali, & alter spirituales, nisi aliud Ecclesia statuat in hæresis pœnam.

29 Quæres secundo, an integrum sit coniugij diuertere, quando ab altero ad peccatū inducitur, & animæ ruina timetur? Respondetur affirmatiuè. Ita D. Tho. dist. 39. art. 6. in fine corporis, vbi ita habet: *Alio modo soluit matrimonium quantum ad actum, & sic solui potest tam per infidelitatem, quam per fornicationem corporalem, et supra dist. 35. dictum est: sed propter alia crimina non potest solui matrimonium etiã quantum ad actum, nisi forte ad tempus vir se velit subtrahere à consortio uxoris ad castigationem eius, subtrahendo ei presentie sue solatium.* Ratio est, quia iure naturali, & diuino vnicuique permissum est vitare periculum tum corporis, tum animæ; ergo id ipsam coniugij denegari non debet. cap.

ex transmissa, & cap. litteras, de restitut. spoliator. Ex quibus inferitur primò vxorem posse à marito diuertere, si maritus sit eius l eno. Palacios 4. d. 35. q. vnica, & significatur Matt. 18. in illis Christi Domini verbis *si osculus tuus scandalizat te erue eum.* Item si vir domi admittat viros procaces, & parum honestos, ob eandem rationem. Nauar. cap. 22. nu. 22. Inferitur secundò licere coniungi diuertere, quando alter secum habitare renuit, nisi sub conditione patrandi delicti. D. Thom. dist. 39. art. 6. ad 5. vbi habet, *matrimonium propter crimen superueniens quoad usum dissolui potest ad tempus; ut quando vxor vult cohabitare nisi sub cõditione peccandi, ut cū dicit non ero vxor tua, nisi mihi de latrocinio diuitias congreges. &c. tunc enim potius debet eam dimittere, quã latrocinia exercere.* Non tenetur tamen vxor maritum deserere ex hoc præcisè, quòd eam ex furtis sustentet, si aliud non habet quo alatur Nauar. cap. 17. nu. 268.

30 Quæres tertio an possit coniux ab alio diuertere,

propter damnum corporale? Respondetur affirmatiuè. Primò si fiat furiosus, si graui, & contagioso morbo laboret. vt lepra, morbo Gallico, peste, &c. Ratio est, quia tunc sanus sibi graue morbum timet; secus esset si coniux fiat stultus non tamen malus, si grauem morbum habeat non tamen contagiosum, quia quoties sanus potest alterum curare ad id tenetur, ac proinde cohabitare, & morem gerere. Nauar. cap. 22. nu. 22. Secundò quando vnus non potest cohabitare ob alterius sæuitiam à quo grauius percutitur, & male tractatur, secus si moderatam solum timeat castigationem, quam vir facere potest, iuxta personarum conditionem. Tertio quando alter est veneficus, quia isti cum demonis consilio agantur, malum inferre possunt, & aliquando inferunt etiam coniunctis. Quarto quando alter alterius mortem intentat, vt si vxor marito per venenum, vel alio modo, & contra, mortem intentet, nec tunc tenetur innocens manere, vel si discessit redire, nisi cautio præstetur, nec suffi-

cit iuratoria, quando coniux timet iuramentum, sed requiritur pignoratia, vel fideiussoria.

31 Quæres quartò, an nõ solum viri sæuitia, verũ etiam parentum, sit sufficiens diuortij causa, nisi sufficiens cautio adhibeatur? Respondetur affirmatiuè, Abb. cap. *transmissa* de restitut. spoliatorum. num. 4. & alij. Aduerte tamen, quod vbi odium esset capitale, non debet coniux cautionis fragilitate fidere, nam vt aliquando vidi, vir quidam vxorem suam in Padum demisit cautione non obstante. Glos. cap. *ex parte*, de appellat.

32 Quæres quintò; an factò diuortio possint coniuges religionem ingredi, vel castitatem vouere? Respondetur quod quando diuortium non est perpetuum, vt quando celebratur ob sæuitiam, ob morbum, medicorum iudicio nõ perpetuum, &c. neuter coniugum potest religionem ingredi, sine alterius consensu. Quando vero diuortium perpetuum est, vt est illud quod ob fornicationem celebratur, quod factum est ob morbum,

vel insaniam, medicorum iudicio perpetuum, potest sanus religionem ingredi, sacros suscipere Ordines, vel castitatis votum emittere. Quod si innocens ante professionẽ fornicetur tunc alteri restituendus est à quo ob adulterium separatus fuit, quia tunc mutua fieri censetur compensatio. Si vero diuortium fuit iniquè celebratũ, vt si vnus fuit falso accusatus: si petens diuortium fuit occultè fornicatus, &c. professio sequuta in altero coniuge est nulla, vt supra vidimus D. Thom. dist. 35. art. 5. ad 3. Syl. v. *diuortium* nu. 24. Rosella ibidem nu. 6. Armilla nu. 5. & alij.

33 Quæres sextò, an coniuges mutuo consensu possint diuortium celebrare? Respondetur affirmatiuè, vel vt melius Deo deseruiant, vel ob aliam honestam causam, & hoc, vel ad tempus, vel in perpetuum, prout illis melius videbitur, vel prout inter illos conuentũ erit etiam sine vllò voto, quod si postea incontinentiæ periculum subeat, tũc coniugio vti tenebuntur, & totalem auferre separationẽ.

Id-

Idipsum possunt facere medio castitatis voto, vt docent omnes, & colligitur ex Apostolo 1. Cor. 7. tale tamen votum non debet à Confessarijs ita facile permitti, nisi cū matura deliberatione, & longa aliqua experientia posita de illa celibatus permanētia sine incontinentiæ periculo.

34 Quæres septimò, cuius expensis educari debeat soboles diuortio celebrato? Respondetur quod quando diuortium alterius culpa celebratur, soboles educari debet apud innocentem expensis nocentis: ita habetur expressè in authentica, *vt liceat matri, vel auiæ*, §. illud, collat. 8. vnde desumitur authentica *si pater*, C. diuortio facto: vbi sic dicitur: *si pater causam diuortij præstiterit, apud matrem ad secundas nuptias non veniē-*

*tem liberi nutriatur patris expensis, si vero contra tunc apud patrem matris locupletis expensis: nisi pater minus idoneus sit, tunc enim apud matrem locupletem nutriantur.* Quod si diuortium, vel communi consensu, vel vtriusque culpa celebratum sit, vt si vnus in hæresim inciderit, & alter in adulterium dato quod mutua non fiat compensatio, tunc soboles eo modo à parētibus nutrirī debet sicuti quando nullum diuortium intercedit, vt scilicet vsque ad triennium à matre, supra triennium à patre nutriatur, *L. nec filii*, C. de patria potestate. Non tenetur tamen adulter suis expensis sobolem sustinere, nisi post iudicis sententiam, cum enim hæc pœna sit, iudicis requirit sententiam, vt est generale in omnibus pœnis.



# DISPUTATIO

## N O N A

### *De matrimonialibus dispensationibus.*

**D**ifferunt inter se legem irritare: legem abrogare: Legi derogare; legem interpretari; & in lege dispensare: nam irritare legem, est legem impedire, & cassare, ne obligandi robur cōsequatur, quod tunc propriè sit, quādo is cuius proprium est legem confirmare, impedit vel quod nō feratur, vel & propriè magis, postquam iam lata est, antequam robur accipiat vult eā irritam esse. Legem abrogare nil aliud est; quam facere; quod postquam lex vim, roburque suum accepit, cassetur, & amplius non maneat. Legi derogare nil aliud est, quam illam ex parte tollere. Legem interpretari est discernere legem hic & nunc ob aliquam causam non obligare, seu talem, vel talem casū

lege illa non comprehendi: At vero in lege dispensare est aliquem à legis obligatione eximere, in qua aliqua particularis interuenit legis derogatio, cum respectu illius, cui conceditur dispensatio, legis obligatio, vel tollatur, vel saltem suspendatur. Differt dispensatio à priuilegio, quia dispensatio cum sit cōtra ius, causam requirit; priuilegium vero cum possit etiā esse præter ius, causam non requirit; quod si priuilegium accipiat prout est priuata; lex contra ius, cum dispensatione coincidit, & tunc causam, vt dispensatio, requirit.

Definitur dispēsatio, quod sit *iuris relaxatio*, vel vt alij placet est à lege *exemptio*, per quam definitionem vt expendenti, patebit, dispensatio differt ab irritatione, abrogatione,

ne, derogatione, & interpretatione. Sed hæc definitio in tractu de legibus dum de legum dispensatione in com-

muni Deo dante agemus, fuisse explicabitur, unde ut proplus ad matrimoniales dispensationes accedamus, sic.

## Q V A E S T I O I.

*An potestas dispensandi, & dispensatio ipsa, latè sint interpretanda.*

**N**on possumus exactè matrimonialè explicare dispensationem, nisi prius aliqua de dispensandi potestate, & de dispensatione ipsa dicantur; & primò agendo de dispensandi potestate, est nonnullorum sententia illà esse strictè interpretandam: huius sententiæ fundamentum est, quia dispensatio ipsa, ut cum pluribus docet Sanchez lib. 8. disput. 1. num. 3. est strictè interpretanda; ergo etiam dispensandi potestas. Consequentia probatur, quia ut communiter tradunt vtriusq; iuris interpretes ut dignoscatur, an res favorabilis, an odiosa sit, attendi non debet res in se ipsa, sed in ordine ad effectum quem parit, ut cor-

stat ex L. 1. ff. soluto matrim. ubi dos favorabilis vocatur, quia effectus inde resultans videlicet sobolis procreatio favorabilis est; ergo si effectus, siue exercitium dispensationis odiosum est, & ipsa dispensandi potestas odiosa erit; cum enim potestas propter exercitium concedatur (alioqui inutilis esset) ex ipso exercitio, eius favorabilitas, vel odiositas, venari debet: quoties enim vnum propter aliud conceditur, concessio naturam eius sortitur, propter quod conceditur. Ob hoc Bart. L. *constitus*. nu. 1. ff. ad municip. magistraliter docet ex Dino, quod ea statuta sint stricti iuris, quorum actio est stricti iuris.



3 Nostra sententia sequē-  
 ti explicatur conclusione. *Di-*  
*spensandi facultas alicui conce-*  
*sa, est tanquam favorabilis, la-*  
*tè interpretanda.* Ita *Glof. cap.*  
*hi qui, 15. q. 8. Angelus v. di-*  
*spensatio, nu. 9. Syl. q. 14. n. 16.*  
*Sayrus thesauro lib. 6. cap. 11.*  
*num. 11. & communiter vtri-*  
*usque iuris interpretes, quos*  
*longa manu refert, & sequi-*  
*tur Sánchez lib. 8. disp. 2. nu. 1.*

4 Probatum primò, quoniã  
 illa concessio favorabilis est,  
 ac proinde latè interpretan-  
 da, quæ per se nulli præiudi-  
 cium infert; sed ipsa dispen-  
 sandi facultas nulli præiudi-  
 cium infert, ergo est favora-  
 bilis, ac proinde latè inter-  
 prætanda. Maior nota est, in  
 tantum enim aliquid odiosū  
 est, in quantum vel est contra  
 ius, vel est alicui præiudicio,  
 sed dispensandi facultas, nec  
 est contra ius, cum ipsa dispē-  
 sandi facultas ius non rela-  
 xet, vti facit ipsius facultatis  
 exercitium; ergo. Neque est  
 in præiudicium concedentis  
 cum sit eius favor; & dato,  
 quod in eius aliquale cederet  
 præiudicium, in quantum suam  
 communicat potestatem, vel

partem illius; at absolutè fa-  
 vorabilis dicitur cum odiosi-  
 tas rei non desumatur à præ-  
 iudicio liberè, & spontaneè  
 concedentis, vt ex sequenti  
 ratione patebit, sed ex præ-  
 iudicio tertij in cuius damnum  
 facultas conceditur. Neque  
 est in præiudicium illius cui  
 conceditur, cum respectu il-  
 lius gratia sit, & favor. Neque  
 cedit in tertij præiudicium, cū  
 nullus præiudicium accipiat  
 ex alterius potestate, licet for-  
 tè illud accipere possit, ex  
 eiusdem facultatis exercitio.  
 Adde esse valde gratiosum,  
 quod quis principis facultate  
 fungatur, & vices illius gerat.

5 Probatum secundò, quia  
 Principis beneficium, est latissi-  
 mè interpretandum; sed cō-  
 cessio potestatis dispensandi  
 alicui à Principe facta, est  
 Principis beneficium; ergo  
 est latè interpretanda. Maior  
 patet ex cap. *olim*, de verbo-  
 rum significatione; & *L. bene-*  
*ficium ff. de constitut. Princip.*  
 quod maximè verum habet,  
 quādo Principis beneficium,  
 nec ius commune vulnerat,  
 nec tertium lædit. Minor pro-  
 batur, quia dispensandi facul-  
 tas,

tas, est Principis beneficium, cum solius Principis sit leges condere, & earum dispensationem facere; & ex alia parte dispensandi facultas ius commune non vulnerat, alioqui etiam Principis facultas cuius hæc communicata, est participatio, ius commune vulneraret. Cōfirmatur, quia Princeps dum dispensandi facit potestatem, non intendit primò, & per se ius commune vulnerare, sed illum cui facultatem facit gratificare, etiam si ex hoc aliqua secundariò iuris communis sequeretur vulneratio. Ad hoc autem ut concessio aliqua odiosa, vel favorabilis censeatur ex primario Principis intento desumi debet. *L. rogasti, & L. si quis, ff. si certum petatur.*

6 Ex quibus infert Primo Lopez 2. p. instruct. vbi de clauibus cap. 9. facultates cruciate, ac Iubilei esse favorabiles, ac proinde latè interpretandas esse. Secundo infert Felinus cap. *fn.* nu. 8. limit. 1. de simonia: potestatem à Principe concessam non extendi quidem ad quoscunque casus, bene tamen ad illos, qui ad-

aptabiles sunt casibus expressis; & cap. *postulasti*, de rescriptis num. 11. dicit eandem facultatem extendi ad consequentia in quibus eadem, vel maior ratio est: ob quæ dicit idem Felinus ibidè quod potestas concessa Episcopo ad dispensandum in beneficio, intelligatur nõ solum de simplici, verum etiam de curato. Tertiò infert Diana p. 8. trac. 4. resol. 7. potestatem Episcopis à Tridétino sess. 24. cap. 6. concessam ad absoluendum, vel dispensandum à casibus occultis ad Capitulum transire Episcopo mortuo. Ratio est, quia hæc facultas non cōceditur Episcopis iure aliquo speciali, neque tamquam sedis Apostolicæ delegatis, neque ex commissione, sed iure ordinario, ac proinde ad Capitulum ea iurisdictione transibit, cum sit latæ interpretationis. Ob eandem rationem Sanchez lib. 8. disp. 2. nu. 12. eandem Concilij potestatem vult transferri ad Abbates, qui Episcopalem obtinēt iurisdictionem; Et nu. 13. vult extendi etiam ad conuentuales regularium Prælatos, eo quod

quod & isti iurisdictione fungantur Episcopali erga suos subditos, & merito, quia id declaravit Pius V. in Breui, quod refert Rodriguez to. 1. qq. regul. q. 6. art. 9. Ob eandem etiam rationem, qui habet facultatem dispensandi in votis, & iuramentis, habet etiam ad illa commutanda. Lopez supra. Sa v. *votum*. Philiarcus de officio Sacerdotis, to. 1. lib. 3. cap. 22. Et qui potest dispensare vota, vel commutare, poterit etiam dispensare, vel commutare iuramenta in Dei fauorē facta. Caiet. 2. 2. q. 89. art. 9. Probat Caietanus, quia *est concessum est ordinare in maius, concessum quoque est posse in minus*. Ex quibus patet facultatē dispensandi esse latē interpretandam.

7 Ad primæ sententiæ fundamentum dico, tunc solum habere locum, quando effectus est primò, & per se intentus, secus quando secundario, vt patet ex rationibus pro nostra conclusione adductis. Cum ergo in nostro casu, id quod primò intendit Princeps dum alicui dispensandi facit facultatem, non

fit ipse effectus facultatis dispensandi, sed fit ipsa potestatis concessio, quæ omnino fauorabilis est, sequitur quod amplè non strictè fit interpretanda. Sed an ipsa dispensatio fauorabilis sit, vel odiosa modo subijcietur.

8 Circa secundum, quod in quæstionis titulo propositum est, an scilicet dispensatio ipsa, quæ est ipsius facultatis dispensandi exercitium, sit odiosa, vel fauorabilis, est sententiarum varietas. Quidam enim volunt omnem dispensationem etiam matrimonialem esse odiosam, quippe cum à iure exorbitet; vnde etiam si dispensatio ipsa nulli præiudicium ferat, odiosa sit ex hoc præcisè quod à iure exorbitet: ita Sanchez lib. 8. disp. 1. nu. 3. & 30. Alij volunt omnem dispensationem fauorabilem esse, cum sit fauor illius cui fit, etiam si aliunde in alterius cederet præiudicium; sed vt meum habeas iudicium. Dico primò, *ex hoc præcisè quod dispensatio à iure exorbitet, non sequitur, quod sit odiosa*. Hæc cōclusio adeo clara est, quod

à nemine negari potest; nam si ex hoc præcisè, quod dispensatio à iure exorbitet esset odiosa, nulla reperirerur dispensatio, quæ odiosa non esset, cum de dispensationis essentia sit, quod à iure exorbitet, seu quod sit contra ius, cum illud relaxet; est enim dispensatio *iuris stricti relaxatio*, & tamen plures reperiuntur dispensationes, etiam in sententia Sanchez, quæ favorabiles sunt, ac subinde extendendæ, ut quando Pontifex proprio motu ob publicam dispensat utilitatem. Sanchez supra nu. 5. uti est dispensatio, quam modo fecit Alexand. VII. dum dispensavit, quod Romæ demorantes à prima quadragesimæ Dominica inclusivè, usque ad Dominicam palmarum exclusivè 4. Hebdomadæ diebus scilicet die Dominicæ, Lunæ, martis, & Iouis possint vesci carnibus. Similiter in omnium sententia etiam ipsius Sanchez nu. 7. dispensatio in iuris corpore clausa, latè est interpretanda, uti est illa quam facit Pontifex regulis Clem. dudum, de se-

pulturis de qua suo loco. Itè dispensatio toti religioni facta latè est interpretanda, Idem Sanchez n. 13. ubi etià optimam assignat rationem, quia dispensatio toti religioni, vel communitati in perpetuum facta, legi æquiparatur, ac proinde ita habetur ac si in iuris corpore esset inserta, cum sit veluti perpetua constitutio. Oldradus Cõsil. 300. nu. 4. Henriquez alios referens lib. 7. de indulg. c. 22. num. 3. & cap. 24. nu. 4.

9 Dico secundò, ut cognoscatur, an dispensatio odiosa sit, an favorabilis, non ad legem in qua dispensatio fit attendi debet, sed ad materiam in qua, vel circa quam dispensatio versatur, quæ si odiosa sit, dispensatio odiosa erit, ac proinde strictè interpretanda, si vero favorabilis sit favorabilis erit dispensatio, ac subinde latè interpretanda. Regula autem generalis assignatur ad dignoscendum, an dispensationis materia sit odiosa, an favorabilis, ut videatur, an alicui, vel nulli præiudicet; si nulli, favorabilis erit; si alicui odiosa; ita

tamen

tamen, quod ad hoc ut materia dispensationis sit odiosa, non sufficiat, quod mediatè, vel remotè in alterius cedat præiudicium, sed requiritur quod per se ad hoc tendat. Hanc conclusionem sequuntur Speculator tit. *de dispensat.* S. ult. nu. 2. Archidiaconus c. *nos consuetudinem*, d. 12. & c. *quoniam*, nu. 2. d. 69. Valascus consil. 60. nu. 3. & alij plures tum ex legistis, tum ex canonistis, sic interpretantes cap. *olim*, de verb. signif. & l. *beneficium*, ff. de constit. Princip. ubi dicitur, *beneficium principis latissimè interpretandum esse*. Ex quibus textibus sic ratio pro conclusione formari potest. Beneficium principis latè interpretandum est: sed dispensatio quando in nullius cedit præiudicium, est Principis beneficium; ergo latè interpretanda est, quantum tamen verba, & principis intentio patiuntur. Respondet Sanchez disp. 1. nu. 4. quod tunc Principis beneficium latè interpretandum est, quando est præter ius, secus vero quando est contra ius. Sed cõtra, quia ex hac

solutione sequeretur nullam dispensationem esse latè interpretandam, cum omnis dispensatio propriè sit contra ius, cum sit iuris stricti relaxatio; atqui hoc est contra illum auctorem, ut patet ex dictis; ergo. Tum quia, maius est Principis beneficium, quod contra ius conceditur, quam sit illud quod præter ius datur, ut ex se liquet; ergo magis fauorabilis erit dispensatio contra ius, quam sit illa, quæ est præter ius. Maximam namque ostèdit Princeps liberalitatem, si suas, ob gratiam mei, relaxet leges, quam si mihi multa largiatur. Quod si dispensatio in alterius cedit præiudicium strictæ erit interpretationis, cum Principis voluntas sit, minus alteri præiudicare.

10 Obijcies primò, quia Princeps dum facit dispensationem, sicut censetur minus quam potest alteri inferre præiudicium, ita & sibi; ergo eius dispensatio strictè est interpretanda. Antecedens clarum videtur, cum non minus censetur quis proprium vitare velle præiudicium, quam

quam alienum . Consequen-  
tia probatur , quia legis vul-  
neratio in Principis cedit  
præiudicium ; sed dispensa-  
tio est legis vulneratio ; ergo  
in Principis cedit præiudiciũ,  
ac proinde strictè interpretã-  
da ? Responderetur cum Abb.  
cap. *olim.* de verb. signif. quod  
dum Princeps beneficium  
concedit, etiamsi talis con-  
cessio in aliquale cedat eiuf-  
dem Principis præiudicium  
ramen de illo nõ curat Prin-  
ceps, dummodo eo medio  
suam ostendat, erga benefa-  
ctorem, liberalitatem . Vide  
Iasonem dicta *L. beneficium*,  
nu. 19. & 33, & alios legistas  
ibidem .

11 Obijcies secundò, quia  
odiosum est aliquem eximi  
à lege, quæ æqualiter omnes  
ligat, ergo cum dispensatio  
eximat à lege aliquem, vel  
aliquos, remanentibus cete-  
ris obligatis, odiosa erit? Res-  
ponderetur Antecedens verum  
esse, quando mea exemptio  
à lege, fit alijs præiudicialis,  
secus quando nulli damnum  
infert, nec ex mea exemptio-  
ne fit lex magis alijs onerosa.  
Vnde si in aliqua religiosorũ

communitate, plures à lege  
chori eximerentur, vel solum  
vnus, & alter, vbi pauci sunt,  
qui ad chorum vadunt, de-  
beret talis exemptio strictè  
interpretari, quia alijs odio-  
sa est, cum ex illorum exem-  
ptione totum Chori onus su-  
per paucos grauetur; simili-  
ter, si plures dispensentur in  
carnium esu, talis dispensa-  
tio strictè esset interpretan-  
da, cum fiat alijs odiosa, qui  
coguntur ferre pondus dici,  
& æstus, & rigorosam tole-  
rare obseruantiam . Simili-  
ter odiosa nimis est illorum  
dispensatio in recessu, qui  
quotidie exeunt, alijs in cel-  
lis continuò manentibus: At  
vero dispensatio, quæ fit le-  
ctoribus, & magistris, vt stu-  
dere valeant vt alios doceat,  
vel libros imprimant, latè est  
interpretanda, quia hæc pri-  
mò, & per se in aliorum ce-  
dit vtilitatem, vel studioso-  
rum, vel aliorum, & in totius  
religionis decus, & honorem.

12 Hinc inferitur primò  
contra Sanchez lib. 8. disp. 1.  
nu. 30 matrimonialem dispõ-  
sationem esse latè interpretã-  
tandam, cum nulli odiosa fit,

& illis quibus conceditur fauorabilis, ita clare deducitur ex cap. *quod dilectio*, de consang. vbi vult Pontifex, quod matrimonialis dispensatio strictè accipiatur, quando scandalum adesset, ac proinde vbi scàdalum abest, latè. Felin. c. *postulasti*. n. 13. de res scriptis. Veracrux. 2. p. speculart 44. & alij. Responderet Sánchez illum textum solum velle dispensandi potestatem esse latè interpretandam, non dispensationem ipsam; Nam contra est quia si ille textus rectè inspiciatur videbitur, quod non loquitur de potestate dispensandi, sed de dispensatione ipsa, quod nimirum legatus causa vitandi scandali, non faciat dispensationem, nisi secundū quod vterq; contrahens, æqualiter à stipite distat. Quod magis declarauit Clemens VI. in extrauag. *Nuper* vbi decidit, quod dispensatio in 4. consanguinitatis gradu, ad quartum cum tertio coniunctum extendatur, qui est casus mixtus. Hinc vult Suarez tom. 2. de relig. lib. 6. c. 14. nu. 19. contra Sanchez,

hic, quod facultas commutandi, vel dispensandi in votis valeat etiam quando votum, & iuramentum simul concurrunt, quamuis nō præstetur iuramentū in voti confirmationem, sed independenter ab illo. Hinc etiam vult Corduba in summa q. 149. facultatem delegatam ad dispensanda, vel commutanda vota virtute iubilæi extēdi ad vota emissa post eiusdem iubilæi promulgationem.

13 Infertur secundò, licetiam testandi concessam monachis, vel quibuslibet alijs testari non valentibus, non extingui primo actū, sed virtute illius licere toties testari quoties libuerit vsque ad mortem. Ratio est, tum quia talis dispensatio nulli vt suppono est odiosa; tum quia dato quod odiosa esset, cum illusoria esse non debeat nec contra testamenti naturam, quod non nisi morte confirmatur, vsque ad mortem extendi debet Nauar. de redditibus Ecclesiæ q. 3. nu. 23. & 34. & alij.

14 Infertur tertio. Prælatum

latum regularem, vel Episcopum mittentem subditum ad alienum Episcopum ut ordinetur ceteri suas vices concedere Episcopo ordinanti, ut dispenset cum eo in irregularitate, vel alio occurrenti defectu. Est contra Sanchez lib. 8. disp. 1. nu. 25. Est tamen Auilæ de censuris p. 7. disp. 10. dub. 6. & deducitur ex cap. *præterea*, de officio delegati. Ratio est, quia concessio aliquo censetur subinde & omnia concessa, sine quibus illud exequi nequit. cap. *præterea*, citato. Vnde si Prælati, religioso concedat facultatem iter agendi, ea omnia concedere censetur, sine quibus, secundum propriæ religionis morem, iter agere nequit. Si Prælati concedat subdito facultatem imprimendi, vel emendi librum, censetur concedere facultatem ut sibi de pecunia provideat, &c.

15 Inferitur tertio contra eundem Sanchez, quod quando Pontifex dispensat cum illegitimo ut possit suscipere Ordines, potest talis dispensatio etiam ad maiores exte-

di. Ita Coninchus disp. 43. dub. 2. nu. 29. Ratio est, quia licet dispensatio extendi non debeat ultra propriam verborum significationem, potest tamen intra illam extendi, sed intra propriam *Ordinis* significationem, etiam maiores Ordines intelliguntur; ergo etiam ad istos dicta extendi potest dispensatio. An autem dispensatus ad Ordines, censetur dispensatus ad beneficium simplex, affirmat Sa. v. *dispensatio*, nu. 14. Sayrus de censur. lib. 7. cap. 14. nu. 2. & alij. Vide Dianam p. 8. trac. 3. resol. 38. vbi cum Palao, & alijs tenet hoc maxime verum habere in dispensato ad Ordines maiores. & optimam adducit rationem, quia licet Ordo sacer, & beneficium diuersa sint, sunt tamen valde connexa, & quasi inseparabilia, quia per se non decet aliquem ad sacros promoueri Ordines, absque beneficii titulo. Tridentinum sess. 21. cap. 2. quia licet admittantur ad Ordines habentes patrimonium, vel pensionem, hoc tamen fit dispensatiue ratione necessitatis, vel



utilitatis Ecclesie. & resol. 39. docet cum alijs dispensatum ad Ordines, imò ad primam tonsuram, seu ad Clericatum, esse pensionis capax, cum illegitimus, vel irregularis non aliter sit incapax pensionis, nisi quatenus est incapax clericatus, vnde quo fit capax clericatus, & pensionis capax efficitur. Infertur quartò in materia dispensationum habere locum argumentum à paritate rationis, vel à maiori ad minus, ita Decius cap. quia in quantum, de præbendis, Gambarara de auctoritate legati lib. 10. num. 264: & alij, quos refert Sanchez supra nu. 31. & n. 32. dicit esse probabile, & bene, quia id colligitur ex L. neque in ea, 2 2. ff. ad L. Iuliam, de adult. vbi dicitur *qui occidere potest adulterum, multo magis poterit eum contumelia iure afficere*, quod Bartolus ibi dicit esse valde notandum: ex quo loco sic argui potest, in pœnalibus licet aliquando argumenti à maiori ad minus, ergo multo magis in dispensatione fauorabili. Idem ar-

gumentum colligi potest ex L. in suis, ff. de liber. & posthum. vbi dicitur *quod habens potestatem vita, & necis alicuius, habet quoque potestatem in bonis illius*. Ex quo loco deducunt communiter legistæ, quod qui potest ban- nitum interficere, potest etiã eum spoliare. Eadem doctrina colligitur ex c. ex parte tua, de decimis, vbi priuilegium concessum Ecclesiasticis de decimis non soluendis extenditur ad noualia; & ratio redditur: *quia vbi maius conceditur, minus concessum esse videtur*. Et cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi dicitur, *quod in maiori conceditur, licitum esse videtur, & in minori*. Idem habetur Regula cui licet, de Reg. iuris in 6. vbi dicitur, *cui licet quod est plus, licet utique quod est minus*. Ad hoc facit doctrina Glof. cap. 1. de temporibus Ordin in 6 v. Italia, quod scilicet, *vbi est eadem ratio, & pœnitus omnimoda similitudo, non propriè dicimus dispensationem extendere, sed ad contenta applicare*, pro quo allegat L. si postulauerit. S. idem, ff. de

ff. de adult. allegat etiam L. quadam, S. Numularios, ff. de edendo. Vide Dianam loco citato resol. 102. vbi pro certo docet cum multis, dispensationem non solum pati extensionem ex identitate rationis, sed etiam extensionem, ad inclusa sub dispensatis, ad connexa, ad accessoria, ad consequentia.

17 Sed quares primò, an dispensatio fieri possit inuito eo cui dispensatio fit? v.g. an Pontifex possit dispensare aliquem inuitum in iuramento, in voto, in impedimento, &c. An prælatus regularis possit cum subdito inuito dispensare vt comedat carnes, contra regulam, vt non vadat ad chorum, vt non recitet officium canonicum, &c. Negat Suarez tom 2. de religione trac. de voto lib 6. c. 1. & cum eo Sayrus in clauis Regia l. 3. cap. 8 nu. 6. & alij satis communiter, quia licet Prælatus possit subditi vota ipso nolente irritare, non tamen dispensare. Primò, quia dispensatio est beneficium quoddam, per iurisdictionis potestatem concessum, at benefi-

cium non conceditur, nec concedi potest inuito; ergo. Secundò quia licet irritatio sine causa fieri queat, non tamen dispensatio; atqui non potest esse sufficiens dispensandi causa, quando ille cui dispensatio facienda est, est inuitus; ergo. Tertio, quia dispensatio datur in fauorem illius cui conceditur, ac proinde verti non debet in onus illius, illam eo inuito concedendo. Affirmat Sanchez in præcepta lib. 4. c. 25. n. 26. Primò quia subditus nequit sua voluntate superioris potestati ad dispensandum derogare, quando superior iustam habet dispensandi causam. Secundò quia & si dispensatio sit fauor, & beneficium dispensati, si tamen hoc cedat in bonum commune, poterit talis fauor subdito inuito concedi. Ego imprimis puto commutationem v. g. voti non posse subdito inuito fieri, nisi talis voti commutatio, communi religionis bono conueniret ratione materiae, & opposita voti materia aduersaretur. Deinde puto regulariter non debere su-

periores dispensare subditum in votis, in obseruantis, &c. ipso inuito, seu contra ipsius voluntatem, quia cum dispensatio sit in subditi fauorem, & leuamen non debet in eius grauamen conuerti, Regula 61. & 69. de regulis in 6. Demum puto quod in casu, quo dispensatio necessaria esset, vel ad bonum religionis, quia ex salute corporali, vel spiritali subditi aliquod bonum religioni proueniret, non solum posset, verum etiam deberet superior cum inuito subdito dispensare, præsertim quando bonum inde proueniens alicuius esset momenti: Superior namque debet inferioris auferre impedimenta salutis; per professionem enim subditus fit religionis, & desinit esse suus, & sic religio debet de subdito tanquam de re sua curam habere, si inferior ipse talem curam habere nolit. Imò etiam si nullum aliud bonum religioni proueniat quam ipsius subditi salus, debet superior, ut illam conseruet cum inferiore etiã nolente dispensare; quanto magis debet id

facere superior, quando subditus ipse talem petit dispensationem; vnde acriter argui debent superiores illi, qui nolunt cum subditis egenis, & petentibus dispensare, sub obseruantie titulo, nam in professione mutuus intercedit contraus inter Prælatum & subditum, quo subditus dat se ipsum religioni, & obligat se ad illi inseruendum secundum regulam, & statuta illius, & religio se obligat ad illi prouidendum in suis necessitatibus, secundum exigentiã illius; & sic, sicut peccat subditus si se, suaque opera à religione auferat, non seruendo illi; ita peccat Prælatus dñi sua opera subditis auferat, non prouidendo illis, secundum eorum necessitates; præbet enim occasionem subito curandi ab extra, quod sibi denegatur ab intra.

18 Quæres secundò, an profit dispensatio illi, qui & impedimentum pro quo obtinetur ignorat, & dispensationem ipsam? Explico, Titia matrimonium cum Titio iniuit, impedimentum ignorans, Titius vero qui impedi-

men-

mentum nouit dispensationē impetrat nihil dicendo Titiaz nec de impedimento, nec de dispensatione. Similiter Titius religiosus dispensationē obtinet à Prælato pro Caio itē religioso, ipso Caio omnino dispensationis ignaro? Respōdetur affirmatiuē cū Sa v. gratia num. 23. vbi vniuersaliter docet ad gratia, vel beneficij impetrationem non requiri mandatum illius, seu licentiā eius pro quo impetratur; & patet ex L. *uniuersi* 6. C. de

præcibus Imperat. offer. vbi decernitur, *non referre à quo impetratum sit priuilegium, dummodo à Principe sit concessum.* Patet etiam ex cap. *motu proprio*, de præbendis in 6. vbi dicitur posse gratiam concedi ad cuiuscunque petitionē. Benè verum est, quod ad hoc vt dispensatio executioni mandetur debet ab eo acceptari in cuius fauorem impetrata est, vel ab habēte speciale mandatum.

## Q V A E S T I O II.

*An ille qui potest cum alijs in lege dispensare, possit id ipsum facere cum se ipso.*

19 **C**onueniunt omnes id posse facere indirectè, vt cum Pontifex dispensat pro tota Christianitate, vel pro tota Vrbe, vt fecit modo, dum dispensauit in esu carnum, quatuor quadragesimæ diebus, tunc enim indirectè secum dispensare censetur, cum & ipse in eadē vrbe tanquam caput includa-

tur. Similiter cum in Iubileis cum tota dispensat Christianitate, etiam secum dispensare censetur, cum in illa tanquam caput inter membra contineatur. Idem potest facere Pontifex si suam dispensandi alieni committat facultatem, tunc enim ab eo cui commissa est, dispensari poterit; idem dic de quocunque

legislatore tum ſæculari, tum regulari. Vnde ſolum difficultas eſt, an qui poteſt alios directè diſpenſare, poſſit id ipſum ſecum facere, applicādo ſcilicet ſibi immediatè, & directè poteſtatem diſpenſatiuam.

Prima ſententia negat. Hęc tenet Suarez tom. 2. de Religione lib. 6. de voto cap. 12. nu. 14. Azorius tom. 1. lib. 5. cap. 15. q. 6. & alij.

20 Noſtra ſententia ſequenti explicatur cōcluſione. *Quicumque poteſt cum alijs directè diſpenſare, poteſt & ſecū.* Vnde Pontifex quas diſpenſationes alijs facit, & ſibi directè facere poteſt; idem dic de Principe ſæculari reſpectu ſuarum legum; idem dic de Epifcopo, de regularium Prælatiſ, vt eſt Generaliſ, & eius vicariuſ; Prouincialiſ, & eius vicariuſ; Prior, & eius vicariuſ; & vniuerſaliter quicumque facultatem habet ſiue ordinariam, ſiue delegatam cum alijs diſpenſandi poterit ſecum directè diſpenſare. Hęc concluſionem habet D. Thomas in 4. diſt. 20. q. 1. art. 5. quaſtiunc. 4. ad 3. vbi habet:

*Excoꝛmunicatio fertur per modum ſententię, quam nullatenus in ſe ipſum ferre poteſt, eo quod in iudicio non poteſt idem eſſe iudex, & reuſ; Indulgentia autem, non per modum ſententię datur, ſed per modum diſpenſationiſ cuiuſdam, quam homo poteſt facere ad ſe ipſum. Vbi vt vides D. Thomas differentiam aſſignat, quare non poſſit Prælatuſ ſe ipſum excoꝛmunicare, poſſit tamen ſibi indulgentiã facere, & diſpenſare ſe ipſum, quia eiuſdem ad ſe ipſum non eſt iuriſdictio contentioſa, & coactiua, in qua teſtes produci debeāt, aut reuſ puniri, in hoc enim diſtinctio requiritur perſonarum, ſecus in iuriſdictione liberali, & gratuita, qualiſ eſt diſpenſatio, ac proinde in hac per ſe quiſ poteſt ſe ipſum diſpenſare. D. Thomam ſequuntur plures quos refert, & ſequitur Sanchez lib. 8. diſp. 3. per totam & Antonin. Diana p. 8. tract. 3. reſol. 16. Ratio eſt illa, quam tangit D. Thomas, quia poteſtas diſpenſandi ſiue ordinaria, ſiue delegata ſit, ſiue ſpiritualiſ, ſiue ciuiliſ, nō eſt contentioſa, quę teſtium eget*

egeat probatione, quæ partis egeat citatione, quæ partium, seu personarum requirat distinctionem, sed est potestas quædam favorabilis, & gratiosa quam quis erga se ipsū exercere potest, sicut & potest erga alios. Certè ridiculum esset dicere quod superior posset magis favere alijs, quàm sibi; posset esse magis liberalis cum alijs, quam secum; nè ergo hoc dicatur, & ne sit Prælatus deterioris conditionis, quam subditi, dicamus quod sicut potest cum subditis directè dispensare, ita possit & secum. Soluuntur contrariorum argumenta.

21 Primum argumentum est, quia idem supra se ipsum iurisdictionem non habet. *L. ille à quo, ff. ad Trebell. & L. penult. ff. de recept. arbitr.* Atqui dispensare est iurisdictionem exercere; ergo non potest esse erga se ipsum. Maior nota est ex citatis iuribus. Minor probatur, nam dispensare, est actus iurisdictionis superioris in subditos; nullus namque potest superiorem dispensare nisi facultatè ab eo accipiat, tum quia dispensatio est iuris

stricti relaxatio, hoc autè esse nequit, nisi ab habente iurisdictionem; ergo. Vnde sicut nullus potest non subditos dispensare, quia in illos non habet iurisdictionem; ita ob eandem rationem, nullus poterit cum se ipso dispensare, cum nullus sibi ipsi sit subditus, & superior? Respondetur distinguendo maiorem, nullus in se ipsum iurisdictionem habet coactivam, & contentiosam, & conceditur; voluntariam, liberalem, favorabilem, & gratiosam, & negatur. Deinde conceditur minor, & negatur consequentia. Licet enim idem nequeat esse superior, & inferior secundum eandem rationem, potest tamen esse secundum diuersam. Vnde Prælatus dum secum dispensat, duorum officio fungitur, quæ dispensationem sibi applicat, seu iurisdictionem erga se exercet, Prælati fungitur officio; quatenus verotalis dispensatio sibi applicatur, fungitur officio subditi.

22 Secundum argumentum: Eiusdem est ligare, ac solvere *cap. inferior, dist. 21. & cap. cum inferior, de maior. &*

R r r r obed.

obed. Sed nemo potest se ipsum sua lege ligare; ergo neque per dispensationem solvere? Respondetur verum esse, quod qui potest ligare per legem, possit etiam solvere, non tamen e contra cum plures possint a lege solvere, qui tamen ligare non possunt, ut patet in illis qui leges condere non possunt, possunt tamen in multis solvere. Episcopus namque leges condere non potest Pontificias, & tamen in multis potest ab illis solvere. Regularium Prælati Pontificias leges non faciunt, & tamen suorum virtute privilegiorum a multis solvere possunt. Prælati locales nec regulares leges condere valent, & tamen in multis ab illis solvunt, sicut etiam a Pontificijs.

23 Tertium argumentum desumunt ex cap. *fin.* de instit. ubi determinatur quod beneficii collator non possit se ipsum instituere; & redditur ratio, quia *inter dantem, & accipientem debet esse personarum distinctio*; ergo hoc idem dici debet de dispensatore, cum dispensator sit dispensationis beneficiorum imperiens, &

ille cui dispensatio conceditur, sit dispensationis beneficium recipiens? Respondetur quod illa decisio, ut notat Panormitanus ibidem, nu. 5. non est generalis, sed specialis in beneficijs; & rationem assignat, quia perniciosum est, ac ambitionem sapit, quod Prælati, qui debet esse beneficiorum distributor, ea sibi met ipsi applicet, non sic in dispensationibus, non enim male sapit quod Prælati eodem modo cum se ipso dispenset, sicut dispensat cum alijs: Dixi eodem modo, quia si Prælati cum alijs dispenset difficulter, & secum faciliter, ut faciunt aliqui sonabit male.

24 Sed quæres primò, an Prælati ad hoc ut censeatur secum dispensare sufficiat quod scienter rem talem faciat ad quam faciendam licet, dispensatio requiritur? Exemplo re explico: Prælati comedit carnes, quarum comestio a Regula vetatur, an ut secum dispensare censeatur, sufficiat carnes comedere, ita quod facto ipso sibi dispenset, an vero requiratur aliqua saltem mentalis dispensatio, qua se-  
cum

cum dispenset. Huius difficultatis resolutio dependet à resolutione illis, an ad hoc ut Pontifex, vel Princeps, vel Prælatus dispenset, sufficiat scienter factum inferioris admittère, quod sine dispensatione admitti non potest; seu an sit sufficiens dispensationis signum, quando Pontifex, vel Princeps, vel Prælatus scienter factum admittat, quod sine dispensatione saltem licitè, admitti non posset; ut si Pontifex scienter irregularem ad Ordines, vel beneficia admoueat. Si Princeps seruum scienter iudicem constituat. Si Episcopus scienter inhabilem, in habilitate illa, in qua dispensare potest, ad Ordines promoueat. Si Generalis, vel Prouincialis, vel Capitulum Generale, vel Prouinciale aliquem scienter admittat, qui inhabilis est eà inhabilitate in qua admittens dispensare potest. Aliqui volunt requiri causæ cognitionem saltem quando dispensatio fit, non ab ipso Principe, sed ab inferiore: sed verior, & communior sententia tenet, non requiri causæ cognitionem,

sed sufficere facti ipsius scienter admissionem. Innoc. cap. *diuersis*, de clericis coniug. & cap. *ueniens*, de filiis Presbyterorum. Syl. v. *irregularitas*, ibi Armilla. Nauar. cap. 25. num. 74. & alij communiter. Si ergo Princeps cum alijs dispensare censetur, quando factum, ad quod ponendum dispensatio requiritur, scienter admittit; ita pariformiter cù se ipso dispensare censebitur, quando factum ad quod eiusdem Principis dispensatio requiritur, scienter ponit, & idè dic de quocunque alio cum se ipso dispensare potente. Et ita ab omnibus practicatur, nec vnquam vidi Prælatum aliquem præmittere causæ cognitionem, ut cum se ipso dispensaret, nec aliter dispensasse, nisi ponendo actû scienter, quem ex dispensatione ponere potest.

25 Quæres 2. an sicut Prælatus secum dispensare censetur, sola operis positione, ut dictum est, ita ut dispense cum alijs, sufficiat illi, videre solam operis aliorû positionem; seu ut alij proponunt, an sola Prælati patientia,



ria, & taciturnitas, qua videt aliquem exercere sibi interdita, quæ sub eiusdem Prælati cadūt dispensatione, dispensare censetur? Negat Suarez de legibus lib. 6. cap. 13. nu. 22. Bonacina item de legibus disput. 1. q. 2. punct. 1. nu. 18. & alij. Sed verior sententia affirmat: hanc docet Sotus dist. 18. q. 4. art. 3. §. circa concessiones. Sanchez plures referens lib. 8. disp. 4. nu. 26. quando scilicet Prælati videt, & tacet cum posset facilè contradicere. Ratio est, quia quando Prælati videt subditum contra suam legem agere, & tacet, cum posset talem actum impedire, præsumitur talè actum velè permittere sine suo, & operantis peccato; sed hoc esse nequit, sine tacita dispensatione; ergo censetur tunc tacitè dispensare. Maior nota videtur, quoniam ut constat ex *L. marito*, ff. pro socio, quoties actus cū peccato, & sine, fieri potest, præsumitur, quod Legislatores velit eū actū sine peccato, tum proprio, tum alieno, fieri. Minor probatur, nam Prælati ex pasto-

rali officio tenetur si commodè potest subditorū peccata impedire, quod si non faciat, peccat; ergo quando videt subditum agere contra legē, & non impedit cū possit, censetur in lege dispensare, ne & ipse, & subditus peccet. Adde quod quando Superior videt agi contra legem, censetur ratum habere de præsententi, quod agitur; atqui rati habitio de præsententi, est dispensatio; ergo. Unde in tractatu de pœnitentia docuimus, rati habitationem de præsententi iurisdictionem conferre, ad absoluendum à peccatis, quod est maius, quam in lege quapiam dispensare.

26 Obijcit primò Suarez, quia sola Prælati patientia, & taciturnitas, non est signum consensus necessarij ad legis dispensationem, sed ad summum est signum permissionis transgressionis illius; ergo per talem patientiam, & taciturnitatem, non censetur Prælati dispensare. Nam dispensatio positiviū requirit Prælati cōsensum, taciturnitas autem nec cōsensum, nec dissensum inducit? Respondetur quod

taci-

raciturnitas, & patientia Prælati tunc est solum permissionis signum, quando Prælati non potest sine graui incommodo talem transgressionem impedire, vt quia si impedire vult, scandalū orietur, quia alij videbant transgressorem aliàs bonæ famæ legem transgredi, cum putarent operari legitimè: vel quia videt quod si vult talem subditi actum impedire, vel illū corrigere, subditus malè habebit, & exasperabitur, &c. Secus quando commodè potest subditi actum impedire, & non impedit; cum enim tunc non præsumatur Prælati peccare coniuendo subditi peccato, dispensare censetur. Aduerte tamen quod aliud est subditum actionem incipere vidente Prælato, & tacente; & aliud est Prælatum inuenire subditum operantem, & tacere, in primo namque casu facilius dispensatio supponitur, in secundo difficilius: vnde si Prælati inueniat aliquem, vel aliquos religiosos sine venia bibentes, & taceat, non ob hoc dispensare censetur, nec

censetur licentiam concedere vt prosequantur, quia licet posset aliquando Prælati illam, & similes actiones impedire, vt in plurimum tamen non expedit, nec Prælati prudentis est infraganti reprobos corrigere, vel ab illa actione retrahere, sed pro tunc dissimulare, & suo tempore, vel priuatim, si res secreta est, monere; vel publice, si res publica est. Et aliquando expediet nihil dicere, cum sufficiens correctio, & monitio sit, quod subditi fuerint sic à Prælato reperti.

27 Obijcit secendò, quia talis permissio esse potest sine Prælati peccato, vel ad vitandum maius malum, vel ob subditi indispositionem, vel propter aliorum scandalum; vel esto sit cum aliquo negligentia peccato, aut pusillanimitatis, non propterea censetur statim Prælati cū subdito eo casu dispensare? Respondetur hoc Suarij argumentum nil aliud probare, nisi quod non semper Prælati dispensare censetur, sed solum eo casu quando commodè potest impedire,

&

& non impedit; secus quando ob bonos respectus permittit subditum contra propriam legem agere, ut patet ex dictis.

28 Quæres tertio, an Prælatus possit secum dispensare, & cum alijs in lege Pontificia, quando in lege, vel canone dicitur dispensationem permitti, non tamen dicitur cui permittatur; ut si lex vel canon dicat: *nisi in eo dispensetur*, vel *permittimus dispensari*, & non explicetur à quo dispensatio fieri possit: vel si dicatur *nullus faciat hoc, nisi dispensetur &c.*? Respondeatur affirmatiuè. Ita Sanchez lib. 8. disp. 5. nu. 1. Ratio est, quia in lege nullum debet esse verbum, quod suum non habeat effectum cap. *si Papa*, de priuilegijs in 6. At nisi illa vel similia verba *nisi dispensetur*, de Prælato intelligantur inferiori, nullum habebunt effectum; ergo de Prælato intelligi debent inferiori, ac proinde poterit, & secum, & cum alijs dispensare. Maior patet ex textu citato, & etià quia præsumitur, legislatorè, nullum verbum superfluum

in sua lege, ponere. Maior probatur, quia cum certum sit legislatorem in sua lege posse dispensare, illa verba nequeunt ad ipsum legislatorem extendi, sed ad inferiorem Prælatus; ergo ne sint frustranea, debet inferior Prælatus posse in tali lege dispensare.

29 Limitatur primò tradita resolutio ut non intelligatur quando lex, vel canon, ipsum Prælatum, non Prælati subditos afficit; nam dum Pontifex legem fert, Episcopos v.g. ligantem, vel religionum Prælatos, & ponit illam clausulam *nisi dispensetur*, nõ censetur dispensandi facultatem, ipsis ligatis concedere, sed eam sibi reseruare. Sanchez supra nu. 3. Quod si lex totam liget communitatem, poterit Prælatus inferior in tali lege dispensare, quando talis adesset clausula, nõ solum cum communitate, verum etiam cum se ipso, saltem indirectè, ut ex dictis liquet. Limitatur secundò, ut dicta resolutio locum nõ habeat quando lex vel canon poenam imponit, quæ à solo

supre-

supremo Principe imponi potest, quia tunc solum eiusdem Principis erit à tali poena solvere. Sed hanc limitationem valde probabiliter reicit Sā-

chez loco citato nu.4. cum Alciato, quia alioqui illa verba, nisi dispensetur, nihil operarentur.

## Q V A E S T I O III.

*An dispensatio iustam causam requirat.*

30 **P**ures difficultates continet huius questionis titulus, quas oportet breuiter resolvere, cum longior discussio ad generalem tractatum de dispensationibus pertineat. Prima difficultas est, an valida sit dispensatio, quam inferior facit in lege superioris, sine iusta causa? Vt cum Pontifex dispensat in lege diuina, & naturali, vt in votis, iuramentis, matrimonij impedimentis, quæ naturali iure matrimonium vel impediunt, vel dirimunt iuxta dicta, supra de impedimentis matrimonij. Similiter, an sit valida dispensatio, quam facit Episcopus in legibus Pontificis, sine iusta causa, idem dic de quocunque inferiore, dum in su-

perioris sui lege, sine iuxta causa dispensat? Respondeatur quod per se loquendo dispensatio inferioris in lege superioris sine iuxta causa est nulla, & irrita: Est communis Theologorum, & Canonistarum sententia. Quoad Pontificem in lege diuina sine causa dispensantem: tradit D. Tho 2.2.q.88. art.12. ad 2. vbi eleganter contrariam impugnat sententiam, eorum scilicet, qui dicebant eodem modo posse Pontificem subditorum vota resolvere ac pater, Prælatus, &c. quippe, pater, Prælatus, vir, potestate dominatiua præditi sunt, ac proinde liberè, & sine causa possunt voluntatem filij, subditi, vxoris, infringere, eorum vota ad libitum irri-

ran-

rando, non sic Pontifex, nec alij Prælati respectu eorum, quarum voluntatem dominium non habent, horum namque respectu, solum spiritualem habent dispensatoriam potestatem, quæ cum nõ sit data in destructionem, sed in ædificationem, nõ possunt ad libitum suorum vota inferiorum infringere, sed solum iusta existente causa; qui namque aliena bona dispensat, tenetur id facere secundum Domini voluntatem, quæ non censetur adesse, quando nulla sufficiens causa adest. Præsumi namque non potest, quod superior sua adsit voluntate ad rei suæ iniustam destructionem. Quoad alios inferiores, ut Episcopum in lege Pontificia dispensantem. Prælatum regularem, &c. docent Angelus v. *dispensatio*. Syl. eodem v. Armilla ibidem, Sotus lib. 7. de iust. q. 4. art. 3. Sa. v. *dispensatio*, & alij plures quos refert, & sequitur Sanchez l. 8. disp. 17. nu. 4. Ratio est, quia quoties superior inferiori committit dispensandi potestatem, iusta intelligitur existere cau-

sa, nec præsumi potest inferiorem eo casu constitui Dominum voluntatis superioris; unde cap. *de multa*, de præbendis dicitur, quod *mandatum Pontificis ad ius referri debeat*.

31 Sed quæres primò, an quâdo Prælati inferior bona fide putat iustam adesse dispensandi causam, validè dispense? Respondetur affirmatiuè dummodo à parte rei aliqua causa adsit, licet alias insufficiens. Ita Sanchez loco citato num. 8. post Azorium lib. 7. cap. 29 q. 6. Ratio est, quia non est credendum aliam esse Dei intentionem circa sua leges, nec Pontificis circa suas, nec alterius cuiuscunque superioris, quando inferiori potestatem dispensandi: in suis legibus faciunt, alioqui dispensantes multis angeretur scrupulis, cum multoties contingat non ita claras esse dispensandi causas, unde etiam si sufficiens causa non adsit, valida fiet dispensatio. Imò nõ displicet quod innuit Azorius supra, hoc etiam curre, quando inferior dispensans, putat sufficientem adesse

se

se dispensandi causam, & nulla adest; tunc enim videtur rationabiliter præsumi posse de sufficienti superioris indulgentia pro eo casu. Diana p. 8. tract. 3. resol. 20.

32 Quæres secundò, an valida sit dispensatio, qua inferior in lege superioris dispensat iusta existente causa, sed sine eiusdem causæ cognitione? Negat Azorius lib. 6. cap. 15. q. 9. Sed verior videtur sententia affirmatiua Sanchez l. 8. disp. 17. n. 11. quam sequitur Salas *de legibus*, disp. 20. sect. 9. num. 76. Villalobos, & alij quos refert & sequitur Diana supra resol. 21. Huius sententiæ ratio potissima est, quia nullibi talis dispensatio irritatur. Sed dices quia in Tridentino *sess. 25 cap. 18. de Reform.* determinatur, quod dispensatio non fiat nisi causa cognita? Respondetur cù Sanchez vbi supra Tridentini Decretum debere intelligi quantum ad forum exterius, vt de illa constare possit legitime in iudicio, secus quoad forum conscientia, seu vt ritè, & rectè fiat. Quod si

causa notoria sit, non peccabit dispensans si causæ cognitionem non præmittat, cum in notorijs iuris ordo saltem nõ ita exactè requiratur, nec notorium examine eget *cap. manifesta. 2. q. 1.* Adde neque peccare dispensans sine causæ cognitione, quando causa notoria quidem non est, ipsi tamen dispensati est nota. Ratio est, quia causæ examen ideo petitur, ne quis temere dispense, quæ temeritas abstergitur quando causa ipsi nota est dispensati. In foro tamen externo dispensatio sine causæ cognitione obtenta subreptitia iudicabitur, vt statuit Tridentinum.

33 Quæres tertio, an inferior dum in lege superioris dispensat, possit imponere aliquod onus, vel multam? Negatiuam sententiã docet Sanchez lib. 8. disp. 14. nu. 2. Palaus to. 1. tract. 3. disput. 6. puncto 10. nu. 4. & probabiliorem reputat Diana, & re vera semper est suadenda, cum magis faueat pietati, ac Tridentino loco supra citato, & iudicium destruat quorundam

dam avaritiam, qui suis dispensationibus pecuniarias imponunt multas, vel alia onera. Nihilominus probabilem puto cum eodem Diana D. Antonini 2.p.tit.6.cap.2.S.5. Caietani 1.2.q.97.art.4. & in summa v. *ieiunium* vbi Rosella, Tabiena, Armilla, & Syl. Nauar. c. 21. n. 2. & aliorum sententiam, quod non solum superior, dum in proprijs dispensat legibus, verum etiam inferior, dum in Superioris lege dispensat, possit aliquod onus imponere. Quod superior possit in suis dispensationibus multam, vel onus imponere, patet ex usu, & stilo Romanæ curiæ: vnde modo Alexander VII imponit onus illis, qui uti volunt beneficio dispensationis in carnibus, & lacticijs hac quadragesima anni currentis 1657. vt scilicet recitent quinquies *Pater noster*, & *auê Maria*. Quod etiam Prælatus inferior id possit facere, quando aliunde specialiter non prohibetur, patet ex usu iudicũ, & Prælatorum, præsertim Religionum, qui quando dispensant in ieiunio, solent aliquã

breuem imponere deprecationem: dum in canonico dispensant officio, solent aliquã assignare alicuius psalmi recitationem: imò puto id esse rationabile, quia intentio superioris dum dat inferioribus facultatem dispensandi in proprijs legibus, est quod non semper rigorosa vtantur dispensatione, sed aliqualem faciant commutationem: debent tamen cauere iudices dum multas pecuniarias imponunt, quod nec terminos excedant, nec sibi tales applicent pecunias, sed dentur thesaurario, pauperibus, vel pijs locis distribuendæ, vt à quodam prudenti, sanctissimoque Episcopo fieri obseruauit. Si enim sibi applicent, avaritiæ signum ostendunt. Vbi autem hoc fieri prohibetur, & inhabilitas ad retinendum non apponitur, peccant accipiendo, ad restitutionem tamen non tenentur, sed de hoc alio loco.

34 Secunda difficultas, an valida sit dispensatio, quam Pontifex facit in legibus Pontificijs sine iusta causa? Negatiuam sententiam docent

For-

Fortunius Garzia, Mendoza, Lopez, Iason, Azorius, & Vasquez, apud Dianam p.8. trac.3. resol.4. licet dispensatio Principis sæcularis in suis legibus sine causa sit valida. Rationem discriminis assignant quia Principis sæcularis potestas est purè civilis, & absoluta, & sine vlla limitatione data; At Pontificia potestas est spiritualis à Claviū potestate procedens, & non est absoluta, sed ministerialis, Pontifici data in ædificationem, non in destructionem, ac proinde data non est vt ea Pontifex ad libitum vtatur, sed sub certa regula, & mensura ad commune bonū pertinente, sub qua dispensatio sine causa non continetur, ac proinde irrita cassaque erit. Sed omnino dicendum est talem dispensationem sine causa factam, validam esse. Ita Sotus lib.1. de iustitia q.7. art.3. Arragon. 2.2. q.89. ar.6. & alij plures quos refert, & sequitur Diana loco citato. Ratio est quia vt dicit Glos. *L. relegati, ff. de pœnis, vs lex positiua non liget; est pro ratione voluntas*, vult dicere, quod

eadem voluntate, qua lex posita est, & ligare cœpit, eadem etiam potest desinere; nec maior virtus requiritur, vt desinat, quam requiratur vt sit. Nec fundamentum contrariorum probat, quia licet pontificia potestas ad dispensandum in lege naturali, & diuina sit ministerialis, tamen potestas ad dispensandum in propria lege, est absoluta, & principalis.

35 Tertia difficultas, an Prælatus, vel quilibet alius peccet mortaliter, an venialiter, dispensando in proprijs legibus, sine causa? Peccare mortaliter Põtificem, & quilibet alium in propria lege sine causa dispensantem tenet Suarez de legibus lib. 6. & alij, quos refert Diana loco citato resol.6. Sed dicendum est, quod secluso scandalo, & notabili aliorum damno, non peccat mortaliter, sed solum venialiter, qui sine causa in suis dispensat legibus. Ratio est, quia grauis non videtur deformitas quod vna, vel alter non conformetur toti; ergo talis dispensatio peccatum mortale non continebit;



erit tamen veniale, quia dispensatio sine causa contra rectam gubernationem esse videtur, & potius debet talis dispensatio vocari dissipatio, quam dispensatio. Bene verum est, quod si Prælati talem sine causa, frequenter faceret dispensationem, peccaret mortaliter; unde bene dicit Tridentinum sess. 25. cap. 18. *frequentius legem solvere, exemploque potius, quam certo personarum, rerumque delectu petentibus indulgere, nil aliud est, quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire.* Ex quibus inferitur, quod Prælati, vel quilibet alius sine causa in propria lege dispensas solum venialiter peccat, præciso scandalo, & periculo parvipendendi leges. Similiter non peccat mortaliter subditus, qui talem sine causa, à Prælato petit dispensationem. Unde si quis petat sine causa à Pontifice dispensationem in aliquo matrimonij impedimento, mortaliter non peccat. Addit Diana p. 1. tract. 10. de legibus resol. 35. quod licet subditus peccet venialiter petendo dispensa-

tionem absque causa, non tamen venialiter peccat ea utendo, quia cum talis dispensatio valida sit, nulla post illam manet legis obligatio respectu dispensati, ac proinde non peccabit venialiter subditus utendo dispensatione, cum tunc nulla sit legis transgressio.

36 Quarta difficultas, an Prælati superior possit sine causa dispensare in legibus Prælati inferioris? Respondetur quod cum causa sine vilo peccato dictam dispensationem Prælati superior efficere potest; sine causa vero licet dispensatio valida sit, peccatum tamen mortale intercedit si cum aliorum scandalo id fiat, vel cum alterius notabili damno, vel cum gravi Prælati inferioris iniuria, secus peccatum solum erit veniale, cum sua, Prælati superior, utatur potestate. Maior difficultas est, an Prælati superior possit dispensare in lege pœnali inferioris, & pœnas à Prælato inferiori impositas auferre? Certum est, quod ipso Prælato inferiori consentiente id potest, ab vero ipso

renuente dubitatur? Castrus Palaus tom. 1. tract. 3. disp. 5. punc. 6. nu. 13. tenet nõ posse Prælatum superiorẽ v. g. Generalem auferre pœnam per sententiam alicui latam per Prouincialem; condemnat Prouincialis aliquẽ suæ Prouinciæ religiosum ad pœnam grauem, ob delictum graue, ab eo religio. opatratum, non potest Generalis hanc pœnã sua sponte relaxare, idem dic de pœna à definitorio Prouinciali imposita, quod scilicet relaxari non possit à definitorio Generali. Et à fortiori non poterit Prouincialis relaxare pœnam à Priore locali impositam. Id probat Palaus ex Tridentino sess. 14. cap. 1. de reformat. vbi decernitur quod Metropolitanus, nec alius iudex superior, possit promouere suspensam ab Ordinario, ipso dissentiente. Ratio est; quia eo casu Prælatus, vel iudex inferior à subditis paruipenderetur, & dabitur transgressionum occasio, cum videant se posse eximã pœnis quas immediati Prælati sibi imponunt Rodriguez tom. 1. qq. Regul. q. 2. art. 8.

concedit quod dictam pœnæ relaxationem solũ possit facere Prælatus superior, postquam inferior desijt esse superior, quia tunc eius auctoritas non paruipenditur, cum iam sit officio functus, & cesset ratio Tridentini, quia qui condemnauit, non contemnitur. Sed Palai sèrètia omnino sustineri debet, & vidi ita à prudentissimis practicari, & ita in omnibus tribunalibus practicatur; cum non nisi per viam appellationis, subditus à Prælato inferioris grauamine, se subtrahat; puto tamen quod inter Regulares vbi iuris apices non obseruantur, possit Prælatus superior temperare quandoque pœnam latam à Prælato inferiori etiã ipso renuente, & sine grauati appellatione, quando sibi euidenter constaret, quod pœna imposita ab inferiori Prælato exorbitaret. Adde quod non solum non debet Prælatus superior, pœnam latam à Prælato inferiori per sententiam datam, vel in toto, vel in parte relaxare, nisi quando euidenter exorbitaret, sed neque hoc facere debet

bet in poenis non iuridicè infligitis, sed extra iudicium; Vnde quando Prælatus inferior in Capitulo, vel Refectorio, vel etiam priuatim poenā infligit subdito, ob aliquam transgressionem, nisi sit valde exorbitans, non debet statim Prælatus superior poenā illam relaxare, hoc enim redundaret in dedecus Prælati inferioris; sed si, aliquem vi-

deat excessū in poena à Prælato inferiori imposita eum priuatim moneat, vt sic eius auctoritatem apud subditos sustentet; pertinet namque ad Prælatum superiorem auctoritatem Prælati inferioris sustentare, multum enim prodest bono regimini, quod subditi hanc obseruent consensionem inter Prælatum superiorem, & inferiorem.

## Q V A E S T I O I V.

*An possit Pontifex in matrimonij impedimentis dispensare, vbi alia resoluuntur difficultates.*

37 **E**X dictis supra de matrimonij impedimentis constat quo casu possit Pontifex in ijs impedimentis dispensare, quæ naturæ iure matrimonium resoluunt, nō enim dispensare potest in impedimento ligaminis, cū facere nequeat, quod quis plures simul habeat vxores: dispensare non potest quod pater filiam ducat, & mater filium, &c. Vnde sup-

positis alibi dictis tota difficultas præsens ad sola Ecclesiastica reuocatur impedimenta, ad quam breuiter dico, non posse licitè Pontificem in impedimentis lege humana inductis sine causa dispensare, si tamen dispenset valida erit dispensatio, cum causa vero, & validè, & licitè dispensat. Cōstat ex dictis questione præcedenti, vbi etiam explicuimus quomodo pec-

get mortaliter, vel venialiter, quando in suis, vel suorum prædecessorum legibus, sine causa dispensat.

38 Sed quæres primò, an legatus Pontificis possit in matrimonij impedimētis dispensare? Responderetur negativè, nisi de hoc specialè habeat cōmissionem. *Glof. cap. quia circa, & cap. quod dilectio, de consanguinit. vbi Ioannes Andreas, Butrius, Abb. Card. Anchar. Alexâder de Neuo, Præpositus, & alij.* Ratio horum est, quia legatus etiam à latere de iure communi ea solū potest in sua prouincia exercere, quæ potest Episcopus in sua Dicecesi; quia tamen Episcopus in aliquibus casibus illam facere potest dispensationem, vt quæst sequenti dicetur, eandem facere poterit legatus; vnde quæ de Episcopo dicentur ad legatum applicari poterunt.

39 Quæres secundò, an commissarius Bullæ cruciatæ possit in matrimonij impedimentis dispensare? Responderetur affirmatiuè pro solo cōscientiæ foro, & in sola affinitate ex copula fornicaria cō-

tracta, non solum quoad secundum, verum etiam quoad primum gradum, & subinde decernere potest prolem susceptam, vel suscipiendam legitimam esse; quatuor tamen conditionibus concurrentibus. Prima quod matrimonium cum tali impedimento contractum iam sit iuxta Tridentini formam sess. 24. cap. 1. scilicet coram Parocho, & testibus. Secunda quod impedimentum sit occultum. Tertia, vt bona fides saltem in altero contrahente intercedat, quia scilicet tempore contracti matrimonij impedimentum ignorabat. Quarta quod coniux, qui impedimentum ignorabat certior fiat de matrimonij nullitate, licet necesse non sit, quod nullitatis causa declaretur. Sed petes an dictus commissarius possit etiam legitimare quoad Ordines, & beneficia prolem dictam? Responderetur affirmatiuè, at valebit talis legitimatio pro solo foro interno. Notat Sanchez aliquos asserere, vt Rossensis, Veracruz, & alij, quod mendicantes habeant priuilegium à Leone X.

concessum ad dispensandum cum ijs qui scienter, vel ignoranter matrimonium contraxerunt cum affinitatis impedimento, modo notorium non fit, nec in iudicium deductum. Sed ipse Sanchez notat cum Emanuele, & Henriquez quod hoc privilegium in usu non fit, eo quod forte pro vno actu concessum fuerit; vel quod nil aliud velit, quam quod possint mendicantes dispensare in debiti petitione, & quod possit talis incestuosus primo dissoluto matrimonio aliud inire. Notat etiam idem Sanchez religiosos societatis habere privilegium à Paulo III. dispensandi cum infidelibus ad fidem conuersis in regionibus remotissimis, ut possint manere in matrimonio prius celebrato in gradibus humano iure prohibitis. Sed hoc privilegium parum prodest, cum matrimonium tempore infidelitatis celebratum in gradibus humano iure prohibitis validum sit, iuxta cap. *Gaudemus*, de diuortijs.

40 Quæres tertio, an Pontifex possit in matrimonij ra-

dice dispensare? Sensus questionis est, an dato casu, quod aliqui scienter matrimonium validè contraxerint, ob aliquod impedimentum humano iure inductum, possit Pontifex ita cum ijs dispensare, ut proles iam nata, vel nascenda, eodem modo sit legitima, ac si matrimonium initio fuisset validum? Conueniunt communiter Theologi, quos videre poteris apud Sanchez lib. 8. disp. 7. num. 1. non posse Pontificem directè talè facere legitimationè, quoad bona temporalia, sed solum quoad Ordines, officia, & beneficia Ecclesiastica, illis personis, quæ quoad temporale iurisdictionem Ecclesiæ dominio non subduantur, quia sicut Princeps secularis non potest legitimare quoad Ecclesiastica, ita nec Pontifex extra ea loca, ubi habet temporalem iurisdictionem, legitimare poterit quoad temporalia. Difficultas solè est, an Pontifex possit eam facere legitimationem indirectè, dispensando scilicet in radice matrimonij irriti, contracti? quod est quærendum, an Ponti-

fex

fex efficere possit, vt dispensatio illa retrotrahatur ad tempus quo illud matrimonium irritum, contractum est, ita quod censeatur quasi à principio validè initum fuisse, ad eum effectum vt proles ante dispensationem habitæ, sit quoad officia, beneficia tum secularia, tum Ecclesiastica, tum quoad successionem, tum quoad legitimam, &c. ac si ex legitimo matrimonio nata fuisset.

Prima sententia negat, quæ sequitur Molina to. 3. de iust. tract. 2. disp. 624. num. 3. Hurtadus de matrim. disput. 26. diff. 3. nu. 5. Coninchus disp. 33. disp. 4. Perez disp. 44. sec. 5. num. 4. Sed hæc sententia malè sapit apud Sacram Cardinal. Congregat. super negotijs librorum indicis præpositorum, vt vide est ex ablatione numeri 4. disp. 7. lib. 8. Thomæ Sanchez die 4. Feb.

1627: & ex additione ab eadem S.C. facta, in qua opposita sententia firmissimè comprobatur tum ratione, tum auctoritate Doctorum, qui longa manu in ea additione referuntur. Vnde secunda sententia opposita omnino est tenenda, quod scilicet Pontifex talem facere possit legitimationem. Ratio est, quia radix, & origo ex qua sequitur, quod proles sit illegitima, est lex Ecclesiastica, qua tale impedimentum dirimens statutum est; atqui Pontifex potest suam legem reuocare quoad omnes effectus humano iure sequutos, & non solum quoad sequendos; ergo. Potest enim Pontifex ita legem suam reuocare nunc, prout ex tunc, quando edita fuit, & hoc est dispensare in radice matrimonij, faciendo quod dispensatio retrotrahatur ad matrimonij initium.



## Q V A E S T I O V.

*An Episcopus dispensare possit in matrimonij  
impedimentis dirimentibus, & maxime  
quando impedimentum est dubium.*

41 **P** Atet ex dictis quaest. precedenti non posse Episcopum per se loquendo in dictis dispensare impedimentis, hoc enim solius Pontificis proprium est, cum enim dicta impedimenta sint vel à generali Concilio à Pontifice confirmato, vel ab ipso Pontifice statuta (loquimur enim de impedimentis iuris humani) non poterit Episcopus, quippe inferior, in illis dispensare, ita enim & usus obtinuit, & docent plerique; vide Abb. cap. *cum dilecti*, de electione. Archid. cap. *licet causa*, de electione in 6. Unde praesens difficultas ad hoc reuocatur, an Episcopus (& idem est de legato, ut quaest. precedenti notauimus, cum in suae Prouinciæ legatione eiusdem sit potestatis non maioris, ac Episcopus, nisi aliud maius à Pontifice concedatur) possit

per accidens, ratione scilicet magnae necessitatis in dictis impedimentis dispensare? Negat Corduba lib. 1. quaest. narij q. 11. Veracruz 3. p. speculi art. 12. & alij.

42 Nostra sententia sequenti explicatur cōclusionē. *Potest Episcopus in casu magna necessitatis, in matrimonij impedimentis dispensare.* Ita Syl. v. *dispensatio*, q. 9. Angelus, & Armilla eodem verbo. Nauar. c. 22. nu. 85. Cadelab. 1. p. de *matrim.* Lessius de iust. cap. 40. nu. 127. & alij communiter. Casus autem erit, quando matrimonium bona fide in facie Ecclesiae contractum est, & impedimentum est occultum, & sine scandalo separatio fieri non potest, nec Pontifex, aut alius habēs dispensandi priuilegium adiri potest, vel ob coniugij paupertatem, vel ob loci distantiam,

tiam, vel quia sine euidenti, grauissimoque peccandi periculo dispensatio differri non potest. Ratio communis est, quia incredibile videtur velle Pontificem eo casu talem sibi reseruare dispensationem, cum grauissimo animarum periculo; Tum quia regula generalis Canonistarum est, quod possit Episcopus in casu grauis necessitatis, quando præclusus est additus ad Pontificem, in legibus Pontificijs dispensare, Abb. & alij cap. *si clerici*, de iudicijs; ergo etiam in ista impedimentorum lege dispensare poterit eodem necessitatis casu occurrente. Si enim potest Episcopus in casu necessitatis absoluere à reseruatis Pontifici, vt docet omnes, & etiam nos in tract. de Poenitentia aduertimas, id ipsum facere poterit in casu præsentis? Hoc tamen facere non potest Episcopi Vicarius, nisi id specialiter illi ab Episcopo delegetur. Addit Sanchez lib. 2. disp. 40. non solum Episcopum posse dictam facere dispensationem matrimonio iam contracto, verum etiam antequam contrahatur,

vt si hodie debeat matrimonium celebrari, & iam parata sint omnia, & discooperiatur impedimentum dirimens, quia sponsus v.g. cognouit consanguineam sponsæ intra gradum prohibitum, & non possit hoc propalari sine infamia, tunc poterit Episcopus ex Pontificis voluntate præsumpta, dispensare. Nota etiam requiri bonam contrahentium fidem, vt dispensationis beneficium valeant obtinere, vt docet Tridentinum sess. 24. cap. 5. vbi dicit: *Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit separetur, & spe dispensationis consequenda careat, idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantum matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit, siquidem solemnitates requisitas, in contrahendo matrimonio neglexerit, eisdem subiiciatur penis. Non enim dignus est qui Ecclesia benignitatem facile expropietur, cuius salubria præcepta contempserit.* Non poterit tamen Episcopus dictam facere dispensationem, quã



do pateret additus ad Legatum, qui dispensandi haberet facultatem. Ita Sanchez supra num. 8. non tamen omnino displicet Henriquez l. 6. de Penit. cap. 10. & lib. 11. de matrim. cae. 3. & aliorum sententia, posse tunc Episcopum dietam facere dispensationem. Ratio est, quia Pontifex sibi non alijs dispensationem reseruauit; ergo quando ad Pontificem recurri non potest, non erit obligatio recurrendi ad alium; idem dicunt in alijs materijs; sed prior sententia, ut tutior, & probabilior sequenda est.

43 Circa secundum, an Episcopus dispensare possit in impedimento dirimere, quando dubium est. Suppono quod licet Episcopus absolute dispensare nequeat in lege Pontificia, dentur tamen aliqui casus ab omnibus concessis, in quibus Episcopus dispensare valet, ut ob necessitatem, vel consuetudinem veterium moribus receptam, vel ob magnam, & subito contingentem vtilitatem, ita ut facile, & commodè non pateat ad sanctam sedem adi-

tus, similiter ratione vtilitatis crebro accidentis, ratione leuitatis, & paruitatis materiae, ratione frequentiae eiusdem actus &c. esset namque difficile valde, & onerosum nimis, in hijs Papam adire, & consulere; ita Syl. v. dispensatio, Soto lib. 1. de iust. q. 7. art. 3. Caiet. 1. 2. q. 97. art. 4. Azorius lib. 5. cap. 15. q. 7. & alij communiter. Vnde quod quaeritur in praesenti est, an ratione dubietatis praecise, seu an ipsa dubietas, vel dubium, an casus sit reseruatus, vel impedimentum reseruatum sit nec ne, tribuat Episcopo dispensandi facultatem. Thomas Sanchez lib. 1. in decal. cap. 10. nu. 74. & lib. 8. de matrim. disp. 6. nu. 18. quem sequitur Alphonsus de Leone, de potestate Confessarij, p. 1. recollect. 15. num. 25. distinguit, vel enim in illo dubio praesumptio stat in foro externo pro veritate delicti, vel non; si primum, tunc casus haberi debet pro reseruato, quia hac praesumptione stante, possessio est pro certitudine delicti, vel impedimenti, & illi praesumptioni standum est in utro-

que

que foro, dum contrariū non probatur. Si secundum, dispensatio poni poterit.

44 Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Etiam stante presumptione delicti, vel impedimenti, vel quod casus sit reseruatius, &c. dummodo semper ratio dubij saluetur, poterit Episcopus dispensare.* Ita absolutè loquuntur in casu dubio sine vlla restrictione Suarez *de censuris*, disp. 40. sec. 6. nu. 5. & tom. 2. *de Relig.* lib. 4. cap. 5. nu. 15. Filliuc. to. 2. trac. 21. cap. 4. nu. 172. Henriquez lib. 6. *de Pœnit.* cap. 26 num. 6. Hurtad. *de Pœnit.* diff. 1. d. 6. nu. 5. Lugo *de Pœnit.* disp. 20. sec. 2. nu. 18.

45 Probatur primò, quia vt optimè adnotauit Sâchez, contra quem disputamus, in *decal.* lib. 1. cap. 10. nu. 74. reseruatio est odiosa, & strictæ interpretationis, ac proinde cadere debet supra delictum simpliciter tale; atqui delictum dubium quantumuis illi aliqua suffragetur præsumptio, non est delictum simpliciter tale; ergo non cadet sub reseruatione. Argumen-

tum clarum est.

46 Probatur secundò, ad hominem contra illum auctorem, nam lib. 4. in *decal.* c. 44 nu. 3. & cap. 40. num. 26. docet quod licet præsumptio stet pro voto castitatis emissio, quia verba prolata fuerunt talia, in dubio tamen de intentione, licet votum obliget propter illam præsumptionem, non tamen est reseruatius, quia reseruatio est odiosa, & restringi debet ad casus certos, non ad dubios, atque ita, reseruatius voto, intelligi debet de voto certo, & nullo modo de dubio; Sed tam odiosa est reseruatio cuiuscunque alterius rei, v.g. peccati, censuræ impedimenti, & similibus, quam sit reseruatio voti, & fortè magis; ergo si voti reseruatio de solo voto certo intelligitur, quacunque ex parte teneat præsumptio, ita & reseruatio impedimenti de solo impedimento certo intelligitur, non de dubio, quomodo se habeat præsumptio. Nota tamen quod si in iure reseruatio ad casum dubium extenderetur, vt est

irre-

irregularitas homicidij, tunc dubietas nihil suffragaretur. Vide circa resolutam difficultatem Emanulem Sa. v. *dispensatio*, vbi dicit: *in dubio an res egeat dispensatione potest Episcopus declarare non egere, vel ad cautelam dispensare*. Vnde reicienda venit limitatio Sanchez loco citato *de matrim.* quod Emanulis Sa doctrina solū procedat quando res esset omnino dubia, & quod tunc non sit dispensatio, sed solum simplex, seu prudētia declaratio, quam etiam vir doctus facere potest. Nam vt vides non tri-

buit plus Episcopo quoad casus dubios, quam viro docto concedat, quod certè videtur falsum, & contra doctrinam omnium Theologorum: vide Dianam 4.p. de consciētia dub. resol. 46. vbi pro nostra sententia, & contra Sanchez refert Laymanum, Palaum, & Barbofam, quibus addo Egidium de Tullench. *in decal. lib. 2. c. 2. dub. 39. n. 4.* vbi dicit: *Item quando dubitatur, an res egeat dispensationi, poterit Episcopus in lege superioris dispensare, eo quod casus dubius non videatur superiori reseruat.*

## Q V A E S T I O VI:

*Quid possit facere Episcops circa impedimenta impedientia, vbi aliae difficultates explanantur.*

47 **C**irca impedimenta impedientia matrimonium, & non dirimentia, est consensus Theologorum sententia, Episcopum posse in omnibus dispensare, exceptis sponsalibus, & voto sim-

plici, de quo modo; nam sponsalia cum aliqua validè contracta, sine partis consensu dissolui non possunt vt cōmuniter tradunt, nisi talis superueniat mutatio, quod ratio dicit vel illa nulla esse, vel

vel resolui posse; cum enim sint quidam contractus rigorosus, sub alterius non cadit dispensatione, supposita validitate illius; poterit quidem supremus princeps & hunc, & alios irritare contractus sicut & matrimonium ipsum clandestinum Ecclesia irritauit, non tamen alius inferior. Votum simplex quod est impedimentum impediens, est votum simplex castitatis, religionis, suscipiendi Ordines sacros, & non nubendi, quæ vota fieri possunt tum ante, tum post matrimonium contractum.

48 Suppono primò quod licet iure antiquo solum votum in sub sidium Hierosolymitanæ expeditionis esset Pontifici reseruatam, vt constat cap. *ex multa*, de voto, tamen ex consuetudine non solum tria, vt quidam tradit apud Lessium lib. 2. cap. 40. nu. 122. sed quinque, scilicet castitatis perpetuæ, religionis approbatæ, peregrinationis ad limina Apostolorum, ad S. Iacobum Compostellæ; & ultra marinum, seu ad terram sanctam, sunt Pon-

tifici reseruata: colligitur ex extrauag. *Et si Dominici*, vbi hæc 5. vota Pontifici reseruari videntur, & excommunicantur illi, qui ab his absoluere præsupserint; hæc tamen propria fuit non illorū votorum reseruatio, sed antiquæ consuetudines confirmatio. Quantum autem ad nostrum spectat institutum, solum duo priora vota faciūt, cum sola illa, non tria posteriora, matrimonium impediunt.

49 Suppono secundò, solum votum castitatis perpetuæ esse Pontifici reseruatam non votum castitatis ad tempus, vt 10. 15. 20. annorum, non autem 100. quia tempus 100. annorum perpetuum cęsetur. Vnde potest Episcopus dispensare in voto non fornicandi, quia non est votum castitatis perpetuum, in voto non petendi debitum, propter eandem rationem, etiam si coniuges communi consensu vouissent nec petere, nec reddere debitum, nec fornicari, quia adhuc ista non sunt vota integre perfectæque castitatis, cum per il-

la libertas relinquatur ad secundas nuptias transeundi. Similiter potest Episcopus dispensare in voto castitatis, quod quis facit matrimonio consumato, etiam de alterius coniugis licentia, quia adhuc tale vorū integrum perfectumque non est, cum adhuc teneatur reddere debitum alteri coniugi petenti, secus esset, si vterque communi consensu castitatem absolute, perfecteque vouisset. Item dispensare potest in voto non nubendi, quia votum hoc non est perfectæ castitatis cum per fornicationem non violetur. In voto item virginitatis dispensare potest Episcopus, si per virginitatē vouēs non intellexit propriā castitatem, sed solum conservationem integritatis carnis. In voto similiter sacros suscipiendi Ordines; quia hoc non est castitatis votum, vt patet. Denique dispensare poterit Episcopus in voto non reseruato in quod à Pontifice reseruatum cōmutatum est; cum hoc nouum votum in quod cōmutatio facta est non sit reseruatum.

Hoc posito.

50 Difficultas est, an Episcopus possit in aliquo casu dispensare in voto integro, perfectoque castitatis? Respondetur affirmatiuè, in sequentibus casibus. Primus est, quando voto castitatis adstrictus matrimonium cōtraxit, & consumauit; quando incontinentiæ a desset periculum, tunc enim dispensare posset vt debitum redderet; imò probabile est quod hoc facere possit ante matrimonij consumationem, cum ille non cogatur religionem ingredi, vt votum obseruet. So-us dist. 38. q. 2. art. 1. & alij communiter. Secundus quando coniuges communi consensu post matrimonium cōtractum, consumatūque continentiam vouerunt, sed postea vterque, vel alter tantum, in incontinentiæ periculum incidit. Ita Canonistæ communiter in cap. rursus 6. qui clerici, vel vouentes. Quod si facilis esset tunc recursus ad summum Pontificem, ad eum recurri deberet. Tertiò, quando castitatis votum est metu emissum; licet

licet non omnino iusto, seu graui, ratione cuius sit irritum; tunc enim Episcopus dispensare poterit, vt ille qui tale votum emisit, matrimonium contrahat. *Glos. cap. veniens, 5. Qui clerici, vel vouentes. Ratio est, quia reseruatio cum sit odiosa, de voto omnino libero est intelligenda. Angelus v. votum. Nauar. cap. 11. nu. 59. Quarto quoties est magnum incontinentiæ periculum, & non est facilis recursus ad Pontificem. Nauar. supra. Imò id verum habet ad impediendum scādalum, vel dānum tertij, quod ex mora prouenire potest, vt si iuuenis, castitatis, vel religionis voto adstrictus virginem grauidauit, & si expectetur Pontificis dispensatio puella infamabitur. Si enim ratione vitandi scandali, vel infamiæ, potest parochus v.g. celebrare in irregularitate, vel excommunicatione; & Ecclesiæ Rector quādo periculum est in mora, potest sine superioris licentia, Ecclesiæ bona alienare, ita etiam tunc temporis Episcopus in eo vo-*

to poterit dispensare; plura enim conceduntur necessitatis tempore, quæ extra necessitatem denegarentur; necessitas namque legem non habet. S. quando castitatis votum est alterius accessoriū quod reseruatum non est, tūc ablato principali per Episcopū, vel alterum facultatem habentē, ablatum censetur accessorium: vt si quis vouit nō ludere, non fornicari, &c. Sub poena seruandæ castitatis, vel ingrediendæ religionis: tunc ablato primo voto aufertur secundum. *Nauar. c. 12. n. 43. & 75. Putat tamen Nauar. quod conditione impleta, nō possit Episcopus amplius in castitatis, vel religionis voto dispensare, eo quod tale votum non amplius sit cōditionatum, sed in absolutum trāsierit per conditionis impletionem; appositum tamen sua non caret probabilitate, quia licet tale votum conditione purgata transeat in absolutū, tamen non est omnino absolutum, sed in sua radice est pœnale, vel conditionatum; sed de hoc suo loco fusius vitā comite, intetim videatur*

Soto lib. 7. de iust. q. 4. art. 3. Toletus lib. 4. c. 18. qui idem dicunt de voto conditionato antequam conditio purificetur, quia votum conditionatum non est perfectum, absolutumq; castitatis, & religionis votum. Videatur etiam Lopez cap. 44. ubi apertè docet cum Cano, & Medina, quod votum pœnale, seu votum emissum sub conditione in pœnam delicti, etiam purgata conditione non sit reseruatum; cum non sit emissum ex castitatis, vel religionis affectu, vel intuitu, sed in delicti pœnam, & sic potius pœna, quam votum censetur. Vnde Toletus supra dicit: *notandum quod notauit Victoria; ista quinque vota tunc reseruari Pontifici, cum absoluta sunt; cum vero conditionata, vel pœnalia, pertinent ad Episcopum.* Sextus casus quādo votū fuit disunctiuè nōcupatum, hoc modo, voueo castitatem, vel ferre habitū S. Francisci, in perpetuum: tunc enim in vouentis potestate erit eligere quam voti partem maluerit, quod si eligat deferre tertiariorum ha-

bitum, ab Episcopo dispensari poterit; si vero castitatem, non poterit. Sanchez lib. 8. de matrim. disp. 9. num. 14. & alij; in alternatiuis namque id voueri censetur absolute, quod vouens postea elegerit, vt etiam in delictis alternatiuis contingit, vt docent Canonistæ in illam iuris Regulā de Regulis in 6. *in alternatiuis electio est debitoris, & sufficit alterum impleri.*

51 *Votum religionis non potest Episcopus dispensare per se, sed solum per accidēs ad eum ferè modum quo diximus de voto castitatis, vt si sit accessorium alterius voti non reseruati, si sit pœnale, si conditionatum etiam cōditiōne impleta.* Vnde si quis graui morbo laborans, vel in aliquo periculo existens, &c. voueat religionem, vel castitatem, si morbū, vel periculū euaserit, votū reseruatū nō cēsetur, vt patet ex verbis adductis à Toletō ex Victoria. Adde, & benè nota: posse Episcopum dispēfare in quibusdā voti reseruati, religionis, & castitatis: qualitatibus, vt si vouisti strictam, & obser.

ohseruantem nimis ingredi religionem, poterit Episcopus commutare in laxiorem, quia tunc Episcopus non dispensat in voto, sed in qualitatibus illius, quia ille tunc à religione non liberatur, sed à quibusdā qualitatibus illius. Ita Syluester v. *votum*, 4. n. 3. vbi etiam docet quod nisi aliud adesset Pontificis decretum, posset Episcopus, so-

la voti natura attenda, dispensare quod professus in strictiori religione transfret ad laxiorem, & quod idem posset facere Abbas de consensu Capituli, dicit de consensu Capituli non ratione voti, sed quia Abbas non potest bona Conuentus alienare, sine Capituli consensu: videatur D. Antonia. 2. par. tit. 17. cap. 2. §. 9.

## Q V A E S T I O VII.

*Quid possint facere regulares circa dispensationem impedimentorum tum dirimentium, tum non dirimentium.*

52 **C**onueniunt omnes posse regulares dispensare in omnibus, in quibus possunt Episcopi iure ordinario, vnde dicit Lessius lib. 2. cap. 40. num. 134. posse regulares dispensare in omnibus votis in quibus possunt Episcopi excepto voto peregrinationis ultra duas dietas, idest ultra 40. vel secundum aliquos, 60. milliaria italica, vt patet ex compendio Mi-

norum nu. 115. Imò etiam in hoc voto possunt qui fruuntur facultate Benedictinis à Martino V. concessa, & qui fruuntur priuilegio à Paulo III. Patribus societatis concessa, quod solum excludit illa 5. vota Episcopis etiam seruata, vt q. precedenti vidimus. Vnde regulares possunt ab omnibus votis absoluerè à quibus Episcopi, exceptis illis quinque, & eo modo, quo



diximus non posse eos absol-  
uere; & eo modo quo possit  
Episcopi, poterunt etiam re-  
gulares, & sic quando votum  
castitatis vel religionis est al-  
terius non reservati accesso-  
rium poterunt in eo regula-  
res absolueres item quādo est  
pœnale, & quando est con-  
ditionatum: & vno verbo,  
quando nō sunt integra, per-  
fectaque castitatis, & religio-  
nis vota, videātur dicta qua-  
stione precedenti, nam ea  
omnia, quæ Episcopis circa  
dicta vota concessimus, etiam  
regularibus concedimus, lo-  
quentes de eo quod Episco-  
pi iure ordinario facere pos-  
sunt.

53 Difficultas est, an re-  
gulares possint suorum virtu-  
te priuilegiorum dispensare  
in impedimentis matrimonij  
dirimentibus in ijs casibus in  
quibus diximus q. 5. præce-  
dēti posse Episcopus per ac-  
cidens dispensare, quando nō  
est facilis aditus ad Pontifi-  
cem, quando est periculum  
incontinentiæ, quādo est pe-  
riculum infamiæ, &c. & pe-  
riculum est in mora: quando  
impedimētum est dubiū, &c.

Item an etiā in nō dirimenti-  
bus, & solū impediētibz, vti  
est votum integræ, perfectæq;  
castitatis perpetuæ, & reli-  
gionis approbatæ.

Prima sententia est, quod  
regulares id facere possunt,  
præsertim quantū ad id, quod  
pertinet ad dispensandum in  
voto perfectæ castitatis, & re-  
ligionis, in casu in quo potest  
Episcopus, scilicet in casu ne-  
cessitatis, vel magnæ utilita-  
tis, ad vitandam incontinen-  
tiam, vel infamiam, &c. Ita  
Croufers in Regulam Sancti  
Francisci cap. 7. lect. 29. quem  
videre poteris apud Dianam  
p. 6. tract. 6. resol. 50. Probat  
Croufers. ex doctrina San-  
chez lib. 4. moral. cap. 40. nu.  
25. vbi docet, quod Episco-  
pus seclusa reservatione po-  
test in sua diœcesi in omni-  
bus dispensare in quibus Pō-  
tifex, cum tantum possit Epi-  
scopus in sua diœcesi, nisi  
aliunde prohibeatur, quantū  
potest Pontifex in toto orbe;  
ac proinde Episcopi non dis-  
pensant in dictis votis per ac-  
cidens, sed per se, in dicto  
necessitatis casu, quia cum  
tunc reservatio non currat,

res in integrum ponitur, ac proinde per se Episcopi tunc temporis dispensare poterūt; Sed Regulares possūt in omnibus dispensare in quibus Episcopi possunt per se loquendo, ergo. Tum quia Regulares dispensare possunt in casibus Episcopalibus, sed in casu necessitatis illi casus sūt Episcopales; ergo in illis regulares dispensare poterunt.

54 Nostra sententia sequēti explicatur conclusione. *Probabilius est quod regulares non possint in impedimentis dirimentibus, nec in distis & otis dispensare in casibus in quibus Episcopi possūt, modo explicato.* Hæc conclusio ut verior sustineri debet, illamque docēt communiter Theologi, vide Sanchez supra cap. 43. nu. 7. Suarez tom. 2. de Relig. tract. de voto cap. 16. nu. 18. & 19. Ratio est, quia cum dicti casus sint Pontifici reservati, nō cadunt sub alterius dispensatione; nisi secundum quod benigna Pontificis mens ad illum se extendit, prout vsus, & Ecclesie consuetudo interpretatur; atqui vsus, & consuetudo Ecclesie talem be-

nignam facit Pontificie mentis interpretationem quoad Episcopos, non quoad regulares; ut vsus docere videtur, ergo. Adde quod Doctores, qui volunt regulares posse dispensare in ijs in quibus possunt Episcopi, loquuntur de illis casibus qui Episcopis, iure competunt ordinario; non vero de illis qui competunt iure extraordinario, & ratione urgentis necessitatis; hi namque non dicuntur simpliciter casus Episcopales, sed Pontificales, cum solum, ad Episcopum pertineant ex quadam iuris interpretatione. Per quæ patet ad Croufertis fundamenta, nam disticasus necessitatis tempore non fiunt propriè Episcopales, ut dictum est, nec Episcopus iure dispensat ordinario, cum adhuc in integrum non reuertantur, sed ex iuris interpretatione, ut patet.

55 Alia difficultas est, an sicut Episcopus dispēlare potest in impedimentis, quæ matrimonio superueniunt, & debiti impediunt petitionem; ut est impedimentum superueniens cognationis spiritua-

lis,

lis, vel affinitatis, vel voti, &c. id ipsum facere possint regulares? Respondetur affirmatiuè, siue impedimentum petitionis debiti proueniat ex cognatione spirituali, siue ex affinitate, ex incestu contracta; siue ob vorum castitatis emissum, eo modo quo Episcopus potest in tali voto dispensare, vt supra docuimus. Videatur Diana p. 10. trac. 10. resol. 20. vbi retractat quod in 6. p. docuerat, quod scilicet priuilegium Pij V. sit per Urbanum VIII. reuocatum, hoc inquam retractat ibi, & bene docet dictum priuilegium adhuc in suo robore manere, licet fuerit viuæ vocis oraculum, cum nulli sit damnosum, seu in nullius tertij damnum cedat. Ob hoc aliqui volunt, quod in generali viuorum oraculorum reuocatione, indulgentiæ præsertim pro defunctis, non reuocentur.

56 Sed quæres primò, an regulares vt dispēscent ad petitionem debiti, debeant esse à Generali, vel Prouinciali deputati? Certum est, quod ad dictam dispēsationem fa-

ciendam in virtute priuilegij Iulij II. concessi Congregationi S. Benedicti Vallisoleti, talis deputatio non requiratur, sed sufficit quod regulares sint expositi ad audiendas sæcularium confessiones.

57 Difficultas est, an dicta deputatio requiratur in virtute priuilegij Pij V. Respondetur negatiuè, ratio est, quia Pius V. ideo dictam requirebat deputationem, quia indulserat regularibus, quod possent sæculariū audire confessiones cum sola Generalis, vel Prouincialis deputatione; at cum modo hæc non sufficiat, sed loco illius sit Episcopi deputatio subrogata, quam facit per regularium approbationem, iuxta Tridentinum, sequitur, quod etiam pro tali dispensatione facienda eiusdem Episcopi deputatio sufficiet. Aduerte tamen quod raro necessarium erit, quantum ad incestum, dictam facere dispensationem, quia communiter vxorati talem poenam non cognoscunt, & tunc cum ob illius ignorantiam, illam non contrahant, necessaria non erit

erit dispensatio. Nec opus est, quod regulares de hac poena certiores faciant vxoratos, tum supposita communi illorum ignoratia; tum quia nulla extat obligatio, quod quis de poena certior fiat, vt illam postea, si delinquat, subeat; tum quia exponuntur periculo, vt debitum petant, contra Ecclesie prohibitionem.

58 Quæres secundo, an dicta regularium facultas, solum extendatur ad subditos illius Episcopi vbi demorantur? Respondetur negatiuè, sed extenditur ad omnes accedentes vt clare colligitur ex Priuilegio Pauli III. Patribus Societatis concessio. Vnde cum dicitur, quod regulares possunt in ijs dispensare in quo possunt Episcopi, non est sensus, quod regulares solum cum ijs dispensare valeant, cum quibus valent Episcopi; Episcopi enim solū cum suis subditis dispensare valent; sed sensus est, quod regulares possunt in omnibus quoscunque dispensare, in quibus Episcopi suos subditos possunt; vnde cum

regulares absoluant poenitentes quoscunque, ex quibuscunque veniant locis, cum ijs omnibus dispensare poterunt. Priuilegia namque toti religioni concessa non debent restringi, sed ampliari.

59 Quæres tertio, an regulares possunt dictas facere dispensationes extra Pœnitentiae sacramentum? Respondetur affirmatiuè. Ratio est, quia votorum commutatio, dispensatio, &c. ex sui ratione sacramentalem non requirunt confessionem; ergo etiam extra illam fieri possunt. Tum quia licet aliqua priuilegia confessionem requirant, alia tamen non requirunt, vti est illud quod concessit Gregorius XIII. in Bulla ad perpetuam anno 1575. Patribus Societatis, vbi nulla fit confessionis mentio. Imò stado in priuilegio Pauli III. quod est tale: *Conceditur facultas quorumcumque, undecumque ad vos venientium confessiones audiendi; & confessionibus diligenter auditis, ab omnibus peccatis, etiam Sedi Apostolica reseruatis, & à quibusuis ex ipsi casibus re-*  
sul-

*sultantibus, sententijs, confu-  
ris, & poenis exceptis conten-  
tis in Bulla Cano absoluendi:  
nec non & vota commutandi:  
non est necesse, quod dicta  
dispensatio in ipsa fiat con-  
fessione; nam regula posita  
in vna parte dispensationis,  
sive ponatur in principio,  
sive in medio, sive in fine,  
tunc solum consetur referri*

*ad reliqua disposita, quando  
est eadem omnium ratio c.  
secundò requiritis, de appella-  
tionibus, secus quando est  
diuersa ratio, vt tradit Me-  
nochius de presumpt. lib. 4.  
presumpt. 181. in nostro au-  
tem casu votorū commuta-  
tio, vel dispēratio, sacramēta-  
lem non requirit confessionē,  
sicuti peccatorū absolutio.*

## Q V A E S T I O VIII.

*Quenam sint causæ ob quas dispensari possunt  
matrimonij impedimenta tum dirimentia,  
tum impediētia, ubi alia pulchra.*

60 **A** Ntequã causas affi-  
guemus ob quas  
licitum est dispensare in im-  
pedimētis matrimonium diri-  
mentibus. Suppono pri-  
mò, cū Sanchez l. 8. disp. 19.  
& alijs communiter, quod  
cum lex in bonum commu-  
ne ferratur, vt in ea dispen-  
setur, idem commune bonū  
considerari debet, non qui-  
dem directè, & immediatè,  
sed mediatè, indirectè, &  
virtute, quatenus scilicet bo-  
num partis in totius bonum

redundat; vt colligitur ex  
cap. *requiritis*, r. q. 7. vbi po-  
nuntur causæ dispensationis,  
quæ directè in bonum redū-  
dant particulare & indirectè  
in bonum commune. Si enim  
semel requireretur, quod dis-  
pensandi causa in commune  
bonum directè redundaret,  
raro dispensandū foret. Sup-  
pono secundò, quod Eccle-  
sia citra omnem personarum  
acceptationem facilius ceteris  
paribus dispensat cū ma-  
gnatibus, aut potentibus,  
quam

quam cum alijs; ratio est, quia bonum publicum ab istis magis dependet, quam ab alijs, multum namque publico cōcernit bono, quod potentes Ecclesiæ faueant, cum eaque maioris necessitudinis vinculo vniantur. Hinc bene statuit Tridentinum sess. 24. cap. 1. quod in 2. consanguinitatis, vel affinitatis gradu, orto ex legitimo matrimonio, solum cum magnis Principibus dispensetur. At in affinitate orta ex copula illicita, etiam cum alijs facilius dispensatur. Notat autem & bene Sánchez quod Principum nomine, etiam Barones veniant. Suppono tertio, quod Ecclesia difficilius dispensat in gradibus propinquioribus, quam in remotioribus, & quod maior causa requiratur in illis, quam in istis. His positis, loquendo de causis per quas Ecclesia potest dispensare in impedimentis iure humano dirimentibus, dico esse sequentes, quæ à Sanchez post Nauar. & alios assignantur.

61 Prima est, quod tunc Ecclesia potest in suis dispē-

sare impedimentis, quando talis dispensatio necessaria est ad litem grauem terminandam, vel graues discordias sopiendas, ad grauia scandala vitanda, ad multorum offensas tollendas, ad impediendum graue aliquorum delictum, vel animæ periculum, quæ nisi matrimonium fiat incurrentur, vel incurri probabiliter iudicatur.

62 Secunda est, quando nobiles personæ, vel principales non possunt, nisi cum graui incommodo, vel magnis difficultatibus extra suam ciuitatem, vel oppidum matrimonium inire, tunc dispensari poterunt vt incant cum affinibus, vel consanguineis eiusdē ciuitatis, vel oppidi; quod præsertim verū habet in foemina, quæ difficulter à suis abstrahitur parentibus. Adde hoc etiam verū esse quando feminae durum esset matrimonium inire cum personis diuersorum morum, diuersique status; vnitas namque morum, statusque conformitas multum facit ad viuendū simul pacificè per totam vitam; & experientia docet

X x x quod

quod morum diuersitas, statusque discordantia sunt licitū, iurgiorumque causa.

63 Tertia est defectus dotis, quando scilicet foemina indotata accipietur ab affine, vel consanguineo, vel saltem cum minori dote, & si cum istis non copuletur dotē non habebit qua maritetur, vel cogetur cum valde inæquali maritati, vel in perpetuo cęlibatu manere. Adde idem dicendum esse, quando foemina ob aliquam deformitatem non potest sine maiori dote maritari alteri, benè cōsanguineo, vel affini, &c.

64 Quarta causa est illustris familiae cōseruatio, aliàs peritura; hoc enim ad Reipublicae bonum pertinet, vt si in aliqua familia illustri sola foemina maneat, quae in bonis succedat, poterit ex Ecclesiae dispensatione, consanguineum, vel affinem eiusdem familiae ducere, vt sic domus cōseruetur. Idē dic quādo amplissimae opes aliàs ad aliam deuoluerentur familiaris; ad Reipublicae namque bonum pertinet magnas familias in suo statu, & ampli-

tudine cōseruari.

65 Quinta causa, sunt peccentium merita: congruum namque est, vt illi Ecclesiae benignitatem experiantur, qui de eadem Ecclesia sunt benemeriti. Sexta & vltima causa est quando proles est bona fide suscepta, saltem ex parte alterutrius, quando scilicet matrimonium saltem ex parte vnus est bona fide cōtractum, & postea qui bona fide contraxit, impedimentū nouit, tunc enim qui bona fide contraxit dispensationem meretur, licet ille qui mala fide contraxit, illam non mereatur. Imò probabile est id fieri posse etiam si proles ex eo matrimonio habita nō sit, dummodo matrimonium secundum Concilij praescriptū inritum sit, & publicum, & impedimentum occultum.

66 Sed petes, an possit Pontifex sine alia causa dispensare, in gradibus praesertim remotioribus, sed solum ob notabilem pecuniam quae offertur, vel exigitur ad opus aliquod pium? Responderetur affirmatiuè, nam talis pecunia censeatur causa sufficiens

CUM

cum in publicum bonum redundet; cauendum tamen ne ad priuata transeat commoda, quia ansa tribueretur haereticis oblatrandi. Quanam autem causae sufficiant ad hoc ut Pontifex dispense in impedimento naturali ligamini matrimonij rati, diximus supra. Diximus etiam supra in hac eadem disputatione, quod quando Pontifex sine causa in suis, vel suorum praedecessorum legibus dispensat dispensatio teneat, licet peccet saltem venialiter. Vnde causa assignata in ordine ad Pontificem in impedimentis iuris humani dispensantem, saltem requiruntur ad licite, non ad valide, ut ex dictis supra liquet.

67. Quia vero impedimenta impediencia, quae sunt votum castitatis perfecta, & religionis approbata, non sunt iuris humani, sed diuini naturalis, causam requirunt, ut dispensentur, cum non possit Pontifex, ut supra vidimus, in iure superiori, ut est naturale, & diuinum dispensare sine causa, & si dispensatio sine causa fiat, erit nulla. Ideo

quando horum votorum dispensatio à Pontifice petitur necessaria erit causae expressio, & cognitio. Ut ergo sciatur ob quas causas horum votorum dispensatio obtineri possit, breuiter assignantur. Pro quo suppono primò cum D. Thoma 2. 2. q. 88. art. 12. quod ad hoc ut in dictis votis fiat dispensatio, talis requiritur causa, quae voti obstat executioni, siue quae efficiat ut dispensatio in Dei cedat honorem. Ratio huius suppositi est, quia Deus non censetur concessisse Praelato potestatem remittendi ius quod per illa vota acquisiuit in homines, nisi hoc in eius cedat honorem. Vnde patet difficilius esse dispensare in his votis, quam in impedimentis iure humano matrimonium dirimentibus, nam in istis Pontifex se habet ut princeps, in illis vero se habet ut oeconomus; in istis scilicet impedimentis, saltem quoad valide nulla requiritur causa; in illis, scilicet votis, causa etiam ad dispensationis validitatem requiritur. Suppono secundò, duplicem



causam assignare communiter Theologos, ob quam licita erit horum votorum dispensatio; vna est ex parte materiae, & alia ex parte vouentis, & vtraque alias habet sub se. Prima causa ex parte materiae voti est, quando voti materia taliter mutata est, vt prudētis iudicio dubitetur, an illa materia sit amplius utilis, vel mala, vel inutilis, vel maioris boni impeditiua. Tunc enim potest vouens dispensari, tum ob rationem dubij, quod dispensandi præbet facultatem vt supra in hac eadem disputatione probauimus, tum quia fortè voti impletio fiet vouēti nociua, aut maiorem Dei gloriam impedit. Quando autem certum est voti materiam iam inutilem esse effectam, vel malam, vel maioris boni impeditiuam, votum nō indiget dispensatione, cum tunc suapte natura esse desinat.

Secunda causa est ex parte materiae, quando dubitatur an votum ab initio obligauerit, vel quia vouens dubitat de plena deliberatione,

vel de pleno perfectoque consensu, de intentione, &c. tunc enim poni potest voti dispensatio, vel in leuiorem materiam commutatio.

68 Prima causa ex parte vouentis est, quando quis votum emisit sine perfecta animi deliberatione, sed ex quadā animi leuitate, vel ex aliquo subito timore percussus; vel ex repentina animi commotione: colligitur ex cap. 2. de voto. Secunda causa est, quando causa, quæ mouit ad votum emittendum iam cessauit. V.g. vouisti castitatem, quia sperabas te ingressurum religionem, ingredi non potuisti, facile poteris illius voti obtinere dispensationem, maximè si notabilem in seculo manens experiris difficultatē cap. magna, 7. de voto. Glos. & Abb. ibidem. Tertia causa est, quando quis leui metu ad vouendum fuit impulsus, tunc enim licet secundum veriorem sententiā votum teneat, facile tamen dispensari potest. Quarta est, quando vouens, vel ob fragilitatem, vel ob prauam inclinationem, vel habitum, vel

ob

ob aliorum consortium, quod non facile euitare potest, est in graui peccandi periculo contra votum emissum, tunc dispensari potest, cum magis expediat à voto liberari, quàm cum eo periculo in eo permanere. Ob hoc facile dispensari potest, qui post castitatis votum matrimonium contraxit, quia alioqui erit in periculo peccandi contra illud, debitum petendo, &c. Nec refert, quod iste se sua culpa in tales posuerit angustias, modo postea, vel nullo modo, vel cum maxima difficultate, non possit ab iisdem angustijs liberari.

Quinta causa est magna implendi voti difficultas, vel non præuisa, vel non ita benè perpensa, quia tunc cum nō videatur ita maturè emissum, poterit dispensari. Similiter dispensari poterit in voto, quando vouens, ob votum continuo scrupulis anxietur, crucietur, &c. vt si quis vouit coronam, & continuo crucietur, an benè recitauerit, an cum sufficienti attentione, &c. Sexta, & vltima causa est, quando, ob publicam

causam v.g. pacem, &c. expedit quod voto affectus nubat. Sed hic aduertè primò eandem esse voti, ac iuramenti rationem quoad dispensationem, quando iuramentum principaliter intuitu Dei factum est, vt alibi aduertimus. Aduertè secundò quod quāto res, quam vouisti est perfectior, eo causa debet esse maior. Quia tamen causa non semper ita sufficiens apparet optimum consilium est, quod tunc votum in leuiorem materiam commutetur.

69 Sed quares primò, an causa aliqua requiratur ad hoc, vt Episcopus, & quilibet alius dispense in proprijs legibus, vel constitutionibus à Pontifice confirmatis? Vt hæc difficultas resoluetur videndū est, quomodo leges vel constitutiones sint à Pontifice confirmatæ; vel enim eas confirmauit in forma communi, scilicet declarando esse bonas, honestas, laudabiles, ac subinde dignas quod à subditis obseruentur, & tunc certum est posse Episcopum, & quemlibet alium

Prælatum in proprijs dispensare legibus, vel Constitutionibus, etiam sine causa. Ratio est, quia Pontifex per talem confirmationem in forma communi non facit tales leges, vel constitutiones proprias, nec illis nouam vim tribuit, sed declarat bonam esse illam vim quam habent, & sic non solum Episcopus, v.g. poterit in illis sine causa dispensare, verum etiam si velit poterit eas abrogare. Si vero Pontifex diætas leges, vel Constitutiones in forma confirmet speciali; seu specifica, quod tunc fit quando illis nouum robur, nouamque vim tribuit, ac subinde illas facit suas; non poterit Episcopus in illis sine causa dispensare; & si omnino suas faciat nullo modo eas tollere poterit. Ex quo inferitur non posse N. Religionis Prælatos in nostris Constitutionibus sine causa dispensare cum ab Urbano VIII. in forma specifica sint confirmatæ, vt patet ex eiusdem confirmationis verbis; an vero omnino faciat suas, vt tolli à religione non possint, videant alij, mihi

namque sufficit dicere, quod sint in forma specifica confirmatæ, cum omnes suppleantur defectus, si qui sint, quod est eas in forma specifica confirmare.

70 Quæres secundo, an dispensatio concessa, cesset cessante causa? Mihi, & omnibus de hac materia scribentibus certum omnino videtur dispensationem non cessare cessante causa dumtaxat impulsua. Similiter certum videtur non cessare cessante causa finali non totali. Item certum est non cessare quando dispensatio taliter est executioni mandata, quod ad actum reducta est irreuocabilem, vt si Pontifex dispensauit in causa matrimoniali, v.g. in affinitate, vel consanguinitate ob aliquam causam, & illa cessat matrimonio contracto, dispensatio, vt ex se clarum est, non cessat. Cessabit tamen quando dispensatio nondum suum sortita est effectum, & causa cessat, vt si Pontifex Commissario committat talem, vel talem dispensationem, ob talem causam, & hæc cessat antequam

quam Commissarius dispensationem faciat, dispensatio illa amplius impendi non poterit, cum tunc talis facultas Commissario facta sit, sub tacita conditione causæ. Unde difficultas ad hoc reuocatur, an dispensatio executioni mandata, cesset cessante eius finali causa. Dispensauit Pontifex cum aliquo in voto castitatis ob vehementes tentationes, & frequentes carnis lapsus, cessarunt ista post tempus, an cesset etiam dispensatio. Dispensauit Pontifex cum aliquo in Diuini officij recitatione, in ieiunio, in carniū esu, quadragesimæ tempore, ob infirmam valetudinem, & hæc postea cessat, an & illa cesset. Dispensauit Prælati ob causam sufficientem cum religioso ut non surgat ad matutinum, cessauit illa causa, an & dispensatio ipsa cesset, &c.

Prima sententia est, quod cessante causa totali dispensationis, cesset dispensatio. Hanc sententiã sequitur Laurentius Portel. tom. 2. cap. 49. nu. 19. post Sanchez Bonaciam, & alios quos ibi citat.

71 Nostra sententia sequenti explicatur conclusione. *Quando dispensatio sui causam sufficientem habuit, nõ cessat, si postea contingat eam causam cessare.* Hanc conclusionem probauimus in tractatu de Indulgentijs, vbi ostendimus non cessare indulgentiam perpetuam alicui Religioni in perpetuum concessam, quando causa ob quam concessa est a principio erat sufficiens pro illius indulgentiæ perpetuitate. Nostram sententiam sequitur Suarez, Salas, & alij, quos refert & sequitur Granada in p. 2. contro. 7. tract. 3. part. 2. disp. 17. sect. 4. nu. 36. & ante istos docuit Glos. cap. ex tua de filijs presbyterorum v. *irritare*, vbi dicit *dispensationem semel factam non esse amplius reuocandam, sicut nec iniuria remissionem*. Ratio conclusionis est, quia dispensatio est legis relaxatio, taliter quod post illam relaxationem lex ita se habeat respectu dispensati, ac si nunquam fuisset; ergo non reuiuiscit ea causa cessante, per quam facta est, cum causa cessatio nõ

faciat quominus lex, relaxata non sit. Tum quia regula certa est, quod id quod semel destructum est amplius non reuiuiscit, nisi per eandem potestatem per quam primò positum fuit, atqui legislator non amplius reproducit vim obligandi, nisi per nouam legem; ergo. Sed dices primò, quod legislator non dispensat nisi sub tacita causæ existentia, ergo si illa non est, nec dispensatio erit? Respondetur Prælaturum causam requirere quando dispensationem facit, non tamen requirit eiusdè causæ perduratiōem; vnde dispensationes absolutè, non conditionatè fiunt. Dices secundò, ex nostra sententia sequeretur, quod ille qui in Diuini officij recitatione semel est dispensatus ob infirmitatem, non amplius recitare teneatur; & illum qui dispensatus fuit ob infirmitatem in ieiunio, in carniū esu, ob eandem infirmitatem non teneri amplius ieiunare, & à carniū abstinere etiam si perfectè conualescat. Et similiter cum qui dispensatus

est à Prælato ne surgat ad matutinū, ne vadat ad Chorum, ad orationem, &c. ob infirmitatem, non teneri hæc præstare, etiam si cõualescat? Respondetur negãdo sequelam, nam iste dispensationes nec petuntur, nec conceduntur absolutè, & in perpetuum; sed ad tempus, quo cessato, cessat & ipsa dispensatio; quod si petatur in perpetuū, & illimitatè, quia causa sufficiens pro tali perpetuitate iudicatur, non cessabunt cessante causa; ille enim cui absoluta facta est dispensatio, ius acquisiuit ad talem dispensationè executioni mandandam per causam, concessionis tempore sufficientem pro illa dispensatione sic facienda, quod autem postea res mutetur perinde est, iure iam perfectè acquisito.

72 Quæres tertio an superior dispensare teneatur cū subdito, quando iustam habet dispensationis causam? Certum est in omnium sententia aliquando dispensationem esse debitam: quando scilicet ius disponit in tali, vel tali casu dispensationem esse

esse faciendam; quando Pontifex committit Ordinario, vel Confessario quod dispenseret cum aliquo, si preces veritate nitantur: quando dispensatio promittitur sub tali conditione, tunc enim conditione purgata dispensatio debita est: quando dispensatio necessaria est ad bonum commune, ad scandalum vitandum, vel quid simile cap. cum constitueretur, dist. 50. ubi Glos. Turrecrem. & alij: quando dispensatio necessaria est ad spirituale postulantis bonum, ad vitandum graue animæ periculum, ad impediendum graue damnum temporale, &c. Ratio est, quia Prælati tenentur ex vi sui officij, in dictis, ac similibus casibus suis prouidere subditis: vnde grauius peccant religionum Prælati, qui nolunt cum subditis indigentibus dispensare in vita communi, vt in ieiunio, in carniū esu, in vestibus, &c. grauius inquam peccant nō solum contra charitatem, verum etiam contra iustitiam,

cum relinquunt religiosum, qui non est suus sed religionis, infirmitate corporali perire ex dispensationis defectu, &c. Difficultas est, an aliquando legislator in sua lege dispensare nō teneatur? Respondetur affirmatiuè, quando scilicet dispensatio est pura gratia; vt quando dispensatio non ponitur ob causam se tenentem ex parte illius cui dispensatio cōceditur, sed ipsius dispensantis: vt quando dispensatio aliam non habet causam, nisi pœcuniam, quæ à dispensato dispensanti largitur; quando causa à dispensando allegata commune bonum non respicit, nec etiam multum interest ipsi dispensando, &c. Secus quando dispensatio interest bono communi & particulari dispensandi, & indirectè, & mediatè communi bono. Ratio est, quia dispensandi potestas Prælati cōcessa est, in bonum Reipublicæ, & subditorum, ergo quando hæc adsunt dispensatio faciendæ est, secus quando absunt.

## Q V A E S T I O IX:

*Quibus ex capitibus dispensatio vitietur, ita  
ut nulla sit.*

73 **D**E solis dispensationibus Pontificijs, non de illis occultis, quæ à sacra fiunt Pœnitentiaria est hic sermo, de quibus conveniunt omnes quod quâdo subreptiæ sunt, nullæ, & innanes sunt: Dicitur autem dispensatio subreptitia, quando rescribens ob falsitatem à petente expressam, aut veritatem tacitam, ex mero errore dispensationem concessit. Pro quo nota primò, quod rescribens ob duplicem causam moveri potest, ut dispensationem concedat, scilicet ob causam finalem, & impulsivam; causa finalis est, quam rescribens præcipuè spectat, & qua rationabiliter movetur ut postulatam faciat dispensationem, & sine qua vel nullo modo, aut non nisi cū quibusdam cōditionibus, seu limitationibus dispensationē faceret. Impulsiva vero cau-

sa est, ob quam rescribens facilius dispensationem facit; illam tamen, etiam sine illa, fuisset concessurus ob merita causæ, & secundum rectam rationem. Vnde in dispensationibus non ad hanc, sed ad illam causam attendi debet, cum solum inspicere debeat causæ merita, rectaque dispensandi ratio, non particularis dispensantis affectus. Nota secundò, quod quando orator unam dumtaxat assignat suæ dispensationis causam, illa finalis putanda est, cum non censeatur orator assignare pro causa, causam duntaxat impulsivam, nec dispensari censeatur, nisi per illam, quæ assignatur; vnde si hæc non subsistat, sed fide ab oratore allegata sit, dispensatio non subsistet. His positis.

Certa doctrina est, dispensationem non vitari quando  
tace-

excusetur causa impulsiva, vel quando erratur in illa, quia ab oratore falso apponitur, &c. dummodo causa finalis saluetur; & certum est, quod si causa finalis non saluetur, quatumvis impulsiva, & plures impulsivæ saluentur, dispensatio nulla est. Ratio est, ex dictis quia causæ finalis absentia facit dispensationem ex errore, contra dispensationis substantiam, concedi, & quando illa adest, quamvis in impulsiva erretur, dispensationis substantia saluetur. Ut tamen hanc rem planè habeas ad particulares aliquas descendamus difficultates, quibus solutis facile aliæ, quæ proponi solent, & possunt, solui poterunt.

74 Prima difficultas est; Titia non maritatur propter deformitatem, Titius eius consanguineus, vel affinis vult eam ducere; ut facilius dispensatio impetretur, exponunt Pontifici, Titiam innuptam manere ob dotis defectum, & quod Titius eam sine dote accipiet, si dispensetur, an valida sit dispensatio, reticendo propriam cau-

sam, & suggerendo aliam falsam? Respondent aliqui post Sanchez in summa lib. 4. cap. 47. nu. 17. Gutierrez QQ. Can. lib. 2. c. 15. n. 103. & 104. eam dispensationem nullam esse, etià si ea falsitas ex simplicitate, vel ignorantia, vel errore contingat. Nihilominus verior, & communior sententia tenet eam dispensationem validam esse; ita idem Sanchez hic disp. 19. num. 29. Leander to. 2. tract. 9. disp. 29. q. 5 2. & alij. Ratio est, quia id quod movet Pontificem ad dispensandū non est quod fœmina illa habeat, vel non habeat dotem, quod sit deformis, grandeua, vel aliquo infamata crimine, sed est ne innupta maneat; ergo cum saluetur causa finalis tum petentis, tum concedentis dispensationem, etiã si non verificetur impulsiva, dispensatio valida erit.

75 Secunda difficultas; Aliqui ut facilius dispensationem à Pontifice obtineant illi proponunt non solum copulam cum fœmina sequutā, verum etiã famæ iacturam, nisi matrimonium sequatur,



cum tamen sola copula sit sequuta, & nullum sit infamiae periculum, vel econtra, an dispensatio obtenta cum illa duplici causa sit valida, cum vna solum subsistat. Negat Corduba, & alij apud Sanchez disp. 21. Sed opposita sententia quam sequitur idem Sánchez ibidem Bonacina de Legibus disp. 1. q. 2. punct. 4. nu. 2. & alij est verior. Ratio est, quia licet duae causae allegentur, vtraque tamen est sufficiens, licet facilius dispensatio pro vtraque, quam pro vna concedatur; regula namque generalis est, quod quoties plures causae in aliquo negotio allegantur, sufficit quod principalis sit vera argum. ex S. si plures, institut. de excusat. tutor. Et quando in narratione ponuntur plures causae copulativae, quarum vnaquaqueque sufficiens est, resoluntur in diffinitivam. cap. iam dudum, de praebendis.

76 Tertia difficultas, quis ut facilius dispensationem à Pōtifice obtineret habuit copulam cum affine, vel consanguinea, an teneatur talem, in dispensationis petitione,

explicare intentionem? Affirmat Sanchez disp. 25. Sed opposita sententia, quam sequitur Leander to. 2. trac. 9, disp. 24. q. 32. post Henriquez Ledesimam, Pōtium, & alios, est verior dummodo in ipsa dispensatione non apponatur clausula: *Dummodo copulam non habuerint, spe facillioris dispensationis*, quae aliquando apponi solet; bene verum est, quod si illa intentio sit omnino occulta non tenentur petentes illam fateri, nisi praecedentibus indicijs, nec dispensatio ex hoc vitiabitur, quia licet illa dispensatio sit pro foro conscientiae, illa tamen clausula intelligi debet iuxta rei naturam, quod scilicet fateatur, quando est fatendi obligatio, quae solum tunc est quando delictum est semiplenè probatū, vel sufficientia adsunt indicia, &c. sic Henriquez lib. 12. de matrim. cap. 2. num. 7. Sa v. dispensatio nu. 10. Pontius l. 8. c. 17. n. 33. Hurtadus disp. 26. diffc. 3. & alij.

77 Quarta difficultas, an qui multa habet impedimenta, debeat illa in eadem dispensatione.

pensatione explicare, an vero sufficiat, quod vnum in vna, & aliud in alia explicetur. Respondet Sanchez affirmatiuè disput. 23. lib. 8. de matrimonio vbi alios refert. Nihilominus mihi magis placet sententia P. Suarez lib. 6. de legibus cap. 24. & aliorum multorum, quod non sit necesse in eadem petitione omnia explicare impedimenta, sed sufficiat vnum in vna, & aliud in alia explicare. Vnde si quis habeat duo impedimenta, vnum publicum, & aliud occultum, potest pro publico dispensatione à Pontifice immediatè petere, & pro occulto à Pœnitentia secreta, vbi petentis nomen non manifestatur: Ratio Suarez est, quia ex vna parte nullum est ius, quod requirat debere vtrumque vinculum simul proponi, & ex alia vtrumque in diuersis explicatur petitionibus. Sicut enim qui est simul excommunicatus, & irregularis non tenetur vtrumque impedimentum in ea explicare petitione qua petit absolutionem; ita neque

qui duo habet matrimonij impedimenta.

78 Sed dices cum Sanchez, quia vnum vinculum ex alterius coniunctione grauius redditur, & dispensatur difficilius; ergo debet vtrumque vinculum explicari? Respondetur concedendo Antecedens, & negando consequentiam; nam quod vnum vinculum ex alterius coniunctione reddatur difficilius dispensationis, non ob id non dispensatur, cum finalis causa saluetur; certè videtur ridiculum dicere, quod in dispensationis petitione necessum sit explicare indignitatè petentis, quæ si sciretur difficilius dispensaretur. Hinc deducitur alterius difficultatis resolutio, an nimirum si quis petat à superiore facultatem ad dispensandum pro aliquo impedimento, vel pro aliquo casu, cum aliquo, non exprimens quis sit ille casus, quia putat quod si illum exprimat dispensationem, vel facultatem non obtinebit, teneat dispensatio, vel casus absolutio? Respondetur nã- que

que affirmatiuè cum Bonac. de legib. disp. 2. q. 2. punct. 5. num. 22. & alijs, nisi aliunde constet superiorem habitualiter in ea esse sententia, vt nolit in eo casu dispensare. Ratio est, quia in generali cōcessione non veniunt ea, quæ quis verissimiliter non esset in specie cōcessurus regul. generalis, de reg. iuris in 6. Hinc infertur quod qui habet votū castitatis, & religionis non est necesse quod vtriusque voti in eadem petitione mentionē faciat, sed potest diuisiue vtriusque voti dispensationem petere; idem dic de eo qui habet plures excommunicationes, pluresque irregularitates, &c. cum vna irregularitas, vnaque excommunicationis tolli possit sine alia, vt ex se liquet. Similiter non est necesse, quod dum quis petit secūdam dispensationem, faciat mentionem prioris negatæ: item qui petit aliquam dispensationem à Prælato superiore, non est necesse quod exprimat talem dispensationem fuisse à Prælato inferiori petita, & negatam, & econ-

tra, dummodo Prælatus inferior possit concedere, quod à Prælato superiori denegatū fuit. Similiter non tenentur contrahentes explicare in dispensationis petitione quod impedimentum sit duplicatū v.g. affinitas sit tum ex parte patris, tum ex parte matris; quod talis affinitas ex vna procedat fornicatione, an ex pluribus, quod adulterium fuerit ex vtraque parte, vel solum ex vna parte, &c. Ratio est, quia ex pluribus fornicationibus vnicum nascitur impedimentum, non plura; quod affinitas sit ex parte patris, & matris, vel solum ex parte vnius, non multiplicat impedimentum, ergo, &c.

79 Quinta difficultas, an valida sit dispensatio quando erratur in nomine personæ, vel diocesis. Quoad personam conceduat communiter Theologi, quos refert, & sequitur diligens P. Diana p. 1. tract. de legib. resol. 38. & p. 2. tract. 3. resol. 63. scilicet dispensationem non vitiari ex errore personæ, colligitur ex instit. de legatis, §. 29. vbi dicitur:

tur: si quis in nomine, cognomine, pronomine, agnomino legatarij testator errauerit, si de persona constat, valet legatum; idemque in heredibus seruatur rectè: nomina enim significandorum hominum gratia reperiuntur, qui si aliquo alio modo intelligantur nihil interest: ergo etiam in nostro casu valebit dispensatio, etiam si in personæ nomine erretur. Maior difficultas est, an valida sit dispensatio quando erratur in diocesi, an scilicet valeat dispensatio? Negat Sanchez. Sed verior, & communior sententia est, quod talis dispensatio sit valida, ita Bonacina, Sotus, & alij quos refert & sequitur Diana par. 8. tract. 3. resol. 64. Ratio est, quia sicut error personæ dispensationem non vitiat, quia non tollit sufficientem dispensationis intentionem; ita nec diocesis error eandem vitabit dispensationem, cum eandem dispensantis non destruat intentionem; Pontifex enim dum dispensat suam refert intentionem in petentem, non in diocesim.

80 Sexta difficultas, quo

tempore causa finalis verificari debeat in dispensatione? Respondetur tunc verificari debere cum dispensatio exequitur. Ratio est, quia tunc causa dispensationis verificari debet, quando petens illam à lege eximitur; sed eximitur quando dispensatio exequitur; ergo. Vnde parum refert, quod causa finalis verificetur quando dispensatio petitur; parum refert quod causa finalis postea duret facta dispensatione, dummodo adsit quando dispensatio fit. Coar. 4. Decret. 2. p. cap. 6. § 9. num. vii.

81 Septima difficultas, an dispensatio sit pro valida tenenda quando de eius valore dubitatur? Respondetur affirmatiuè; in dubio enim pro aëus validitate, est iudicandum, cum præsumptio pro eiusdem aëus valore in utroque foro stare iudicetur. Diana post alios p. 3. tract. 6. resol. 9. & p. 4. tract. 3. resol. 43. & 64. & p. 8. tract. 3. resol. 62. contra Molinam & alios quosdam. Valet etiam dispensatio per vim, aut metum obiecta, dummodo iusta adhi causa

Ratio est, quia talis dispensatio nec iure naturæ est inuálida, vt patet, cum hoc iure solam exigat sui causam, nec etiam iure positiuo, quia hoc nullibi reperitur. Licet enim cap. *unico*, de his, quæ vi in 6. cassetur absolutio à censura, vi, vel metu extorta, tamen cum hæc lex odiosa sit, extra casum censuræ non extenditur. Diana p. 8. trac. 3. resol. 76. vbi etiam benè aduertit validam esse dispensationem sola mente cõcessam, dummodo de ea constet, non enim determinata requirit verba, nec sigaa.

82 Octaua difficultas, quis dispensationem impetrauit in impedimento matrimonium dirimente, sed per ignorantiam, vel simplicitatem falsã adduxit causam, an tale matrimonium sit validum? Affirmat Pontius lib. 8. c. 16. nu. 5. quia tunc nõ est propria subreptio, cum nullus adfit dolus: quod confirmari potest ex doctrina Socini cõsil. 270. & Felin. cap. *super litteris*, de rescriptis, quod scilicet quando subreptio non est commissã ab eo, qui dispensatio-

nem petit, sed à Curiali, vel à sollicitatore, qui falsum expressit, vel veritatem propositam conticuit, vt dispensationem facilius impetraret, non vitiat dispensationem, & dicitur sic decidisse Urbanũ in *beneficialibus*, iura autem in *beneficialibus* loquentiæ ad alias Pontificis gratias extenduntur. Hæc sententia probabilis est, opposita tamè probabilior videtur, quam tenet Diana trac. 3. resol. 69. p. 8. cum Castro Palao. Ratio est, quia talis dispensatio in falsa causa fundari videtur, nec ignorantia, vel simplicitas facit ueram, & sufficientẽ adesse causam, quam Pontifex requirit, sed solum facit, sic petẽtem dispensationem, non peccare & hic casus expressus videtur dicto cap. *super litteris*. Secus esset quando subditus bona fide dispensationem petens, suam causã superiori cognoscendam commisit, tunc enim potest tuta conscientia vtĩ dispensatione, quamuis causa sibi non videatur exacta. Layman lib. 1. trac. 4. cap. 22. & alij.

83 Nona difficultas, an dif-

dispensatio obtineri possit eo inuito pro quo obtinetur? Respondetur affirmatiuè. Ratio est, quia sicut excommunicatio, beneficium, & huius generis cetera pro aliquo obtineri possunt ipso inuito, ita & dispensatio: quæ non solum à personis cõiunctis obtineri potest, verum etiam ab alijs quibuscumque dummodo mercimonium, & auaritia semper absint. Quæ resolutio multo maiorem vim habet quoad ignorantes, si enim valet dispensatio pro aliquo obtenta, ipso reluctante, vt diximus multo magis valebit ipso ignorante. Vide Dianam p. 7. trac. 3. resol. 87.

84 Decima difficultas, an ille pro quo dispensatio obtenta est, possit illam renunciare? Respondetur affirmatiuè, cum enim dispensatio sit quoddam priuilegium, & nemo cogatur suo vti priuilegio, sequitur, quod nemo item cogetur sua vti dispensatione; & sicut priuilegium bifariam renunciari potest scilicet expressè, & tacitè, ita & dispensatio. cap. ad Apostolicam, de regul. poterit tamen

talis renunciatio retractari antequam renūciatio ad dispensantis notitiam petueniat, & ab eo renunciatio acceptetur. Fit autem tacita renunciatio, quando quis dilacerat, vel comburit diploma; dummodo internam habeat renunciandi voluntatem: seu dummodo talis laceratio, vel combustio à renūciandi procedat voluntate, & accedat dispensantis acceptatio. Fiet etiam prioris dispensationis tacita rennunciatio, per posterioris impetrationem, quæ priori repugnet.

85 Vndecima difficultas, an integrum sit dispensanti suam reuocare dispensationem, antequam executioni mandetur? Respondetur negatiuè, quando dispensatio data est per modum contractus, vt ob pecuniam pro ea dispensatione facienda acceptam, (nisi restituat illam): & quando data est in remunerationem seruitij, vel laborum pro Ecclesia tolerantorum &c. Secus quando omnino gratis, licet neque tunc talis fieri debeat reuocatio sine causa.

86 Duodecima difficultas, an facultas alicui concessa dispensandi in matrimonij impedimentis, (idem die de quacunque alia dispensandi facultate) expiret morte concedentis? Affirmat Bonac. de legibus q. 3. punct. 1. n. 14. & punct. 7. §. 1. nu. 19. & alij alij. Potissimum huius sententiæ fundamentum desumitur ex cap. *licui*, de præbendis; in 6. vbi dicitur, quod potestas alicui collata ad beneficium indeterminatis personis conferendum morte concedentis non expiret, quia tunc censetur gratia facta; at vero potestas conferendi beneficium certæ personæ in fauorem recipientis, morte concedentis expirat, quia tunc gratia non est perfectè facta, sed facienda, secus quando in fauorem ipsius conferentis collata esset; ergo idem dicendum erit de facultate alicui concessa dispensandi cum aliquo, cum sit gratia particulari facta scilicet in fauorem ipsius dispensandi. Sed oppositum est verius, quod docet Sa, emendatus v. *gratia*

num. 3. Ledesma de *matrim.* cap. 27. Sanchez disput. 28. nu. 87. & alij communiter. Ratio est, quia potestas alicui facta ad dispensandum cum aliquo, non solum est gratia facta ipsi dispensando, verum etiam est gratia facta illi, qui dispensationem facere debet, licet suum non habeat complementum, nisi quando dispensatio exequitur, quod maximè verum est, quando ille cui dispensatio faciendæ est, talem facultatem vt dispensetur, acceptauit; tunc enim est gratia facta, re non amplius integra, cum iam per talem acceptationem dispensandus ius acquisierit. Hinc inferitur litteras dimissorias ab Episcopo acceptas ad Ordines ab alieno Episcopo suscipiendos non expirare morte concedentis. Sanchez disp. 28. num. 83. vbi optimè addit idem esse dicendum de litteris pro eodem à Capitulo acceptis, quod scilicet non expirent per noui Episcopi aduentum. Idem dic de litteris, vel facultatibus, vel licentijs à priori Prælate acceptis, scilicet non expira-

re per aduentum alterius Prælati, V.g. Generalis officio functus mihi talem concessit licentiam, vel dispensationem, non expirat per alterius aduentum, nisi ab eo renocetur. Item, facultas ad audiendas confessiones obtenta, non expirat morte concedentis. Item nec facultas obtenta ad eligendum Confessarium, quia potestas ad audiendas confessiones est gratia nõ solum ipsi poenitenti concessa, sed etiam ipsi audienti. Nec cap. *si cui*, sententiæ fauet oppositæ; quia solum ibi decernitur, quod facultas alicui concessa super prouisione certæ personæ expiret morte concedentis, quando talis facultas est solum facta in fauorem illius, cui conceditur, non illius qui illam habet. At in nostro casu facultas dispensandi in vtriusque fauorem est concessa, ac proinde est gratia facta, nec morte expirabit concedentis.

87 Decimatertia difficultas, num dispensatio superueniens conualidet matrimonium sine dispensatione fa-

ctum? Quis hadens impedimentum dirimēs scribit Pontifici pro dispensatione obtinenda, interim matrimonium inuit, postea venit dispensatio, an tunc matrimonium prius factum conualidetur? Respondetur affirmatiuè, patet à simili. Primò, quia testamentum à monacho sine licentia factum, conualidatur facultate testandi superueniente, § Sanchez l. 8. dif. 2. num. 10. post alios. Licentia ad ædificandum molendinũ, à Principe obtenta porrigitur ad molendinum iam antea illicitè factum. Paulus Castrensis *L. si quis filio S. irritum*, nu. 5. ff. de iniusto, rupto, & id ipsum decernitur *L. iam facta*, de condit. & de. monstrat. & *L. & militibus*, C. de testam. militis. Addit. *Sur. dus consil. 351. nu. 48. & consil. 462. nu. 21.* hoc procedere siue Princeps sciat, aut ignoret rem factam esse. Vnde Socinus *consil. 260.* dicit, quod consensus Regis, vt quis possit habere in regno beneficium, locum habet in beneficio iam habito, & obtento ante consensus impetrationem, ac si



à principio dimanasset, & fuisset præstitus. Et Riccius in practica aurea resol. 294. docet quod licentia Pontificis, & dispensatio ad obtinendum duo, vel tria beneficia incompatibilia, valet vt eius virtute iam obtenta retineantur, quia per eandem virtutem, vel potestatem, vel licentiam per quã noua conferri possunt, possunt iam obtenta retineri. Cui enim permittitur aliquid de nouo facere, à fortiori permittitur iam factum consummare. Hinc dixi aliquando, non potuisse quendam Prouincialem punire religiosum, qui aliquam consumpsit pecuniam sine immediati Prælati, vel alterius superioris licentia, sed cum sola intentione talem petendi licentiam, quam postea, pecunia consumpta, petijt, & obtinerit, licet Prælatus putaret pecuniam non fuisse iam consumptam, sed

esse consumendam. Dixi aliquando etiam quod quidam Prior non poterat quendam punire religiosum, qui petijt veniam bibendi postquam iam biberat. Si enim Principis licentia de Molendino ædificando extenditur ad Molendinum iam antea illicitè ædificatum, &c. ita etiam licentia subditi ad bibendum extendetur ad bibitionem factam, & licentia ad pecuniam consumendam extendetur ad consumptionem iam factam; bene verum est, quod poterit aliunde subditus peccare dum sine venia bibit, vel pecuniam expendit, nisi intentionem habeat talem veniam petendi, & nõ petijt, quia commodè non potuit. Et hæc de hoc, & omnibus sacramentis ad Laudem Dei, & Ecclesiæ vilitatem cui me, & omnia mea subijcio.

F I N I S.

R E R V M,  
 E T  
 V E R B O R V M  
 I N D E X.



A



**A**TENTIO qua-  
 lis in assistenti-  
 bus matrimonio  
 disp. 3. de mat.  
 num. 80.

Pro absente qui possit stipulari  
 disp. 4. 35.

Aduertentia quando perfecta  
 censeatur 40. quomodo per  
 passionum motus tollatur  
 &c ibi, & nu. 43. quando  
 sufficiat in causa. 46. & 47.  
 ubi plura.

Amens an sponsalia, & ma-

trimonium possit contrabe-  
 re. 45. & 46.

Arrha v sponsalia.

S. Angeli Ordinis N. factum  
 mirabile. d. 4. nu. 119.

Adoptio quid sit, & quotu-  
 plex d. 6. nu. 91. qui possint  
 adoptare. 92.

Affinitas quid sit, & quomo-  
 do causeatur, an ex quacun-  
 que copula. 138.

Affinitatis gradus quomodo co-  
 gnoscantur. 139. an cau-  
 sentur ex copula fornicaria.

140. quare natura non de-  
dit nomina istis affinibus ibi.  
Quo iure matrimonium di-  
rimatur in linea recta,  
tunc in transversali. 141.  
& 142.

An drogines v. Hermphroditus.  
Aetus ut sit meritoriorius suf-  
ficit quod habitu in Deum  
feratur. d. 7. 20.

An licitum sit abortum facere.  
43. & 44. an suadere ad eui-  
tandum homicidium. 49.

Adulterij pœna. d. 8 14. proba-  
tio 24. accusatio adulterij an  
obseruet iura aliarum accu-  
sationum. 25. quando con-  
donatum censeatur. 26.

Affinitas quomodo matrimonij  
usum impediatur. d. 7. 71. &  
an quando contrahitur cum  
proprijs consanguineis. d. 7.  
71. & cum quibus ibi. An  
affinitas utrinque cōtracta  
mutuam faciat condonatio-  
nem. 73. an cōtracta post  
solum matrimonium ratū.  
74. an requiratur sententia  
ut hic incestuosus iure pe-  
tendi priuetur. 75. & 77.  
an affinitas vi, vel metu cō-  
tracta impediatur debiti pe-  
titionem. 78.

An ignorantia huius pœna im-

pediat debiti petitionem. 79.  
An affinitas stante possit  
aliquando incestuosus pete-  
re. 81.

## B

**B**eneficiū à Tridentino re-  
quisitū pro ordinādo, an  
debeat esse perpetuum. d. 2.  
de or. nu. 37. an sufficiat te-  
nue. 38. an requiratur resi-  
dentiam ibi. Sufficit pensio,  
vel commēda perpetua. 37.

## C

**C**opula inter cōiāguineos,  
quā habet e. s. malitiā d. 6.  
nu. 26. inter patrem & fi-  
liam spiritualem. 27. inter  
fidelem, & infidelem. 28. in-  
ter Eunuchum, vel frigidum  
& c. 29

Carmelitana Religio ab Elia,  
fused probatur à nu. 68.

N. Constitutiones quomodo sint  
confirmata à Pontifice, &  
an possit fieri in illis dispen-  
satio. d. 9. 69.

Consanguinitas, & cognatio  
quid sint, et quot habeat gra-  
dus

- dus. d. 6. 84. an prius gra-  
 dus linea recta iure natura  
 matrimonium dirimat. 85.  
 & 86. an in omnibus gradi-  
 bus in infinitum. 87. an in li-  
 nea transuersali. 88.
- Cognatio spiritualis quid sit,**  
 & in quoto gradu matrimo-  
 nium dirimat. 90. an matri-  
 monij votum impediatur. d. 7.  
 68.
- Cognatio legalis quid sit,** & in  
 quoto gradu dirimat matri-  
 monium. d. 6. 91. & 93.
- Crimen in quibus casibus ma-  
 trimonium dirimat.** 96.
- Cultus disparitas quomodo ma-  
 trimonium dirimat.** 103.
- Condonatio an fiat per familia-  
 ritatem, vel affabilitatem.**  
 d. 8. 26.
- Clerici quae damna incurrant  
 si matrimonium faciant.** d.  
 6. nu. 121.
- Commissarius Bullae cruciate  
 quomodo dispenset in impe-  
 dimentis matrimonij.** d. 9.  
 nu. 39.
- Coniux an teneatur debitum  
 petere, an solum reddere.**  
 d. 7. 2. & 5. an peccat coniux  
 reddendo se impotentem ad  
 debitum reddendum. 8. ubi  
 alia: an excusetur uxor, &
- e contra à ieiunio pro debito  
 reddendo ibi & nu. 9. an te-  
 neantur cohabitare. 10. an  
 quoties coniux peccat peten-  
 do debitum alter peccet red-  
 dendo. 12. quando circum-  
 stantia afficiat actum, vel  
 personam. 13. an quando  
 peccatum solum est circum-  
 stantia petentis alter red-  
 dere teneatur. 15. an quan-  
 do coniux peccat ueritaliter  
 ex parte actus, alter nullo  
 modo peccet reddendo. 16.  
 Coniux quando priuetur iu-  
 re petendi. 17. an priuatus  
 iure petendi possit aliquando  
 petere. 18. coniux non pec-  
 cat reddendo debitum alte-  
 ri qui male sine petit. 21.
- Cardinales à quo dicti, quan-  
 do incaperint,** & c. d. 1. de  
 Or. nu. 33.
- Consensus non est de essentia  
 matrimonij.** d. 3. nu. 4. an  
 matrimonium fieri possit se-  
 ne consensu. 5. an Deus fa-  
 cere possit uiri translatio-  
 nem in uxorem sine illius  
 consensu. 5. item an Reli-  
 gioni quem tradere possit ibi.  
 An consensus à Pontifice  
 suppleri possint. 9. potest quis  
 cogi ut in matrimonium

consentias . 10. debet consensus ex plena procedere de liberatione . 11. debet esse sensibilis . 12. sufficiunt nuptus, etiam in illis qui loqui possunt . 13. nec peccant venialiter sic facientes . 14. an consensus filiorum exprimat per parentes, tutores, &c. 15. an sufficientem exhibeat consensus, qui putat se esse inhabilem . 16. an consensus debeant habere simultatem . 17. ubi aliquid requiratur ut revalidetur . 18. an qui habuit consensus nullum debeat alterum monere, &c. 19. quodnam debeat esse consensus obiectum . 21. an bona matrimonij intendi debeant . 21. & 22. &c.

Clerici unde dicti . d. 2. de Ord. nu. 18. quare ferant consuram ibi; an peccent dimittendo habitum . 60.

Continentia quos ordines sequatur . 53. an sit ex Ecclesie precepto immediate, an à voto . 54. an in infantia ordinatus ad continentiam teneatur . 57. & qui ante pubertatem . 58. & qui cum metu . 59.

Conditio non nubendi quando sit nulla addita legato, vel hereditati . d. 4. 96. an valeat in vidua . 98. An conditio auertens à nuptijs spiritualibus valeat . 99.

Conditiones sponsalibus apposite quomodo intelligantur à nu. 122.

Coniuges quale peccatum committant quando modum in matrimonij usu non seruāt d. 7. 29. an teneatur coniux debitum reddere quando modo innaturali petitur . 30.

Coniux an peccet delectando de altero in copula carnali, ubi an de pulchritudine, vel aspectu pulchre picture . 34. an peccent non seminando simul . 35. an vir possit procurare quod uxor seminet ibi.

An abusus mortalis inter coniuges habeat adulterij malitiam . 36.

An coniux cognoscens suam uxorem sodomiticè teneatur in confessione circumstantiam coniugij explicare ibi. An possint coniuges copulam abrumpere ne seminatio noceat, vel ne proles

les sequatur . 38:

Coniugati quale peccatum committant impediendo conceptionem . 40.

An possint procurare sterilitatem . 41. an possint à cepta copula desistere . d. 7. 60. vide v. debitum . Ad quid teneantur coniuges qui post matrimonium, castitatem vouerunt . d. 7. 90: an tale votum teneat sine alterius consensu . 91.

Coniuges an possit mutuam facere voti castitatis, remissionem . 102. ad quid teneantur quando vouent ingredi religionem, &c. à nu. 97.

Coniuges an possint delectari de copula quando absentes sunt . 113. an illis liceant oscula, tactus, &c. ob solam voluptatem . 118. an quando matrimonij usus interdicitur ibi, an quando prauident, sed non intendunt sequi pollutionem . 119. an ad sedandum pruritus, &c. ibi. An illis liceat de aliena delectari ut si esset sua . 121. v. delectatio .

Copula cum filia spirituali, vel cum infideli, vel cum habente impedimentum, v. imped.

## D

**D** Vbitans de suo Ordine an debeat reordinari. d. 1. de Or. nu. 65.

Diaconi officia . d. 2. nu. 13.

Dispensatio pro eo qui presumpsit ordines suscipere ante tempus à quo fiat . 31. Dispensatio ut quis ordinetur sine beneficio, vel patrimonio an dari possit ab Episcopo . 44.

Dispensatio in suspensione, vel irregularitate contracta ab eo qui per saltum, vel ante tempora ordinatus est, à quo detur . 71.

Deus an facere possit viri, mulierisque translationem ad inuicem sine eorum consensu . d. 3. nu. 5. an possit aliquem Religioni tradere sine suo consensu ibi. An Deus aliquos cenunxerit . 8.

Denunciationes matrimonij in qua parochia fiunt, & an per Parochum . 24. & 25. an in Ecclesia . 26. an tribus diebus continuis . 27. an peccet Parochus unam omitendo . 28. quinam possint in illis dispensare, & qua-

Aaaa nam

- nam causa dispensationis . 29. & 30.*
- Dolus quando dissoluat sponsalia, quid, & quotuplex sit d. 5. nu. 59. ubi plura de dolo, & errore dante causam contractui.*
- Demon quibus modis inducat impotentiam cocundi. d. 6. nu. 148.*
- Debitum an teneatur uxor reddere marito qui se castrare fecit. 154.*
- Debitum petere an teneatur coniux. d. 7. 2. an reddere. 5. in debiti redditione datur paruitas materia. 6. non est obligatio reddendi immoderatè petenti. 5. quando excusetur coniux à debiti redditione. 7.*
- Debitum reddere non tenetur quando alter iure petendi priuatur. 17. an tunc reddere teneatur aliquando ex charitate. 17.*
- Debitum an sit reddendum post communionem. 24. & 25. an aliquando in publico, vel in Ecclesia. 26. & 27.*
- Dubium impedimenti, vel peccati reseruati, &c. dat ius dispensandi, vel absoluedi. d. 9. nu. 43. dubium dispensationis non tollit validitatem. 81.*
- Dispensatio quomodo differat ab irritatione, abrogatione, &c. d. 9. 1.*
- Dispensandi potestas late interpretatur, & dispensatio ipsa. d. 9. à nu. 2. Dispensatio matrimonialis late interpretatur. 12. Dispensatus ad ordines intelligitur etiam ad maiores, & beneficia. 15. in dispensat. habet locum argum. à pari, & à maiori ad minus. 16. quando fieri possit inuito. 17. An profit illi dispensatio qui ignorat impedimentum, vel dispensationem. 18. Potest quis dispensare secum. 19. quid requiratur ut quis secum dispensare censeatur. 24. an ut quis cum alio dispenses sufficiat scientia impedimenti ibi, & nu. 25. an sufficiat Pralati patientia, vel taciturnitas. 26. An possit secum dispensare quando in dispensatione dicitur nisi dispensetur. 28.*
- Dispensatio an causam requirat. 30. & 34. sufficit bona fides. 31. an requiratur causa cognitio ut in lege superio*

# I N D E X

- rioris dispensetur. 32. an possit imponi onus, vel multa. 33. An sit peccatum dispensare in proprijs legibus sine causa. 35. an subditus peccet utendo dispensatione ibi. Quando Prælatus superior dispense in legibus, vel præceptis, vel pænis Prælati inferioris. 36.
- Dispensatio in impedimentis dirimentibus in quibus casibus ab Episcopo fieri queat. 42. & 43. An Episcopus dispense in legibus Pontificijs v. Episc.
- An in dubio & præsumptione. 44. in dubio de voto, &c. ibi.
- Dispensat. Episc. in impedimentibus impedientibus excepto voto, & sponsalibus. 47. quando dispense in votocastitatis perfecta & religionis v. votum, & Episc.
- Dispensatio an causam requirat v. Episc. an dispensetur in legibus à Pontifice confirmatis. 69. an dispensatio cesset cessante causa. 70.
- Dispensatio an fieri debeat quando subditus iustâ habet causam. 72. & an aliquando fieri non debeat. ibi.
- Quando dispensatio sit nulla. 73. assignantur casus à nu.
74. an quando erratur in nomine. 79. quando causa finalis debeat verificari, an valeat quando falsa causa adducta est. 82.
- Obtinetur pro inuito. 83. potest renunciari. 84. nõ potest retractari & quando. 85.
- Dispensatio an expiret morte concedentis. d. 9. 86.
- Dispensatio superueniens an conualidet rem factam. V. g. matrim. 87.
- Debitum an exigi possit tempore menstrui. d. 7. 50. an quando uxor est grauida. 51. an post partum. 52. An in furore, & amentia. 55. 56. an in ebrietate. 57. an cum salutis detrimento. 58. an laboranti morbo Gallico, vel alio simili contagioso ibi. an ob periculum infectionis possit coniux à cepta copula desistere. 59. an quando filij multiplicantur. 60. Non peccat uxor redâendo debitum marito qui se retrahit. 60. nec quando maritis uix seminat intra uas. ibi.
- Dubium quodtrplex. d. 7. 62. in dubio melior est conditio possidentis. 63. quomodo ex
- Aaaaa 2 dubio



dubio speculatiuo inferatur  
propositio certa practica. 64.

Dubitans de valore matri-  
monij quid facere debeat.  
66. 67.

Delectatio morosa quid sit. 113.  
ut sit peccatum quam ad-  
uertentiam requirat ibi. &  
nu. 114. an quando volun-  
tas manet suspensa. 115.  
non est mala qua habet pro  
obiecto veritatem, cogni-  
tionem, artificium, &c. 116.  
desumit suam specificatio-  
nem ab obiecto apprehenso.  
117. an liceat delectari de  
aliena ius conditione in par-  
te rationali. 121. & an in  
parte sensitua. 122. ubi  
pulchra.

Diuortium quid sit. d. 8. 1. est  
licitum. 2. fieri potest tum  
à viro, tum à muliere. 3.  
per qua peccata fieri possit.  
6. casus in quibus celebrari  
non potest ob alterius adul-  
terium. 7. quando fiat mu-  
tua compensatio. 12. quan-  
do eius sententia transeat  
in rem iudicatā. 20. an fiat  
compensatio si post latam  
sententiam alter adultere-  
tur. 21. an innocens possit fi-  
re iudicis sententia debitum

negare. 23. & an adulte-  
rum dimittere ibi an possit  
innocens Ecclesia non obedi-  
re ibi. Quomodo adulte-  
rium probetur. 24.

Diuortium an fieri possit per  
adulterium spirituale. 27.  
an ob haresim. 28. an quan-  
do coniux ad peccatum per-  
trahitur. 29. fieri potest etiā  
propter damnum corporale  
30. ob seuitiam 31. quando  
post diuortium possint co-  
niuges ingredi religionem,  
vel castitatem vouere. 32.  
potest mutuoco nsensu cele-  
brari 33.

## E

**E** piscopus quando dispen-  
sare possit in legibus pon-  
tificijs. d. 9 nu. 42. potest ali-  
quando absolueri à reserua-  
tis Pontifici ibi. An etiam  
dispensare possit in impedi-  
mentis antequam matrimo-  
nium contrahatur ibi, an  
quando pateret additus ad  
Legatum. Dispensat Epi-  
scopus in impedimento du-  
bio. 43. Dispensat in impe-  
dimentis impediensibus ex-  
cepto

# I N D E X

- cepto voto & sponsalibus.*  
 47. *quo casu castitatis votum est Episc. reseruatum.*  
 49. *Dispensat in voto virginicatis, in voto castitatis ad tempus, &c. ibi. in voto suscipiendi Ordines ibi. Etia aliquando in voto integro, perfectoque castitatis.* 50.  
*Dispensat in voto conditionato, & penali castitatis, quia sola vota absoluta Pötifci reseruantur ibi. Eodem modo in voto religionis.* 51.  
*Dispensat in qualitatibus voti reseruati castitatis, & religionis.* ibi.  
*Episcopus dispensat in occurrēte defectu cum eo quem potest ordinare.* d. 9. 14. *Dispensat in impedimentis dirimentibus in casu necessitatis.* 41. & 43.  
*Episcopus in quibus possit à Papa suspendi.* d. 1. de Or. n. 17.  
*Episcopatus an sit Ordo, & qualem imprimat Characterem ibi. quenam eius materia, & forma.* 53.  
*Episcopus à quo suam habeat iurisdictionem.* 72. *an ordo puero conferri possit.* d. 2. nu. 26.  
*Aetas ad matrimonium qualis.* d. 6. nu. 166. *quare dicatur pubertas ibi.*  
*Aetas ad ordines qualis.* d. 2. nu. 24. *Quid si Episc. primam conferat tonsuram ante septennium.* 25. *Episcopus ob quam causam in aetate dispenset.* 34. *an qui vespere complet aetatem possit mane ordinari.* 64. *An Episc. dispense in paruitate materiae.* 65. *Episc. an teneatur alere clericum cuius patrimonium est consumptum.* 43. *An possit dispensare ut quis sine beneficio, vel patrimonio ordinetur.* 44. *An possit ordinare suum familiarem.* 51. *An Episc. dispense ordinatum per saltum.* 70 & 71.  
*An sit Ordinis minister.* 72. *an conferat ordinem quem non habet.* 79. v. *minist.*  
*An dispensare possit in matrimonio rato.* d. 2. de mat. nu. 30.  
*Eunuchi fornicatio quam habeat malitiam.* d. 6. 29. *an sit peccatum eunuchari.* 30. *An sit dispensabilis ab Episc. in irregularitate, dato quod illam contrahat.* 31. *an fiat irregularis qui facit sibi*

*sibi unum testiculum abscindere. 32. ubi an abscindens pollicem. Sunt inhabiles ad matrimonium si careant utroque teste, secus non. 153.*

*Error persona an matrimonium dirimat. 33. quo iure. 36.*

*Donatio ex errore an teneat. 41. & an elemosyna facta pauperi. 42. quando error qualitatis matrimonium dirimat. 43. quando hic error in personam redundet. 44.*

*Error conditionis seruilis quo iure matrimonium dirimat à nu. 46.*

F

*Fœmina quo iure ab ordine arceatur. d. 2. nu. 18. an sit capax primæ tonsuræ. 21.*

*Filius an peccet si non ducat dignam quam pater vult. d. 3. de mat. nu. 44. an filius possit parentibus inuisis ducere genere inferiorem &c. nu. 45.*

*Fama de impedimento quam faciat probationem. d. 5. nu. 80. quomodo fama disse-*

*rat à rumore ibi.*

*Fornicantes an possint copulam abrumpere. d. 3. nu. 39.*

*Fœtus quando animetur. 43.*

*an liceat procurare expulsionem fœtus inanimati. 43.*

*& 44. an etiam animati. 47.*

*Copula cum filia spirituali. v. impedimentum.*

H

*Hermaphroditus an sit capax ordinis. d. 2. de Or. nu. 22. Quid si post ordinationem praualeat sexus femininus. 23. an possit concipere ex se. d. 6. nu. 155. est*

*habilis ad matrimonium, & potest sexum variare. 164.*

*Honestatis publicæ impedimentum. d. 6. nu. 132. quomodo*

*hoc impedimentum distinguatur ab impedimento af-*

*finitatis. 133. quomodo ex sponsalibus causetur. 134.*

*non oritur ex sponsalibus oretenus factis. 135. neque*

*ex sponsalibus validis mutuo consensu resolutis, neque*

*ex inualidis, &c. 136. quomodo hoc impedimentum*

*causetur ex matrimonio ra-*

*to. 137.*

*Hernista an sint inhabiles ad matrimonium. 135.*

*An possit occidi uxor reperta in adulterio d.8.15.*

I

**I**udicis sententia quibus in casibus requiratur. d.7. 35.75. & 77. ubi plura, & curiosa.

*Irregularitas an contrahatur ab ordinato per saltum. d.2. de Or. nu.67. & .71.*

*Intentio ad matrimonium requisita v. consensus.*

*Ignorantia impedimenti criminis an excuset ab eo contrahendo. d.6. num. 102. & d.7.79.*

*Ignorantia facultatis an obstat validitati actus. d.3. de mat. nu.76. an excuset ab incurstone p. an incestus, & aliarum panarum. d.7.79.*

*Intentio qualis in assistentibus matrimonio. d.3.79. an sufficiat intentio in causa. d.4.46. & 47. ubi plura, & notabilia de intentione, & aduertentia.*

*Iuramentum an confirmet matrimonium metu celebra-*

*tum. 95. an firmet sponsalia nulla. d.4. nu.57. an iuramentum ita firmet sponsalia impuberum ut non possint resolui. d.5.28. idem. quaritur de sponsalibus puberorum iuramento firmatorum. 32. quando iuramentum relaxari possit. 33. & 34. & d.7.102.*

*Impedimenta matrimonij quot. d.6.1. an statui possint a Pontifice. d.6. nu.2. an pro infidelium matrimonio. 4. an Episcopus possit dicta statuere impedimenta. 5. an iusta requiratur causa ut statuantur. 6. an Pontifex possit impedimenta statuere pro certo personarum genere. 7. an Princeps secularis. 10. qua prohibitio requiratur ad hoc ut dicta statuantur impedimenta. 14. an possint consuetudine induci 15. quot peccata committat qui cum impedimento contrahit. 16. an sic contrahens a culpa excusetur ratione metus. 18. Copula inter habentes impedimentum an habeat specialem malitiam. 19.*

*Quid de incestu. 26. quid de*

copula cum filia spirituali.  
 27. quid de accessu fidelis ad infidelem. 28. quid de Eunuchi, & frigidi. 29. Impedimentum voti v. votum.  
 Irregularis non est qui facit sibi testiculum auferre, vel pollicem abscindens. d. 6. 32.  
 Incestus v. Affinitas.  
 Impotentia quae est impedimentum dirimens quid sit. d. 6. nu. 146. ex quibus capitibus oriatur ibi. & nu. 148. quomodo à sterilitate distinguatur. 147. duplex est. 149. & 150. impotentia antecedens dirimit matrimonium iure natura. 151. quid in dubio praesumendum. 152. an debeat esse ignorata ibi. an sufficiat impotentia respectiva ad matrimonium dirimendum. 156.  
 Sterilitas an sit impotentia ad matrimonium. 157. An impotentia ad coeundum stare possit cum matrimonio in ordine ad naturalem vitam societatem. 158. impotens ad solum seminandum, & potens ad penetrandum est inhabilis &c. 162. secus dici potest. 163. quantum tempus detur ad experiendam

impotentiam. 165.  
 Impotentia respectu aetatis quomodo dirimat matrimonium. 166.  
 Impedimenta impediencia tantum. 172. recensentur, & explicantur. 173.  
 Indulgentia non reuocantur in generali oraculorum reuocatione praesertim pro defunctis. d. 9. 55.  
 In impedimentis plures sunt causa dispensandi. 60. & infra. an pecunia sit sufficiens causa. 66.

L

**L**ittera dimissoria quid sint, & à quo dari debeant. d. 2. de Or. nu. 45.  
 An dari possint à Vicario. 48. an à Capitulo sede vacante. 46. an requirantur etiam si per sona sit cognita. 50. an ab eo qui per triennium est cum Episc. commoratus. 51. an incidit in suspensionem qui ficto titulo litteras impetrauit. 52.  
 Lex, vel statutum quando odiosa, vel sauerabilia. d. 4. nu. 12. an prohibet receptionem,

nem, vel retentionem obliget ad restitutionem. 85.  
 Legatum per modum conditionis, vel modi quando suspendat. 86. legatum ut quis nobilem ducat quomodo obliget. 88. quid quando grauatus primò renuit, postea acquiescit, an valeat &c. 89 & 90. quid quando grauatus vult illam ducere, sed illa renuit, an legatum acquirat. 91. quid quando sine grauati culpa conditio deficit. 92. Legatum pro virginibus maritandis an dari possit religionem ingrediendi. 93. & 98. Legatum sub conditione non nubendi quãdo nullum. 95. Legatum cù conditione auertente à nuptijs spiritualibus an teneat. 99. quid de vidua. 101. & 102. quid de conditione inuitante ad religionem. 105.  
 Ligaminis impedimentum. d. 6. nu. 124. coniux etiam si ignoret sui coniugis mortem non potest aliud matrimonium inire ibi. valet tamen matrimonium si verè alter mortuus sit, etiam si matrimonium cù dubio celebretur ibi.  
 Legatus an dispenset in matri-

monij impedimentis. d. 9. 38.  
 Legitimasio an fiat à Pontifice. 40.

## M

**M**ateria ordinis. v. Ordo.  
 an physice tangi debeat d. 1. de Or. à nu. 54.  
 Minister ordinis. d. 2. num. 72. an Sacerdos, Diaconus, &c. possit esse ministri. 76. 77. an possit quis conferre Ordinem quem non habet. 79. An Episcopus qui renunciauit possit esse Ord. minister. 80.  
 Matrimonium quibus nominibus nominetur. d. 1. de matrim. nu. 2. quot in eo distinguantur. 4. in quo eius essentia consistat. 7. eius definitio. 14. quinam contractus sit. 15. an fieri possit sine consensu in carnalem copulam. 16. affert ius in re. 17. Est licitum, honestumque à nu. 18. qualis turpitudine in matrimonio reperitur. 25. quando eius usus sit peccatum. 26. an sola libidinis causa ibi. potest esse meritorius. 27. Quo tempore fuerit institutum, & quam causa talis institutionis à nu. 28. an sit naturalis.  
 B b b b b tale.

rale. 32. quale sit matrimonij preceptum. 36. cui detur. 37. an sit affirmatiuum. 38. an possit aliquando obligare religiosos. 39. qua intentione debeat celebrari. 40. An sit omnino indissolubile ut contractus naturalis. 42.

*Matrimonio an repugnet polygamia v. polygamia.*

*Matrimonium est noua legis sacramentum. d. 2. nu. 2. quo tempore institutum. 5.*

*Matrimonium infidelium quando baptizantur non fit sacramentum. 6. an fieri possit à fidelibus solum qua contractus. 7. an vinculum eleuetur. 8. Quenam sit eius materia, & forma. 13. potest celebrari inter absentes. 16. Conditiones requisitae ut matrimonium fiat per procuratorem. 21. Procurator potest esse samina. 22. quid quando mandans dedit procuratori consensum factum. 23. quanam verba dici debeant à procuratore. 24. an procurator sit minister matrimonij. 25. an tale matrimonium possit in praesentiaratificari. 26.*

*Matrimonij indissolubilitas qua sacramentum unde oritur. 17. Consumatum resolui nequit humana potestate. 28. bene ratum. 29. Sed à solo Pontifice, non ab Episcopo. 30. an matrimonium infidelium. 32. ratum dissoluitur per solemnem professionem. 34. & iure diuino naturali. 36. & infra ubi plura. An dissoluatur per sacri ordinis susceptionem. 42. Quando censeatur matrimonium consumatum. 44. quomodo probetur non consumatum. 56.*

*Matrimonium an fieri possit solum in ordine ad vita societatem. d. 6. 158.*

*In sacramento matrimonij quot reperiantur. d. 3. nu. 1. Matrimonij reualidatio quomodo facienda. 19. an coram parocho. 20. Matrimonij bona qua, & quomodo intendi debeant à nu. 21. An inter fideles fieri possit ut est purus contractus naturalis d. 2. 7.*

*Matrimonij denunciations seu proclamationes v. denunciations.*

*Sciens matrimonij impedimentum,*

- rum, an teneatur denun-  
ciare. 32.
- Matrimonij benedictiones an  
omitti possint. 35.
- Matrimonium clandestinum  
iure natura est validum.  
54. iure Ecclesiastico nullū.  
58. non est hæc annullatio  
pœna. 61. an valeat ut spon-  
salia. 62. potest esse aliquā-  
do validum. 63. an valeat  
matrimonium clandestinum  
quando quis vadit consulto  
vbi Tridentinum non viget.  
64. an validum sit quando  
fit per interpretationem. 66. an  
sacerdos valide assistat cum  
licentia dolo, vel metu ex-  
torta. 68.
- Metus quatuorplex. 84. quot  
modis incutiatur. 85. quibus  
in casibus matrimonium  
casset à nu. 86. an sit pecca-  
tum contrahere ex metu  
gravi. 93. an copula vali-  
det matrimonium ex metu  
celebratum. 94. an matri-  
monium ex metu celebra-  
tum confirmetur iuramen-  
to. 95. An qui non est me-  
tum passus teneatur ad ma-  
trimonium, quando metum  
passus vult celebrare. 96.  
quando metus lenis irriset  
matrimonium. 97. quomodo  
metus grauis probetur. 98.
- Matrimonium quibus fiat ad-  
ditionibus. 99. quibus condi-  
tionibus. 101. additio modi  
ibi. demonstrationis. 102.  
causa. 103. conditionis. 104.  
& sequentibus, an condi-  
tio suspendat vsque ad noti-  
tiam existentia ipsius. 108.  
quando purgetur. 109. an  
coram Parocho. 110. qua-  
nam eōditiones irritent ma-  
trimonium. 111. & infra,  
an conditio turpis pro non  
adiecta habeatur ibide m.  
matrimonij nullitas quomo-  
modo probetur. 116. & mors  
mariti. 119.
- Minister matrimonij sunt ipse  
contrahentes. 122.
- Muti, & surdi an possint spon-  
salia facere. d. 4. nu. 44.
- Matrimonij impedimēta quos  
v. impedimentum.
- Matrimonium catholici cum ha-  
retica quomodo saluetur,  
d. 6. nu. 105.
- An fieri possit matrimonium  
solum in ordine ad castē vi-  
uendum v. impotentia.
- Matrimonium fieri in facie  
Ecclesia quid sit. 171.
- Matrimonij vsus v. vsus.



*Medicus an possit præbere medicinam ad sterilitatem & ad fœtus inanimati expulsionem - d.3.nu.42.*

*Menstrui fluxus quantum duret . 52.*

*Mulier puerpera seu post partum an teneatur ad Ecclesiam benedici &c. 54.*

*Maritus an possit uxorem obseruare ut eam accuset de adulterio . d.8.24.*

*Matrimonialis dispensatio est late interpretanda . d.9.12.*

O

**O** Rdo quomodo definiatur . d.1.nu.1. triplicis generis est nu. 2. & 3. in Ecclesia est potestas conferendi ordines ibi . Quid sit Ordo , & an sacramentum . 5. & 7. An conferri possit sic esto sacerdos, &c. 11. Ordines sunt tantum septem . 12. Quid de Cantoratu , Psalmistatu , prima tonsura , & Episcopatu . 14. Omnes sunt sacram. à nu. 19. Quo tempore instituti . 26. Ordinis diuisio qualis . 31. Ordinis Hierarchici . 33. Singulorum ordi-

num materia & forma à nu. 36. An physicè tangi debeat à nu. 54. an ille ordinaretur cui calix sine vino, vel cum aceto porrigeretur . 63. an materia debeat esse consecrata . 64. an debeat reordinari dubitans de suo ordine . 65. Vnus Ordo est alio dignior , à nu. 66. Ordinis effectus gratia , & character . d.2. de Or. 2. Quinam Ordo imprimat characterem . 5. ubi alia de characterem . Ordo supponit Baptismaum . 8. non confirmationem . 11. an sit peccatum ordinem conferre non confirmato . ibi.

*Ordinum singulorum officia . d.2. à nu. 12. Ordinandorum requisita recensentur . nu. 18. Fœmina quo iure excludatur . 18.*

*Aetas singulorum ordinum . nu. 24. an ordinatus bona fide ante legitimam aetatem incurrat suspensionem . 30. à quo dispensetur qui ordines ante aetatem suscepit . 31. Aetas quomodo supputanda est in anno bissextili . 32. causa dispensandi in aetate . 34. An ad hoc ut quis ordinetur ab alieno Episc. requi-*

rantur littera dimissoria, & à quo dari debeant 45. vide v. littera. à quo Episc. quis ordinari possit 46. & 47. qui ordines annexam habeant continentiam 53. an ad illā teneantur ordinati in infantia v. Continentia.

Ordines quo tempore conferri possint 61. an ad supplendum defectum possint extra tempora conferri 63. an possit mane ordinari qui vesperi complet aetatem 64.

Ordinatus per saltum an contrahat suspensionem, & irregularitatem 70. & 71.

Ordinis Minister. vide v. Minister.

Quinam ordinari prohibeantur à nu. 81.

Ordo quinam dirimat matrimonium d. 6. nu. 110.

Ordo sacer per vim, vel metum acceptus, an voti inducat obligationem. 114.

Oracula dum reuocantur in generali, non censentur reuocari indulgentia, praesertim pro defunctis. d. 9. nu. 35.

Opinio tribuit ius operandi etiā in matrimonio. d. 7. 62.

## P

Pontifex in quibus possit suspendere Episcopū. d. 1. de ord. nu. 17.

Puero an ordo cōferri possit 25. an Episcopus 26.

De Patrimonio quid statuat Tridentinū. d. 2. de or. nu. 35. quale esse debeat 39. taxatio, & examen ibi. an constitui possit super censu 40. an ordinatus cum filio patrimonio incidat in censuram 41. an possit à clerico restitui 42. an possit quis ordinari ad patrimonium cum pacto nil petendi. ibi. quid quando patrimonium repentina clade est consumptum. 43.

Polygamia quotuplex disp. 1. de ma. nu. 48, an repugnet 51. Quo tempore caperit polygamia usus 58. an fuerit sublatus à Christo Domino quoad gentiles 59.

Pontifex dispensat in matrimonio rato fidelium. d. 2. n. 29. an in matrimonio infidelium 32. & 33. An suppleat consensus ad matrimonium d. 3. nu. 9.

Pater an cogat filium v. consensum

- sensum prabeat in matrimonio, à nu. 36.*
- Pater an possit filium exheredare, quia non duxit illam quam volebat. 46.*
- Pater non tenetur dotare filiã eo invito nubentem ante annum 25. & an teneatur illã alere 52.*
- Pœna quis ponunt testatores secundò nubentibus non corriguntur iure canonico d. 6. nu. 131.*
- Pœna civiles concedentes exheredationes non sunt correctæ d. 3. 47. an quæ contra secundò nubentibus. 53. & d. 6. 125. & an quæ in liberorum favorem inducuntur nu. 128.*
- Parochus habitus non verus, irregularis, &c. an validè matrimonio assistat 67.*
- Quinam Parochus assistat matrimonio nu. 69. an sufficiat modica habitatio in Parochia ut Parochus assistat matrimonio. ibi. an Parochus debeat esse sacerdos 70.*
- Parochus excommunicatus validè nè assistat matrimonio 71. An ultra Parochum alij possint licentiam concedere assistendi matrimonio nu. 72. An Parochus Ecclesia maioris possit assistere matrimonij totius diœcesis. nu. 73. quoniam debeat esse Parochi licentia 74. Quinã Parochus vagabundorũ. 75. an ignorans licentiam validè assistat. 76. an licentia per vim extorta sufficiat. 77.*
- Parochus matrimonio assistens quam intentionem habere debeat nu. 79. quam attentionem 80.*
- Parochus punitur qui matrimonio assistit sine testibus. nu. 81.*
- Pœna adulterij d. 8. 14.*
- Pœna eorum qui audent alienos coniungere. d. 3. 81.*
- Pœna contrahentium clandestinè 82.*
- Pœna an possit apponi sponsalibus v. Sponsal.*
- Pœna conventionalis an solvenda ante iudicis sententiam. d. 4. nu. 113. an ante partis petitionem 114.*
- Propositum quomodo distinguatur à promissione, & donatione d. 4. nu. 2.*
- Promissio purè interna an obliget. 13. præsertim s̄ Deo fit. 18.*
- Promissio requirit acceptationem.*

- nem. 19. an respectu infantis, & causa pia 20.
- Promissio futuri matrimonij requirit repromissionem, & quare 22. qui acceptat sufficienter repromittit. 23. an promissio obliget sub mortali 29.
- Promissio matrimonij an fieri possit absenti, & an reuocari, & c. 30. 31. & 32.
- Promissio ficta ad quid obliget, & quid, & quot modis ficta esse possit, & c. à nu. 50.
- Parentes an stipulentur pro filijs absentibus 36. & quomodo ratificetur 37.
- Passionum motus quando tollant aduertentiam. 41. quid quando quis est certus de aduertentia, & non de consensu, & c. 43.
- Promissio nulla an iuramento firmetur 57. an debeat seruari ratione damni 58. quando debeat impleri si nullus est terminus prefixus 79.
- Promissio de ducenda de florata non obligat d. 15. 2. an promissio cesset elapso termino. 30.
- Potifex an statuere possit matrimonij impedimētum v. impedimentum.
- Pubertas quid sit, & unde dicatur d. 6. nu. 166.
- Puella an possit procurare abortum pro fama, vitaq; tuenda, quando fatus non est animatus d. 7. 42.
- Prelatus inferior an dispense in lege superioris & econtra v. Dispensatio & v. Regulares. Quomodo se gerat quando inuenit subditos in fragranti d. 9. nu. 26. & quando dispensare censeatur ibi.
- Prelati licentia an expiret eo mortuo, vel amato, & c. d. 9. nu. 46. latè interpretanda nu. 14. an cum inuito dispensei 17. arguitur Prelatus qui non vult dispensare, & c. ibi.
- Prelati eiusdem licentia superueniens an validet rem iam factam 87.
- Proles nata ex coniugibus copulari prohibitis, an sit legitima d. 7. 103. cuius expensis debeat educari celebrato diuortio d. 8. 34.
- Polutio quo casu permitti possit disp. 7. 19. ubi quomodo sit eius causa adequata, seu notabiliter influens.
- Probatio criminis extraordinarij qualis esse possit d. 8. nu. 24.

*Pontifex dum dispensat ad Ordines v. scilicet, dispensat etiam ad maiores d. 9. 15. & ad beneficia ibi. In quibus impedimentis dispenset 37. dispensat in radice matrimonij 40.*

*Pontifex facit legitimacionem ibi.*

R

**R**eligiosi clerici quare ferant tonsuram non laici d. 2. de or. nu. 19.

*Religio an teneatur providere electis 36.*

*Regulares ordinari possunt extra tempora 66. an constitutio non suscipiendi ordines ante tempus, vel extra tempora afficiat Regulares 67. an dispensent cum ordinato per saltum 71.*

*Pro Religionis ingressu quid dari, et quae poena apponi possit d. 4. nu. 116.*

*Religio Carmelitana Eliam habet Patrem, & institutorem d. 6. à nu. 68.*

*Religio N. Discalceatorum habet nostrorum Carmelitarum precedentias 77.*

*N. Constitutiones v. Constit.*

*Religiosus laicus per metum sacro ordine ordinatus, an teneatur ex vi voti ad continentiam 115. & 116.*

*Raptus est impedimentum dirimens, quod contrahitur quando vir rapit feminam, non è contra 167. nõ incurritur quando puella consentit, etiam si dissensiant parentes 168. etiam propria sponsa est raptus 169. non causa libidinis nu. 170.*

*Raptus poena 171.*

*Reservatio odiosa interpretationis d. 9. 44. & 50.*

*Regulares dispensant in votis in quibus Episcopi 52. an in impedimentis matrimonij 53. in petitione debiti &c. 55.*

*Regulares ut dispensent in debiti petitione non est necesse quod sint deputati à Generali, vel Prouinciali 56. Hae regularium facultas extenditur ad omnes accedentes num. 58. fit hac dispensatio etiam extra Poenit. Sacram.*

*Regulares an dispensare possint in proprijs legibus à Pontifice confirmatis 69.*

*Regulares absoluunt à censuris Episcopalibus d. 7. n. 49.*

An

An dispensent in impedimentis  
matrim. d. 9. 39.

**S**acerdotis officia disp. 2. de  
Ord. nu. 12. Requisita 35.  
ubi de titulo seu patrimonio  
v. Patrimonio.

Subdiaconi officia disp. 2. de or.  
nu. 15. materia & forma  
v. Ordo.

Suspensionem an incurrat or-  
dinatus bona fide 30. an qui  
fictio titulo litteras impetra-  
uit 52. an suspendatur qui  
eadem die duos sacros susci-  
pit ordines 68. an non ser-  
uatis interstitijs 69. per sal-  
tum ordinatus quando dis-  
pensetur ab Episcopo nu. 70.

Suspensio an incurratur ab or-  
dinato per saltum 71.

Sponsa vi opprassa intra bi-  
mestri an possit inuito spō-  
so religionem ingredi disp. 2.  
de mat. 45. an peccet spon-  
sus extorqueo copulam in-  
tra bimestri 51. an sponsa  
possit expellere semen quan-  
do intra bimestri violatur.  
nu. 52. Quorsum sponsis bi-  
mestri concedatur. 53. an  
possit prorogari 54.

Sponsis an liceat post bimestri  
transire ad religionem n. 55.  
an sufficiat intrare Religio-  
nem S. Ioannis 57.

Sponsi qui dicantur d. 4. nu. 1.  
qui veniunt nomine sponsi  
& sponsa 10.

Sponsalia quid sint, & quomo-  
do distinguantur à proposito  
donatione. &c. 2. An sponsa-  
lia addant malitiam forni-  
cationi sponso 6.

Sponsalia pure interna an ob-  
ligent 13. an fiat sponsalia  
si uterque gratuito tantum  
spondeat 27 an obligent sub  
mortali 29. quam delibera-  
tionē requirant spōsalia. 38.  
Sponsalia facta ex iracundia  
an valida. 41. an debeant  
esse spontanea 49.

Qui sint habiles ad sponsalia.  
nu. 59. & infra. an septen-  
nium mathematicè requira-  
tur 65. an sponsalia sint va-  
lida quando malitia supplet  
atatem 66. an peccent con-  
trahendo ante septennium.  
nu. 67. quomodo ratificen-  
tur 68. Per qua verba con-  
trahantur à na. 69.

An dissoluantur quando sponsus  
vagari incipit 42.

Sponsalia an dissoluantur per  
Ccccc for-

- fornicationem 43. an per ta-  
ctus impudicos. 44. an per  
fornicationem precedentem.  
num. 45.
- Quæ liceant inter sponfos d. 7.  
uu. 123.
- Sponsa potest suam defloratio-  
nem occultare d. 5. 46.
- Sponsa vi deflorata dimitti po-  
test 47.
- Ob quas causas sponsalia resol-  
ui possint à nu. 48.
- Sponsalia dolo celebrata an sint  
valida 59. an habens vitiū  
ignoratum cogere possit alte-  
rum 71. an dissoluantur si-  
ne iudicis auctoritate. 72.  
quomodo probetur impedi-  
mentum ut sponsalia dissol-  
nu. 73.
- Serui duplicis generis d. 6. n. 46.  
an contrahere possint domi-  
nis inuitis 50. an teneantur  
potius domino satisfacere  
quam coniugibus 52. an vè-  
di possint in partes remotas.  
nu. 53. an seruus libertatem  
consequatur quando contra-  
hit cum libera, domino sciē-  
te. 54. an tunc validum fa-  
ciat matrimonium. 55. an  
seruus contrahens cum do-  
mina fiat liber 56.
- Sterilitas v. Impotētia. an pos-  
sit procurari d. 7. nu. 41.
- Seminatio quænam apta gene-  
rationi d. 7. 119.
- Semen quomodo recipiatur in  
matricem, & an possit extra  
matricem expelli d. 7. nu. 29.  
& 119.
- Seminatio extra naturale vas  
est peccatum mortale nu. 31.  
an semen possit expelli quan-  
do est corruptum. 37.
- Sodomia an afferat nouam ma-  
litiā ratione affinitatis,  
vel consanguinitatis. d. 7.  
nu. 36.
- Sentētia iudicis v. Iudicis sen-  
tentia.
- Sponsus quando teneatur spon-  
salia adimplere quādo deest  
termini præfixio 76.
- Sponsus an cogi possit ut sponsa-  
lia impleat. 80.
- Spōsalibus an pœna apponi pos-  
sit ne quis iniuste resiliat 81  
quando valeat 82. an pœna  
ratione interesse valida sit.  
nu. 84. an si soluat valeat  
retineri 85. au pœna impro-  
priè dicta teneat 86. quid si  
legato adiiciatur ibi. quid de  
pœna de lucro cessando. 87.
- Sponsalibus an arrbæ apponi  
possint. 106. quid statuunt  
leges circa illas ibi, & n. 107.

An pater amittat arrhas si  
 filia nubere nolit. 109. an  
 tradantur in quacunq;  
 quantitate 110. an in re im-  
 mobili 111. an resiliens te-  
 netur ad duplum, &c. 112.  
 Sponsalibus an pactum apponi  
 possit de habitatione tali 120.  
 Sponsalibus an interueniant fi-  
 deiuissores, & pignora. 115.  
 Qui de spons. conditionibus vi-  
 de v. Conditio.  
 Pro re spirituali quid liceat da-  
 re nu. 117.  
 Sponsalia per solum religionis  
 ingressum non dissoluantur.  
 d. 5. num. 2. an possint sponsi  
 sponsalibus iuratis religionē  
 ingredi 9. & matrimonium  
 facere si post sponsalia voto  
 se castitatis astrinxerunt,  
 num. 10.  
 Sponsalia an dissoluantur per  
 votum simplex castitatis,  
 per sacri Ordinis susceptionē  
 per matrimonium cum alia,  
 & per alia sponsalia à n. 17.  
 an dissoluātur sponsalia im-  
 puberum per alterius dissen-  
 sum, & quomodo inter pu-  
 bes à nu. 25.  
 Sponsalia an dissoluantur elap-  
 so tempore vel termino, vbi  
 an quando terminus adijci-

tur ad sollicitandam, vel ad  
 finiendam obligationem à  
 nu. 35.  
 An sponsalia dissoluantur per  
 alterius absentiam 40.

T

**P**rima Tonsura quos pa-  
 riat effectus disp. 1. n. 15.  
 & 16. an conferatur ante  
 septennium d. 2. nu. 25.  
 Tonsura quare feratur à cleri-  
 cis, & quando eius usus in-  
 caperit d. 2. de Or. nu. 19.  
 Testes matrimonio assistentes  
 quam intentionem habere  
 debeant disp. 3. de mat. n. 79.  
 quam attentionem nu. 80.  
 vnus testis an sufficiat ad  
 probandum impedimentum.  
 d. 5. nu. 73. an testis de au-  
 ditu 75.  
 Faciens sibi testiculum abscin-  
 dere non est irregularis d. 6.  
 num. 32.  
 Tutellam an amittat mater se-  
 cundò nubens 129. an etiam  
 bonorum filijs administra-  
 tionem. 130.  
 Testandi potestas an latè inter-  
 pratanda. d. 9. 13.



## V

**V**eracitas, & fidelitas ad  
quid obligent d. 4. n. 76.

Vir an teneatur sequi uxorem,  
& econtra 121. an possit or-  
dinari. d. 6. nu. 120.

Vxor clerici coniugati an gau-  
deat priuilegio fori. nu. 123.

Qui possit sponsalia votum emi-  
sit castitatis an possit ma-  
trimonium celebrare disp. 5.  
num. 10.

Voto adstrictus castitatis ad  
quid teneatur si virginem  
desoret. 12. An voto adstri-  
ctus priuetur iure petendi.  
d. 7. 19.

Votum solemne religionis iure  
diuino naturali matrimonium  
dirimit. d. 6. à num. 57. quid  
addat votum solemne supra  
votum simplex nu. 68. quo-  
tuplex sit solemnitas. ibi. An  
feri possit votum numquam  
blasphemandi Deum in in-  
ferno 80. an etiam salutandi  
septies B. V. in caelo, &c. 82.

Votum sacrorum Ordinum est  
solemne d. 6. nu. 112. iure di-  
uino naturali matrimonium  
dirimit 113.

Votum castitatis an liget reli-

giosum laicum per metum  
ordinatum. 115. an sic ex me-  
tu ordinatus teneatur vo-  
tum ratificare 117.

Vidua an debeat ali ab haredi-  
bus mariti defuncti, & quã-  
to tempore. 126. an teneatur  
vestes lugubres restituere sibi  
intra annum luctus nubat.  
nu. 127. an possit delectari de  
copula habita d. 7. 123.

Vsus matrimonij licitus. disp. 7.  
nu. 1. habet tamen quãdam  
indecentiam ibi.

Vir an teneatur uxorem ale-  
re 11. ubi alia.

Vsus matrimonij quãdo vitie-  
tur ex circũstantia finis. 20.  
ut sit meritorius sufficit quod  
in Deũ habitu ferratur. ibi.  
an matrimonij vsus malus  
reddatur ob circũstantiam  
temporis 22. & 23. ubi plu-  
ra dicuntur de hac re. An ra-  
tione circũstantie loci. 26.  
An ratione circũstantie mo-  
di. 28. quotuplex sit modus.  
ibi. quale peccatum quando  
modus non seruatur v. Con-  
iuges. quando reddatur illi-  
citus ratione dubietatis ma-  
trimonij d. 7. 61.

Vir an possit copulam praposte-  
rè inchoare animo semina-  
di

# I N D E X

- di intra vas 32. an intra os  
 ibi. & nu. 33.*  
*Vir an possit procurare uxoris  
 seminationem, quando simul  
 cum ipso non seminavit. 35.  
 an teneatur uxorem adulte-  
 rantem accusare. d. 8. 17. &  
 e contra 19.*  
*Vxor an possit semen expellere.  
 d. 7. 37. an fetum in animatū  
 pro vita tuenda. d. 7. 44. an  
 possit occidi reperta in adult.  
 d. 8. 15.*  
*Vota reseruata quenam sint.  
 d. 9. 48. quenam ab Episc.  
 tolli possint v. Episc.*  
*Vota solum absoluta Pontifici  
 reseruantur 50. vnde pœna-  
 lia, & conditionalia nō sunt  
 reseruata ibi. Quando votū  
 vsū impediāt matrimonij.  
 d. 7. 82. ad quid teneatur qui  
 vouit castitatem 88. non  
 inire matrimonium 89. vide*
- v. Coniuges.*  
*In voto religionis quando dis-  
 penset Episcopus 51. dispen-  
 sat in qualitate voti casti-  
 tatis, & religionis reseruati.  
 ibi. idem facere possunt re-  
 gulares. 52.*  
*Vsum matrimonij an impe-  
 diat cognatio spiritualis su-  
 perueniens d. 7. 68. An affi-  
 nitas 71. v. Affinitas.*  
*Votum quando debeat adim-  
 pleri quoad partem d. 7. 93.  
 an teneat quando est de re  
 partim licita, vel possibilis,  
 & partim non. 94. Ad quid  
 teneatur coniuges qui voue-  
 runt religionem ingredi, su-  
 scipere Ordines, & matri-  
 monium nō facere à nu. 97.*  
*Vota quæ possunt à coniugibus  
 irritari, vbi de votis filiorū,  
 & religiosorum à nu. 104.*

# F I N I S.

# REGISTRVM

§§§ ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr  
Ss Tt Vv Xx Yy Zz.


Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn  
Ooo Ppp Qqq Rrr Sss Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.

Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh Iiii Kkkk Llll  
Mmmm Nnnn Oooo Pppp Qqqq Rrrr Ssss Tttt Vuuu  
Xxxx Yyyy Zzzz.

Aaaaa Bbbbb Ccccc.

Omnes sunt fol. 97. integri.





REGISTER VBI

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



